


1 — 10


FACULTAD DE

DE ADVOCATO LIBRI QVATVOR.

Authore MARTINO HVSSON,
In Senatu Parisiensi Advocato.



PARISIIS,

Apud { IOANNEM GVIGNARD filium, in Aula Majori Palatij, sub Signo S. Ioannis. ET RENATVM GVIGNARD, ad primam Columnam maioris Aulæ Palatij, iuxta Consultationes, ad Sacrificium Abelis. } in Palatio.

M. DC. LXVI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



VERBO
INCREATO, EIDEMQVE INCARNATO HVMANI GENERIS AB ORIGINE MVNDI
PATRONO,
NECNON APVD PATREM VSQVE AD CONSVMMATIONEM SÆCVLI
ADVOCATO.



Dsum tandem, Amor indeficiens, pronusque & supplex, quantulum hoc meæ tenuitatis Opus immensæ charitati tuæ affero, non tam de muneris exilitate sollicitus, quàm ne minus amans, suscepisse, absoluisse, & etiam nunc

offerre comperiar; ea ſiquidem eſt infinita tua bonitas, vt offerentem iudices è pondere, non muneris, ſed amoris. Verumtamen, cum nonniſi à te peti poſſit amor, qui fons amoris es, ſpeïque ſit non fallere, non fruſtrari, non confundere; accedo fidens & expeto, vt quæ in oblatione plenitudo mihi deeſt amoris, aliquando ſaltem vel ex oblatione concedatur, aut ad eam via paretur. Et tuum equidem, ô Amor ineffabilis, mihi videtur hoc Opus, vt in infirmitate mea benignitas tua confirmet, quod operata eſt, èque voto pridem concepto NIL NISI AMORE *à me prodeat, imò vniuerſa mea, miſera licet, & tenuia, cedant & vertantur in honorem, laudem, & propagationem dilectionis ſanctæ tuæ. Fiat, ô amantiſſime Domine, fiat; iuſtificeris in ſermonibus tuis; & vincas tandem cùm iudicaris.*



LECTORI ÆTERNAM SALVTEM.

SISTAS, quæſo, pauliſper gradum, quiſquis es, Lector, nec graueris tantillum immorari, ne iſta hæc prætermiſiſſe, te pigeat, aut prætermiſſa pudeat repetere; Audi igitur.

Qui tibi primus DE ADVOCATO prodit libellus, quatuor alios expectat, quos ſi Deus fauerit habiturus es; iſte etenim priſca forenſis exercitij complectitur ſolùm tempora, vixque hodiernam attingit diſciplinam, cuius tamen, nedum notio, ſed & praxis ad nos ſpectat; De illa igitur cæteri agent libelli, quorum qui ſequuturus eſt, ſecundus videlicet ordine, Candidatos & Tyrones; tertius Oratores ſeu Cauſidicos; quartus, Iuriſconſultos qui & Prudentes; quintus, omnia quæ vniuerſo competunt ordini complectetur & referet, tuncque impoſito defuncti munere, illuſtriori viro locum dabimus, qui ſublimiori ſtylo & calamo forenſis palæſtræ Heroas, iuſto aliquo concludat volumine.

At vel è limine mihi ſucclamare videris, Tu quis, es qui tanta moliaris & præſumas? Fatebor equidem & non negabo; ruſticani fori ſum aſſecla; vlmei ſectator Tribunalis; Aduocatorum minimus; imò ſi dignitatem ſpectes ordinis, iam non dignus qui dicar Aduocatus, hiſ-

que, ſi lubet, addatur etiam, arundo ventis agitata; puluis à facie terræ projectus, infirmata vitis, titio denique fumigans, cuius ſi tibi datur aliquando reuoluere cineres, incendiorum ſtupebis excidia. Tibi-ne ſat innotui? Nunc ergo accipe quæ primaria fuerit occaſio huiuſce ſuſcipiendi opuſculi.

a Sub princip. Ianuar. 1651.

Tredecim *a* propè iam anni ſunt, cùm ſtanti mihi mane quodam in oratione, Opus, quod modo attigi, ſuſpicere datum eſt, tantâ cæteroquin inuolutum caligine, vt titulum ſi demas, diſtinctaſque ſub eo partes, nil prorſus in earum ſingulis videre licuerit, niſi ſublimem omnino materiam, meiſque, vt fatebar, haud digerendam viribus. Suſpicere, igitur, fuit & ſuſpirare, ſi quando qui mihi imponebat opus & velle dabat, perficere concederet; moxque graui adeo affectus morbo vt ad extrema redactus fuerim, reſiduum anni in perpetua ferè tranſegi inualentia.

b Epiſt Vincentij à Paulo 20. April. 1652.

c Die 23. Nouemb. 1660. in Baſilica Lutetianæ D. Germani Antiſſiodorenſis Illuſtriſſimus & Reuerendiſſimus Epiſcopus tunc Podienſis, nunc verò Ebroïcenſis Henricus de Maupas du Tour, concionem habuit in funere piſſimi Vincentij à Paulo Preſbyteri, nec non frugiferæ in agro Euangelico Con-

Altero *b*, me vehemens probatio excepit, pius ille VINCENTIVS A PAVLO, cuius demum ſi tamen miſero mihi poſt virum *c* Apoſtolicâ dignitate fulgentem, Apoſtolicâ licet vti ſententiâ) cuius, inquam, laus demum eſt in Euangelio per omnes Eccleſias, in Tunetanum pro Regia Majeſtate poſtulauit me Conſulem. Quantus inde paupertati meæ obuenit labor? Anxius enim hærebam ne vel leuitate peccarem vel tenacitate, nec ſatis mihi fidendum arbitrabar, vt quid in hoc biuio beneplacitum Dei poſtularet propriâ diſcuterem ſententiâ; Diutius igitur ſuper ea re apud me conflictatum eſt, cauſantibus præſertim parentibus, ſibi me in rebus

domesticis esse omnino necessarium, quem nodum vt dissoluerem petitâ Lutetiâ, ipsiusque amodo designati *d* Ruthenorum Antistitis pedibus obuolutus, per calcatos etiam sanguinis affectus quo Deus vocaret aduolandum esse resciui.

Rhodez.

Tunc autem mihi vnum intelligere datum est; nequaquam scilicet, Aduocationis quod selegeram eripi mihi officium, sed locum solummodò, ritumque inuerti, vt qui deinceps nomine Regio acturus essem apud Tunetanos Reges, Bassas, Senatum, vulgò Diuanium, Mophites, aliosque Magistratus, quoties Regis mei subditorumque illius iura deposcerent: Cæterùm Tunetum aduectus, & importatis libris, & inibi repertis, nec non quæ mecum detuleram scriptis & schedis, otia quomodocumque leuabam, cæptosque dudum analyticos in Consuetudines Victriacas Commentarios prosequebar, nonnunquam præmonstratum de Aduocato suspirans Opus, haud satis tamen impulsus vt manum tanto labori admouerem; Sesquitriennium sic præterlapsum est, nilque minus quàm in Gallias reditum cogitabam, cùm in orbe terrarum diuina ludens Sapientia insperato prorsus Parisios me reuexit: Rex quippe Tunetanus, frustrà minis promissisque à me exoptasse animaduertens quod Regi meo fideique meæ probrosum omnino fuisset, tentare ad summum voluit, num interminatâ saltem expulsione concuteret, perstantemque in proposito contra quam sperarat, irarum plenus in Gallias *e* amandauit. Miratus ego insperatam adeo & subitam rerum mutationem, memorque quadriennio antea corde præsago Vincentio dixisse, quo

gregationis Missionis Fundatoris, Institutoris, Rectoris. Suæ autem illius orationis funereæ, ex 2. *Corint. cap* 8. *vers.* 18. hoc Thema sūpsit: *cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias.*

d Id est doctissimus & piissimus D. Ludou. Abelly.

Mense Aprili 1653.

1. Septemb. 1653

e Mense Aprili 1657.

tempore existimarer omnino abactus è Galliis Monsmirellensem reuisurum vrbiculam, forulum, cui me pridem manciparat diuina bonitas, repetere statui, prisca resumturus villicanæ Aduocationis officia, tentaturusque profitentem imitari Apostolum, scio abundare, scio egere; quamobrem licèt mihi Vincentius pro ea qua tenuitatem meam charitate amplectebatur, clariora multò meis meritis obtulisset munia, nidulum tamen meum in eo moriturus anhelans requisiui. *f*

f Mense Octob. 1657.

Longâ autem ærumnosâque tunc afflictâ mihi valetudine, terrisque & pelago per tot iactato tempora, haud speratum, sed benignissimum tamen Tremollianum Sidus affulsit: inclytissimi quippe Dux Ducissaque *de Noirmonstier*, ad quos binis circiter ab annis Monsmirellensis Dynastia titulo deuenerat emptionis, ignotum me, & penè, vt ita dicam, recenter adhuc è littore madidum suâ nihilominus protectione dignati sunt, tantâque exinde benignitate fouerunt, vt è laboribus respirare cæperim, sensimque firmiori redditus sanitati intermissa repetierim studia. Verùm licèt de ADVOCATO scribendi mihi onus cogitarem impositum, iamque ad suscipiendum opus, obseruarem per tot mutationes suauiter omnia disponi, hærebam tamen & deficiebam; angustiori quippe laborabam penu librariâ, quodque præcipuum inerat, motu quodam interno pellebar in aliud differre tempus; quasi mihi succlamaretur ab intimo nondum admouendam manum. Interim, igitur, ludere fuit variis in opusculis, Mahammedicis, scilicet, Iudaïcis, Græcis, Puncis,

cis, Turcicis; quorum omnium, ſi Deus fauerit, aliquando iudex eris & arbiter.

Aduenit autem cùm eo anno quem promulgata pax ſolemnem nobis reddidit, Lutetiam petiiſſem generalia comparaturus Concilia, in amiciſſimum mihi Iacobum Abrahamum incidere. Priſca nos in Senatu Togæ conſuetudo mutuò reuinxerat, poſtque tot annos abſentiæ iuſtum erat amicitiam in ortu ſuo non fucatam ex inopinato, ſed ſuſpirato tamen occurſu clareſcere; Iudaïca paulò antè abſoluta, illi legenda credidi & reliqui, annoque altero *g* Pariſios iuſſu parentum accitus, eum inuiſi domi, ſed quaſi obiter adeo vrgebar, patefactaque ſummatim quam DE ADVOCATO reuoluerem cogitatione, precatus ſum paupertatem mei ſpiritus ſui abundantiâ ingenij vel ditaret, vel iuuaret. Annuit ille, ſed vt in tranſcurſu, nec enim præ temporis anguſtia fuſiùs quicquam aut mihi licuit explicare, aut illi reſpondere. Hæſit tamen illius animo & quidem altè verbulum hoc, ita vt cùm menſe Ianuario ſubſequentis anni inuiſiſſem illum, gratanter mihi de ſuſcipiendo, imò implendo Opere acclamarit, forum quippe in auitam ſuam ferri gloriam, diuiſos iam per columnas Aduocatos, éque ſingulis columnis ſingulos quoquo anno ſeligendos, qui vnà cum Anteſignano de ſeruanda *h* in ordine diſciplina ſeriò agerent, collationes tanta de re nedum decretas, ſed & cæptas fieri, earumque arcani Codicis ipſummet delectum fuiſſe cuſtodem quem & exhibuit. Obſtupui, nec ad hæc aliud reſpondere licuit, niſi cogitaſſe, cogitare, alienoque indigere auxilio. Et

Anno 1660.

g 13. April. 1661.

Anno 1662.

h Pudoris enim ſuſtinere iacturam, neſciunt qui ſe prius iudice corriguntur. *Caſſiod lib. 5. variar. cap. 4.*

equidem, mi Lector, grauabar istius-ce Operis non tam mole quàm pondere è Senatu pridem abductus, oppidulique addictus forulo. Interea tamen comparabam libros, stupentibus amicis tot à villicano Causidico volumina congeri, me verò maiore prorsus admiratione tenente, quod scilicet dudum è solo rusticanæ Aduocationis labore victum tenuem quæritans & vestitum, locupletiorem sensim à diuina prouidentia reciperem annonam, nedum vt antea miseræ vitæ necessitatibus, sed & librorum emptioni suffecturam. Tunc autem elaborabam Turcica, vltimum è præfatis opusculis; quo absoluto, ADVOCATVM intendebam attingere; fauitque multum indefessa Abrahami postulatio: Rursus
Anno 1663. enim mense Februario vltimo, Lutetiam à parentibus accitum quid de ADVOCATO scripsissem interrogauit; pudorque nil prorsus quàm quod antea sciscitanti respondere valuisse, eò me adegit, vt statuerim quàmprimum torcular calcare etsi solus, infirmus & egenus. Sic ergo mihi ipsi relictus, discussis longioris moræ & tædij quibus vrgebar negotiis, iamque ab intimo vehementiori concussus motu, colla submisi, manum admoui, & in eo qui solus infirmitatem confortat nostram spe omni positâ, ipsâmet die Apostolorum sacratâ Principibus Opusculum inchoaui.

Sed num tibi, mi Lector, tædium ingeret, minuscula ista hæc momentorum & ferè atomorum ratio? Haud sanè puto, si tamen seruorum Dei studeas inhærere vestigiis, qui vel in minutioribus suauiter agentem & fortiter supremi Numinis manum agnoscunt, nec vn-

quam magis tuti quàm cùm nihil ex ſe in ſe obſeruant, humiliter exultant & geſtiunt in eo viuere & eſſe & moueri, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia.

Pergam igitur tibi recenſere vias meas, abiectas licet & tenues. Menſe Auguſto iuſſu parentum Lutetiam reuiſi: cúmque inuitis quæ me nimium abſtraxerant quotidianis occupationibus quatuordecim prima capita abſoluiſſem, ea in mundum redacta, nedum Abrahamo, ſed floſculo etiam Angrano examinanda tradidi; huic autem vltimo viro quantùm debeam, vel inde noſcas velim, quod ſi illum forenſem meum inſtitutorem negauerim, falſidicus; ſi tacuerim, ingratus comperiar; vtrique arriſit conatus meus: Et Angranus quidem non ſecus mecum agens quàm cum ſuo diſcipulo, perbenignè, inquam, & ſincerè; nunquam, aiebat, id Opus tuarum eſſe virium exiſtimaſſem. Abrahamus verò, hortari, cæpta vt proſequerer, abſolutaque publicarem; & ſpondebam ego inchoati quidem Operis proſequutionem, at euulgationem, nullatenus; ratus eam mihi fore tutiorem è viuis ſublato, vt qui iudicia expertus Dei, nihil ab hominum expectarem iudiciis. Anno 1663.

Per itinera tamen reuertenti mihi noua nec præuiſa ſe ſe prodebat majeſtas Opuſculi, cuius quæ ſupererat exornanda materia, haudquaquam iam delibata videbatur inferior; concuſſuſque ab inexpectato nec ſatis aperto coruſcationis ſplendore, aſpirabam & ferebar in pulchritudinem obſcuram, captantem nihilominus & rapientem. Comparaueram Pariſiis, motu quo

ſupra impellente, Baronij Martyrologium, Annales integros, Antonini Chronicon, Iuſtelli Canones nouiter cuſos, quos inter Photius & Balſamon inſerti ſunt, Dionem Caſſium, nonnulloſque alios Authores, mihi pridem, Iuſtellum ſi demas, nomine tenus notos, ſed tamen antea præ paupertate mea nequidem ſalutatos ex cortice, emptoſque domum miſeram; neſcio quid igitur ſublime præſagiens in cœptum Opus elatiori ferebar greſſu, & ecce tuguriolum ingreſſus, vbi primum mihi licuit hæc euoluere volumina, mirari appoſitè adeo intermiſſam ſcriptionem; comparatos libros; nouas emergentes ſeſeque offerentes materias, vt quaſi ad manum tractum fuiſſe lætanter agnoſcerem; maior igitur inde mihi & alacritas & labor, dum concatenata rerum ſeries è præuiſis & cogitatis, ad impræuiſas & incogitatas me duxerit, quarum plurimæ nonniſi cum maxima paupertatis meæ cura & ſollicitudine enucleatæ ſunt; his autem ſi addas quæ mihi continuò incubuerunt, legere, adlegere, ſcribere, exſcribere; aduentanti cuiuis reſpondere, domi foriſque pro clientibus agere; cœpta intermittere; intermiſſa reſumere; reſumptaque iterum dimittere, nequaquam, opinor, mendacem me reputabis, ſi quemadmodum è materia laborem natum, ſic & cum labore vires mihi additas enarrarim.

Abſoluto hoc-ce libello, obſtupui per continuata tempora, & in ipſa rerum ſerie Aduocationis vbique prodiiſſe inſignia, ita vt & hiſtoria quadamtenus texta fuiſſet, & elogiorum concinnata materia: tunc mihi tutius eſſe ratus aliorum duci iudicio, quam proprio libellum

hunc Abrahamo dirigendum existimaui, vt assumptis secum Ioanne Maria Ricardo & Antonio Bilino, collatis omnes in vnum consiliis & viribus, typis eum cudi procurarent, * si tamen id è re fori nostri arbitrarentur. Nil de viris istis tibi proloquor; propriæ suæ in Senatus palæstra clari adeo sunt gloriæ opifices, vt rusticano calamo commendari haud indigeant: id vnum dicam, illorum scilicet charitati nos debituros, me quidem, si obscurus & nouus homo vel ex isto vel ex alio quo-uis opere tibi innotuerim; te verò, si vel ex isto vel ex quo-uis alio quidquam adlegeris, ad æternam tibi proficiendum salutem.

* Vidend. Præfat. lib. 1.

Finem facio, si addiderim, Romanæ fidem Ecclesiæ, quæ sola vera & legitima est, me singulari Dei beneficio tenuisse semper & tenere; illam sanè per longa nimis tempora inhonóraui moribus, sed tandem misericordiam Dei consecutus illius requiro iudicium, in cuius sinu conquiesco. Conuersatus sum in Schismaticis, in Hæreticis, in Gentilibus; dogmata eorum noui, errata luxi, cúmque nil in fide Romanæ Ecclesiæ reperire sit contra rationem, etsi non pauca sint supra; nil in aliis dogmatibus, in quantum à Romanis absunt, inuenire est, quod non vel contra rationem sit, vel infra. Illius igitur, vnicæ, sanctæ, veræ, solius legitimæ, & Apostolicæ, Romanæ dico Ecclesiæ censuræ & iudicio humillimè submitto quidquid in hoc libello scripsi, & in quo-vis alio deinceps scripturus sum; humana cæteroquin menda si monitus à te fuerim emendabo lubens, & interim de illis mihi non notis exultabo & dicam, bo-

na mea, neque verè bona neque verè mea; mala mea & verè mala & verè mea. Comprecare mihi poſt hæc, quiſquis es, Lector, æternam quam tibi exopto ſalutem; quicquid enim minus illa nobis optatur, infra nos ſanè eſt, nec ſatis dignum viro Chriſtianò comprobatur.

E Tuguriolo noſtro Monſmirellenſi
23. Decemb. 1663.





INDEX CAPITVM.



CLARISSIMO



LIBER SECVNDVS.

SPIRATO IN DIVINIS

Rom. 8. vers. 26

AMORI

GEMITIBVS INENARRABILIBVS

PRO NOBIS POSTVLANTI.



CVI potissimùm quàm tibi, ô SACRATISSIME SPIRITVS! Aduocationis nostræ debebatur auspicatio, te siquidem superueniente *a*, obumbrante, operante *b* Verbum æternum carnem indutum, humani generis Patrocinium auspicatum est & absoluit? Accedit, quòd Mediatoris consummato officio, Aduocatus *c* alter, consolator, incitator mœrentibus adfueris, sparsâque in singulos ignitæ linguæ *d* figurâ, silentes antea & timidos, audaces *e* protinus effeceris & facundos, vt ignotæ veritatis testimonium, impetitæ patrocinium fido prorsus corde & pectore susciperent & implerent.

a Spiritus superueniet in te & virtus Altissimi obumbrabit tibi. *Luc. 1. v. 35.*
b Qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo. *Hebr. 9. vers. 14.*
c Rogabo Patrem & alium Paraclitum dabis vobis. *Ioan. 14 vers. 16.* Paraclitus enim Latinè dicitur Aduocatus. *Aug tract. 74. in Ioã. vers. fin.*

d Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque supra singulos eorum. *Act. 2. v. 3.*
e Repleti sunt omnes Spiritu sancto & loquebantur verbum Dei cum fiducia. *Acto. 4. v. 31.*

Denique totam replens cœleſtem aulam non verbo, ſed gemitu pro nobis ineffabiliter *f* edito, rudiorem videris poſtulationem obire, aut ſaltem eius præſtruere officia, quia in alti meditatione ſilentij præparata, facundo ſenſim eloquio viam facit. His igitur de cauſis, ô AMOR SACRATISSIME, tibi potiſſimùm noſtri Tyrones ſubmittendi erant & vouendi, vt ea quæ ſibi à Maioribus demandata nouerint exercitia, hiſ-ce tuis amodò petant & impetrent ſanctificari operibus. Annue, quæſo, ô æternorum amantium æterne nexus! Annue, inquam, & benignè equidem illorum votis & meis, vt & illi ſanctè auſpicari profeſſionis ſuæ queant Tyrocinium, & ego, quas inter verſor litium occupationes te ſuſpirare valeam, te intendere, te adamare, te poſſidere; *Amen.*

f Ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. *Rom. 8. verſ. 26.*



INDEX CAPITVM.



TESTATIO AVTHORIS.

ALterum hunc de Aduocato libellum emiſſurus, iterum atque iterum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſolius veræ, legitimæ & Apoſtolicæ filium me profiteor & conteſtor; illiuſque irrefragabili & infallibili ſubmitto ſententiæ quæcumque in iſto opuſculo continentur; vt probata remaneant, ſi probet; damnata, ſi damnet. *Montemirabili* 29. *Februarij* 1664.



DE



LIBER TERTIVS.

VIRGINI DEIPARÆ ADVOCATÆ NOSTRÆ.



Pud te etiam, ô SACRATISSIMA DEI-GENITRIX! nostra se sistit Aduocatio; sed in ea sui parte quæ tota verbosa est, vt ab eo quod tuus eructauit sinus informata verbo, eloquium promat sapientiâ conditum, iustitiâ ordinatum, constantiâ obfirmatum, verecundiâ ornatum, vitâ innocuâ commendatum. Et ea sanè omnia, decet illam edoceri ab ipsâ te, cuius os sapientia, cor iustitia, animum constantia, mentem pudicitia, vitam innocentia tantis sublimauit dotibus, vt in Aduocati nostri matrem seligi merueris, & deperditæ, nedum Euæ, sed humanæ etiam totius naturæ Aduocatum designari. Suscipe igitur, Virgo Mater admirabilis, hominumque Aduocata & Patrona, suscipe, inquam, eâ quâ soles, benignitate & clementiâ, nostræ istius-ce Aduocationis patrocinium; vt suis in hac miseriarum valle defuncta muneribus, illum quem enixa es Aduocatum, suum tamdem in cœlis experiatur & Defensorem & Susceptorem potius quàm Iudicem.

INDEX CAPITVM.



TESTATIO AVTHORIS.

QVam duobus libellis iam editis, huic etiam affigo testationem mei in Romanam Ecclesiam obsequij, illiusque submitto sapienti iudicio quidquid in hocce opusculo mea tenuitas exarauit, Montemirabili 5. Iulij 1664.





DE ADVOCATO

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

De multiplici Aduocationis appellatione.

INgenua quæ primùm homines habuerunt ad inuicem officia, ſimplex ab initio quam tulit vſus & neceſſitas appellatio deſignauit ; At increſcente paulatim humano genere, cùm plerúmque vnius eiuſdemque officij diuerſa extarent munia, nec iam commodè ab vno eodemque homine ſingula ſuſcipi quîrent & abſolui, ex vnico multiplex inſurrexit, variumque illico vnicuique nomen inditum eſt, vt ex propria cuiuſque appellatione innoteſceret, quas quiſque primitiui officij partes elegiſſet profiteri. Id ſi vel vno demonſtrari exemplo depoſcitur, in medicina facilè patebit ; cùm enim ab initio vniuerſa quæ curationem humani ſpectant corporis Medicus intenderet, ſenſim medicaminum præparatio, vulnerumque curatio manuaria diuerſas à medicina conſtituere artes, Pharmaciam & Chirurgiam. Nonnulla tamen officia reperire eſt, rudi primùm & indiſcreto inuoluta nomine multiplicem poſtea ſortita appellationem, provt vel diuerſa illorum comprobata eſt vtilitas, vel maior ipſis poſtmodum acceſſit perfectio. Iſtiuſmodi Aduocatio mihi videtur, cuius ſi intueamur incunabula, nocentium accuſationem, innoxiorum defenſionem, oppreſſis auxilium, tutamen impetitis, ſi non dictam, ſaltem effectam comperiemus ; & equidem, non quoquomodo : vi enim & armis abſtinet, nec niſi apud Iudices ratione vnâ certat & ſuperat : At cùm pubeſcentem illam, tamdemque adultam inſpicimus, variis ſe prodit exornatam, quibus & ſumma eius vtilitas, & inconcuſſa fulget ingenuitas. a

a Seruum hominem cauſam orare leges non ſinunt. *Terent. in Phormio. act. 1. ſine.*

Cùm igitur amico subuenire oppresso *b*, idemque quod ipsi imminet famæ rerum, quin & vitæ subire periculum vltima sinceræ amicitiæ probatio semper habita fuerit, amici præcipuè & κατ' ἐξοχὼ appellati sunt, qui periclitantibus in iudicio toti adessent: An enim maior amicitia quàm quæ aduersa quæque communia reddit & efficit? Hinc, vt aptè notat Donatus, *c* Amicos pro Aduocatis dixere Veteres. Nec difficultatem moueat quòd & testes eodem fuerint appellati nomine; in illa etenim prisca iudiciorum forma qui iniuriam passis vel sustinentibus aderant, veritate vt plurimum rei gestæ innixi, de ea testimonium intrepidè perhibebant, vt saluâ Religione sinceræ fidei officium in periclitantes innoxios adimplere noscerentur, quo in vtroque ministerio summa vis comprobatur amicitiæ, dum proprio licèt periculo, & veritati testimonium, & oppresso conferebatur auxilium.

Quia verò plerumque conuocandi erant amici illi, sensim ab eorum aduocatione specialis tanti ministerij titulus exsurrexit, inuersâ tamen propemodum significatione, Aduocatio enim Aduocantis potius quàm Aduocati sollicitudinem debebat exprimere; sed non in istiusmodi solùm officiis promiscuas dictiones vsurpatas fuisse vel sola docet nos abundè Grammatica; vbi notandum interim primæuum & priscum illud Aduocationis ministerium *d* non in perorando completum, sed etiam in tacendo, dummodò conuocati laborantibus adessent, *e* suamque, veluti fortunæ comites, accommodarent præsentiam, *f* affatim interea loquentibus in vultu affectibus, in statu officiis.

Iam autem probè succedentibus strenuæ Aduocationis ministeriis, patrocinij titulo insignita est, quo nullus splendidior. QVANTVM ENIM INGENVA PROFESSIO CVI VEL ILLIBATA INGENVITAS CLIENTEM SE ADDICEBAT? Quære, inquire, perquire, inibi gradum sistas necesse est, *quia super omnem gloriam protectio*. *Inf. cap. 9.* *Isa. 4. v. 5.*

Mox ad tanti decorem officij eloquentia accessit, non quasi Magistra, sed velut ministra, quæ scilicet aduocationis munia susciperet, iussa impleret; cúmque præcipuas illa partes sustinere videretur, ab ea tandem ars oratoria dicta est litigantium defensio, impropriè tamen, vt cuique patet, nam ad alias longè causas quàm ad forenses extendit se Rethorica; vnde & citò *g* titulus ille euanuit. *Inf. cap. 7. & 11.* *Ammi. libr. 30.*

Sed & à causis quæ deducebantur in forum Causidicina vocata est; apud Ammianum enim nec non Imperatores dictio ista legitur, sicut & apud Tertullianum Iuridicina. Iudicinam & ab Apuleio vsurpari notauit Cujacius; sed pace tanti viri disquiri poterit, an Iudicina *h* potius, vt vulgari codices habent, legi debeat & teneri, pro indicatione scilicet soluti errantisque pecoris proprio domino restituendi. *Tertull. libr. de pallio.* *Cujac. 4. obs. vlt.*

b Sinceræ fidei amici præcipuè in aduersis rebus cognoscuntur: In quibus quidquid præstatur, totum à constanti beneuolentia proficiscitur. *Valer. Max lib. 4. cap. 7. in prin.*

c Amicos & pro testibus & pro Aduocatis Veteres posuerunt. *Donat. in Phor. Teren. act. 2. fin.*

d Aduocatus est qui in iudicio aut ius suggerit alicui, aut illi præsentiam suā accommodat. *Ascon.*

e Aduocatos accipere debemus omnes omnino qui causis agendis quoquo studio operantur. *l. 1. §. 11. ff. de extraord. cog.*

f Multum me intra silentium tenui, accepi enim non minus interdum oratorium esse tacere, quam dicere, atque adeo repeto, quibusdam me capitis reis, vel magis silentio, quam oratione accuratissima profuisse. *Plin. 7. Epist. 6.*

g Horum temporum diserti, Causidici & Aduocati & Patroni, & quidvis potius quam Oratores vocantur. *Tacit. dialog. de Orato.*

h Infit deierans nullum semet vidisse ductorem, sed planè comitatum, solutum & solitarium ob indicinæ præmium occupasse, domino tamen suo restituturum. *Apul. 7. Metam. vers. fin.*

Denique Aduocatio Consolatio dicta est, vicissimque pro con *Clemēs Alexādr.*

solatione vsurpata est Aduocatio, ita vt plerique alteram pro altera scripserint: sic Clemens *i* Alexandrinus: *Consolatorem habemus apud Patrem Iesum Christum.* Sic Septuaginta; *Loquimini l ad cor Ierusalem & consolamini eam:* & vice versâ Tertullianus; *Spiritus Domini super me, misit me aduocare* m *languentes:* Et iterum: *Sicut probaui mendicorum Aduocatorem?* Et alio in loco: *Væ vobis diuitibus, quoniam recepistis Aduocationem vestram;* Denique: *Talibus & Aduocatio & risus promittitur:* eleganti cæterequin à verbo Græco παράκλησις formatâ confusione, nec prorsus extra rem, quæ maior enim consolatio quàm quæ oppresso obuenit ex potenti patrocinio; imbecilli, ex strenua defensione; periclitanti, ex constanti aduocatione?

in 1. Ep. Ioan. cap. 2.
Isa. 40. vers. 2.
Tertull. 4. adue. Marcio. 14.
Id. ibid. cap. 15.
Id. lib de Patientia cap. 11.

i Aduocatũ habemus apud Patrem Iesum Christum 1. *Ep. Ioan. cap. 2.*

l Loquimini ad cor Ierusalem & aduocate eã. *Isa. 40. v. 2.*

m Vt consolarer omnes lugẽtes. *Isa. 61. v. 2.*

CAPVT II.

Finis & origo Aduocationis.

IN alterum autem ferri Aduocationem haud potest ambigi, neque enim vllus à se ipso aduocari, neque sibimet adesse aut patrocinari concinnè dicetur vnquam. At quamuis alterum respiciat, non quemuis tamen, sed oppressum, sed læsum; nec satis læsum, nisi & innoxium, non enim tam infortunio mouetur quàm infortunij causâ quæ leuamen nescit afferre, nisi & ab ipsa ratione datum & ab ipsa iustitia comprobatum, vnde pereleganter ab Ambrosio, *Pietatis* a *officium* appellatur. Finis igitur, alienæ miseriæ subleuatio est, non quâcumque viâ, sed iustâ; origo verò, ipsa humanitatis ratio, quâ miseris nedum compati, sed & succurrere compellimur, adhibitâ tamen in omnibus æquitatis lege; normâ iustitiæ, rationis face, adeo vt, *b* secundum Augustinum, & misericordia præbeatur & iustitia conseruetur.

Sed & hinc patet quàm antiqua fuerit Aduocationis origo, non à prima huiuscemodi misericordia deducta est: Quando autem prima illa misericordia, nisi quando prima patientia, quæ Tertulliano *c* misericordiæ mater est? Quando verò patientia prima, nisi *d* quando indignatio prima? At ista, vel in Deo, primum sequuta crimen est quo fuit ab origine mundi occisus agnus: extunc enim & patientia probata, & misericordia loquuta, & acta causa, & venia petita, & incarnatio decreta, sapienter adeo sese habente diuinâ sapientiâ, vt & præbita fuerit misericordia & conseruata iustitia. Obmutescat quæso post hæc Stoïcæ disciplinæ incentor *e* fatuus: Iam sapientis est & misereri & succurrere, imo sapientis proprium *f* misereri cuius & pati. En verbum æternum de primi hominis *g*

Apocal. 13. v. 8.
D. Tho. part. 3. q. 1. ar. 3

a Et Aduocatus & Iudex est; in altero pietatis officium, in altero insigne est potestatis. *Ambros. in Lucam. lib. 5. cap. 6.*

b Misericordia est alienæ miseriæ quædam in corde nostro compassio quæ vtique si possumus subuenire compellimur, seruit enim motus iste rationi quando ita misericordia præbetur vt iustitia conseruetur. *Aug. 9. de Ciuit. Dei. cap. 5.*

c Per patientiam misericordiæ matrem. *Tert. de patientia c. 3.*

d Hinc prima iudicij, vnde delicti origo: hinc Deus irasci exorsus, vnde offendere homo inductus: Inde in Deo prima patientia, vnde indignatio prima. *Idem ibid. cap. 5.*

e Non miserebitur sapiens, sed succurret. *Seneca 2. de Clement. cap. 6.*

f Deus cui proprium est misereri semper. *Eccl.*

g De parentis protoplasti fraude facta condolens, quando pomi noxialis morsu in mortem corruit. Ipse lignum tunc notauit damna ligni vt solueret. *Eccl.*

Cùm igitur amico ſubuenire oppreſſo *b*, idemque quod ipſi imminet famæ rerum, quin & vitæ ſubire periculum vltima ſinceræ amicitiæ probatio ſemper habita fuerit, amici præcipuè & κατ' ἐξοχὴν appellati ſunt, qui periclitantibus in iudicio toti adeſſent: An enim maior amicitia quàm quæ aduerſa quæque communia reddit & efficit? Hinc, vt aptè notat Donatus, *c* Amicos pro Aduocatis dixere Veteres. Nec difficultatem moueat quòd & teſtes eodem fuerint appellati nomine; in illa etenim priſca iudiciorum forma qui iniuriam paſſis vel ſuſtinentibus aderant, veritate vt plurimum rei geſtæ innixi, de ea teſtimonium intrepidè perhibebant, vt ſaluâ Religione ſinceræ fidei officium in periclitantes innoxios adimplere noſcerentur, quo in vtroque miniſterio ſumma vis comprobatur amicitiæ, dum proprio licèt periculo, & veritati teſtimonium, & oppreſſo conferebatur auxilium.

Quia verò plerumque conuocandi erant amici illi, ſenſim ab eorum aduocatione ſpecialis tanti miniſterij titulus exſurrexit, inuerſâ tamen propemodum ſignificatione, Aduocatio enim Aduocantis potius quàm Aduocati ſollicitudinem debebat exprimere; ſed non in iſtiuſmodi ſolùm officiis promiſcuas dictiones vſurpatas fuiſſe vel ſola docet nos abundè Grammatica; vbi notandum interim primæuum & priſcum illud Aduocationis miniſterium *d* non in perorando completum, ſed etiam in tacendo, dummodò conuocati laborantibus adeſſent, *e* ſuamque, veluti fortunæ comites, accommodarent præſentiam, *f* affatim interea loquentibus in vultu affectibus, in ſtatu officiis.

Iam autem probè ſuccedentibus ſtrenuæ Aduocationis miniſteriis, patrocinij titulo inſignita eſt, quo nullus ſplendidior. QVANTVM ENIM INGENVA PROFESSIO CVI VEL ILLIBATA INGENVITAS *Inf. cap. 9.*
CLIENTEM SE ADDICEBAT? Quære, inquire, perquire, inibi gradum ſiſtas neceſſe eſt, *quia ſuper omnem gloriam protectio.* *Iſa. 4. v. 5.*

Mox ad tanti decorem officij eloquentia acceſſit, non quaſi Magiſtra, ſed velut miniſtra, quæ ſcilicet aduocationis munia ſuſciperet, iuſſa impleret; cúmque præcipuas illa partes ſuſtinere videretur, ab ea tandem ars oratoria dicta eſt litigantium defenſio, impropriè tamen, vt cuique patet, nam ad alias longè cauſas quàm ad forenſes extendit ſe Rethorica; vnde & citò *g* titulus ille euanuit. *Inf. cap. 7. & 11.*

Sed & à cauſis quæ deducebantur in forum Cauſidicina vocata eſt; apud Ammianum enim nec non Imperatores dictio iſta legitur, ſicut & apud Tertullianum Iuridicina. Iudicinam & ab Apuleio vſurpari notauit Cujacius; ſed pace tanti viri diſquiri poterit, an Iudicina *h* potius, vt vulgari codices habent, legi debeat & teneri, pro indicatione ſcilicet ſoluti errantiſque pecoris proprio domino reſtituendi. *Ammi. libr. 30. Tertull. libr. de pallio. Cujac. 4. obſ. vlt.*

b Sinceræ fidei amici præcipuè in aduerſis rebus cognoſcuntur: In quibus quidquid præſtatur, totum à conſtanti beneuolentia proficiſcitur. *Valer. Max lib. 4. cap. 7. in prin.*

c Amicos & pro teſtibus & pro Aduocatis Veteres poſuerunt. *Donat. in Phor. Teren. act. 2. fin.*

d Aduocatus eſt qui in iudicio aut ius ſuggerit alicui, aut illi præſentiam ſuã accommodat. *Aſcon.*

e Aduocatos accipere debemus omnes omnino qui cauſis agendis quoquo ſtudio operantur. *l. 1. §. 11. ff. de extraord. cog.*

f Multum me intra ſilentium tenui, accepi enim non minus interdum oratorium eſſe tacere, quam dicere, atque adeo repeto, quibuſdam me capitis reis, vel magis ſilentio, quam oratione accuratiſſima profuiſſe. *Plin. 7. Epiſt. 6.*

g Horum temporum diſerti, Cauſidici & Aduocati & Patroni, & quidvis potius quam Oratores vocantur. *Tacit. dialog. de Orato.*

h Infit deierans nullum ſemet vidiſſe ductorem, ſed planè comitatum, ſolutum & ſolitarium ob indicinæ præmium occupaſſe, domino tamen ſuo reſtituturum. *Apul. 7. Metam. verſ. fin.*

Denique Aduocatio Conſolatio dicta eſt, viciſſimque pro con *Clemẽs Alexãd.*

solatione vsurpata est Aduocatio, ita vt plerique alteram pro altera scripserint : sic Clemens *i* Alexandrinus : *Consolatorem habemus apud Patrem Iesum Christum.* Sic Septuaginta ; *Loquimini l ad cor Ierusalem & consolamini eam :* & vice versâ Tertullianus ; *Spiritus Domini super me, misit me aduocare m languentes :* Et iterum : *Sicut probaui mendicorum Aduocatorem?* Et alio in loco : *Væ vobis diuitibus, quoniam recepistis Aduocationem vestram ;* Denique : *Talibus & Aduocatio & risus promittitur :* eleganti cæteroquin à verbo Græco παράκλησις formatâ confusione, nec prorsus extra rem, quæ maior enim consolatio quàm quæ oppresso obuenit ex potenti patrocinio ; imbecilli, ex strenua defensione ; periclitanti, ex constanti aduocatione ?

in 1. Ep. Ioan. cap. 2. — Isa. 40. vers. 2. — Tertull. 4. adue. Marcio. 14. — Id. ibid. cap. 15. — Id. lib de Patientia cap. 11.

i Aduocatũ habemus apud Patrem Iesum Christum 1. *Ep. Ioan. cap. 2.*

l Loquimini ad cor Ierusalem & aduocate eã. *Isa. 40. v. 2.*

m Vt consolarer omnes lugẽtes. *Isa. 61. v. 2.*

CAPVT II.

Finis & origo Aduocationis.

IN alterum autem ferri Aduocationem haud potest ambigi, neque enim vllus à se ipso aduocari, neque sibimet adesse aut patrocinari concinnè dicetur vnquam. At quamuis alterum respiciat, non quemuis tamen, sed oppressum, sed læsum ; nec satis læsum, nisi & innoxium, non enim tam infortunio mouetur quàm infortunij causâ quæ leuamen nescit afferre, nisi & ab ipsa ratione datum & ab ipsa iustitia comprobatum, vnde pereleganter ab Ambrosio, *Pietatis a officium* appellatur. Finis igitur, alienæ miseriæ subleuatio est, non quâcumque viâ, sed iustâ ; origo verò, ipsa humanitatis ratio, quâ miseris nedum compati, sed & succurrere compellimur, adhibitâ tamen in omnibus æquitatis lege ; normâ iustitiæ, rationis face, adeo vt, *b* secundum Augustinum, & misericordia præbeatur & iustitia conseruetur.

Sed & hinc patet quàm antiqua fuerit Aduocationis origo, non à prima huiuscemodi misericordia deducta est : Quando autem prima illa misericordia, nisi quando prima patientia, quæ Tertulliano *c* misericordiæ mater est? Quando verò patientia prima, nisi *d* quando indignatio prima ? At ista, vel in Deo, primum sequuta crimen est quo fuit ab origine mundi occisus agnus : extunc enim & patientia probata, & misericordia loquuta, & acta causa, & venia petita, & incarnatio decreta, sapienter adeo sese habente diuinâ sapientiâ, vt & præbita fuerit misericordia & conseruata iustitia. Obmutescat quæso post hæc Stoïcæ disciplinæ incentor *e* fatuus: Iam sapientis est & misereri & succurrere, imo sapientis proprium *f* misereri cuius & pati. En verbum æternum de primi hominis *g*

Apocal. 13. v. 8. — D. Tho. part. 3. q. 1. ar. 3

a Et Aduocatus & Iudex est ; in altero pietatis officium, in altero insigne est potestatis. *Ambros. in Lucam, lib. 5. cap. 6.*

b Misericordia est alienæ miseriæ quædam in corde nostro compassio quæ vtique si possumus subuenire compellimur, seruit enim motus iste rationi quando ita misericordia præbetur vt iustitia conseruetur. *Aug. 9. de Ciuit. Dei. cap. 5.*

c Per patientiam misericordiæ matrem. *Tert. de patientia c. 3.*

d Hinc prima iudicij, vnde delicti origo: hinc Deus irasci exorsus, vnde offendere homo inductus : Inde in Deo prima patientia, vnde indignatio prima. *Idem ibid. cap. 5.*

e Non miserebitur sapiens, sed succurret. *Seneca 2. de Clement. cap. 6.*

f Deus cui proprium est misereri semper. *Eccl.*

g De parentis protoplasti fraude facta condolens, quando pomi noxialis morsu in mortem corruit, Ipse lignum tunc notauit damna ligni vt solueret. *Eccl.*

fraude condolens, seductionem humani generis miseratum *h*, ei succurrit caro factum in plenitudine temporis, iudicisque *i* partibus recusatis, Aduocati peractis *l*, nec non consummato mediatoris officio dum pro sua reuerentia exauditum est, ADVOCATVM ETIAMNVM IN COELIS SE GERIT NOSTRVM.

Ioan. 1. v. 14. Galat. 4. v. 4. Hebr. 5. v. 7. Ioan. 1. cap. 2. v. 1.

h Id Verbum, quod à nobis Filius Dei nominatur, errorem & seductionẽ humani generis miseratũ, natum est ex muliere. *Spiridion apud Niceph. Call. lib. 8. cap. 15.*

i Quis me constituit iudicem inter vos? *Luc. 12. v. 14.*

l Orat ergo Dominus non vt pro se obsecret, sed vt pro me impetret: nam etsi omnia posuerit Pater in potestate filij, filius tamen vt formam hominis impleret, obsecrandum putat parentem esse pro nobis, quia Aduocatus est noster. *Ambros. in Lucam 5. cap. 6.*

At cùm Verbum dicimus statim ab Adami lapsu generis humani suscepisse patrocinium, nequaquam tamen mediatoris extunc impleße partes asserimus. Origenes id euomat, *m* nobis tutior fides est & sanctior; illud vnum volumus, de succurrendo decretum, è misericordia; misericordiam, è patientia; patientiam è culpa innotuisse nobis, quidquid enim Tertullianus dicat, misericordiam econtrà patientiæ putamus matrem, siquidem NON PATERETVR DEVS NISI MISERERETVR.

En prima ergo Aduocationis origo, quam è cœlis inficiari non possumus; abactâ cæteroquin fabulosâ de Diis scenâ quos Homerus bellantes ad inuicem confingit, eò quòd alij contra alios patrocinia vel hominum vel gentium suscepissent.

m Quod Verbũ quidem in fine sæculorum homo factus est Iesus Christus; sed ante hunc manifestum in carne aduentũ, mediator quidem erat hominum, sed nondum homo; erat tamen & tunc mediator Dei & hominum. *Origen. in Apolog. Pamphili Martyr. cap. quod vnus sit Christus Filius Dei.*

CAPVT III.

De prima in terris Aduocatione.

SEd si prima in cœlis defensio vociferata est, prima in terris vocem extulit accusatio, illic gratiâ, isthic vindictâ, illic veniâ isthic pœnâ se prodente, vt è tam diuerso agendi genere, binæ quas amplecteretur Aduocatio partes innotescerent nusquam iustitiâ destitutâ, nec enim sine ratione accusatio instituta est iniuriam vltura, culpam prosequutura.

Iacebat humi proprio fœdatus sanguine, quâ seruari debuisset fraternâ cæsus dexterâ, nouum toti naturæ spectaculum mortem opertæ nondum expertæ; adsunt parentes, iam maior pars orbis, non fato, quod absit, sed eorum gressus dirigente numine, vt ex informi cadauere, interminatam sibi pœnam agnoscerent, MORTISQVE VOCABVLVM, E PRIMO CAPERENT RVDIMENTO. Reuoluunt corpus rigidum & mutum, éque vitalis priuatione spiraculi, statum in quem tenderent, exhorrescunt simul & plangunt. An natum, an seipsos luxisse asseremus? Siluit de isto scriptura planctu, parentumque in funere filij tacuit officium, conceptu facilius quàm fatu. At quare non saltem vindices referuntur? Adeone, ô Eua! *a* debuisti gaudere de possessione hominis qui te de pos-

a Concepit & peperit Caïn dicens, possedi hominem per Deum. *Genes. 4. v. 1.*

ſeſſione filij deturbaturus erat? Quid de iſto cenſes qui binis quos paſſa es fœturæ doloribus, acerbiores orbitatis ſuperinduxit ærumnas? Refugis-ne extinguere ſcintillam *b* tuam, viduatumque *c* quarto ſuo mundum incolâ dimidio quem poſſederat orbare numero, & iam non viuentium matrem dici, ſed peremptorum, imò materno prorſus honore & titulo ſpoliari? Quid item ô infœlix Pater de tanto ſcelere cogitas? En primogenitus ille tuus fratricida factus eſt, verè principium doloris tui: Quid igitur moraris in illum capitale ferre iudicium? An exhorreſcis tuam è terra exterminare memoriam, vel potius refugis miniſtrum punire necis cuius ipſe Author es, per te ſiquidem mors? Verùm humaniorem ſequuti ſententiam, teſtes dicamus & arbitros defeciſſe, nec fuiſſe iuris de ſcelere non conuictum è ſola damnari coniectura. Exſurgit igitur apud iudicem omniſcium Aduocatio potens; ſolemnis aduerſus reum inſtituitur accuſatio, quique effuſus ſanguis erat, vocalis *d* fit, necnon terra loquax, innoxio cruore animata. Et ſanguis teſtis *e*, & terra teſtis eſt, vt in duorum clamore, & de ſcelere admittatur teſtimonium, & innocentiæ patrocinium audiatur. Auditum eſt equidem, imò exauditum, fatente reo maiorem omni veniâ ſuam eſſe iniquitatem, quo in exemplo ratione, non vi; linguâ, non manu; voce non ictu nouimus inſtitutam aduocationem, eamque vel à naturæ incunabulis haudquaquam à teſtimonio ſeparatam.

Geneſ. 3 verſ. 20

Geneſ. 49. v. 3

Geneſ. 4. v. 14.

b Quærunt extinguere ſcintillam meam quæ relicta eſt, vt nõ ſuperſit viro meo nomen & reliquiæ ſuper terram. 2. *Reg.* 14. v. 7.

c Soli eratis cũ duobus parentibus. *Ambr. lib. 2. de Caïn & Abel cap. 7.*

d Ab initio vocalis eſt ſanguis. *Iren. lib. 5. cap. 14. in princ.*

e Vox ſanguinis fratris eſt quæ ad me clamat: *& paulò poſt:* Eſt enim terra teſtis quę cœpit ſanguinẽ. *Ambr. lib. 2. de Caïn & Abel. cap. 9.*

CAPVT IV.

Quænam in lege naturæ Aduocatio fuerit?

NAturæ legem hîc accipimus in laxiori ſignificatu, pro ea ſcilicet quæ ad Moſaïcam vſque viguit, & à lege lata communiter diſcernitur; totum igitur illud tempus (licèt non ea tantùm quæ à iure naturali deſcendunt, ſed vniuerſa etiam quæ à iure gentium duxere originem vbi vis ferè terrarum iam inualuiſſent) per legem naturæ deſignari ſolet, ſub qua multi Reges iuſti, etiam extra lares Abrahæ & Iacob floruerunt, quos inter Melchiſedech & Abimelech & Iob nominatim recenſentur. Plura autem de matrimoniis, dotibus, emptionibus, ſepulturis & hæreditatibus in ſacris inuenias paginis quàm de iudiciis & foro, nec vllam capitalem ſententiam, quàm quæ à fraudatore Iuda in iuſtiorem ſe ipſo fœminam præcipitanter lata eſt, prægnante muliere fœtuque ipſius, licèt innoxio, inclementer ignibus deputatis. Non alia autem inceſtæ nurui quàm in ſoceri ſeruatis extitit defenſio pignoribus, quibus agnitis, & à ſententia Prætor receſſit, & à parato continuit ſe populus ſupplicio.

Geneſ. 14. v. 18. 20. v. 5. 6. Iob. c. 1. Geneſ. 28. verſ. 25. 26.

Nonnulla tamen in libro Iob videre eſt, quæ non tantùm iudiciorum oſtendunt formam, ſed & modum defenſionis in iudicio: nam & ipſe ad portam ciuitatis proceſſiſſe dicitur iudicio indutus, veſtitus iuſtitiâ; liberaſſe pauperem vociferantem, pupillum cui non

Iob. 29. v. 7. 12. 14. 16. 17.

erat adiutor. Causam insuper quam nesciisset inuestigasse, & de dentibus iniqui eripuisse prædam. Denique numquam detrectasse cum seruo suo, cum ancilla sua subire iudicium; quapropter Hieronymus seu quisquis alius fertur Author Commentarij in Iob, *negotia*, inquit, *causasque pauperum contra potentes suscipiendo, defensor eorum factus erat*: Et Origenes, *docens*, ait, *se non neglexisse boni & æqui custodiam, sed primâ luce egredi solitum, & defendere eos qui opis indigerent.* Haud sanè ambigendum est, iudiciorum, rudem licèt, in lege naturæ extitisse normam, consequenterque defensionis alienæ apud Iudices admissam rationem, cùm vel amici, vel agnati seu verbis, seu præsentiâ, seu quocumque alio modo iniuriam vel passos vel repellentes adiuuarent; Nos certè vidimus inter Arabes Turcasque Tunetanos defensionis seu Aduocationis illius priscæ vsum frequentem, non à paucis excogitatum annis, sed à primæuis Abrahæ sæculis constanti indiscretâque serie ad nostra etiam transmissum tempora, sicut & alia Polygamiæ, pecorationis, tentoriorum similiumque instituta, de quibus iam alibi; vnde quod in illorum agendi ritu conspeximus, facilè nos mouet conjicere haud aliud in prisca de qua loquimur naturæ lege fuisse defensionis institutum.

Ibid. 31. v. 13.

Hieron. in Iob. cap. 29.

Origen. in Iob. cap. 29.

Sed & antequam ars oratoria forensibus accessisset negotiis, amici, vt iam attigimus, tum apud Græcos, tum apud Romanos aduocabantur, qui vel reis, vel accusatoribus adessent, vnde Virginius sordidatus filiam secum obsoletâ veste, comitantibus aliquot matronis, cum ingenti Aduocatione in forum deduxisse perhibetur, ibique adstantes prope concionabundus circumisse. Sic Plautus.

Liuius decad. 1. lib. 3.

Plaut. in Epid.

Res magna amici apud forum agitur
Ei volo ire Aduocatus.

Et Terentius.

Terent. in Phormio. act. 2. fine.

Inde ibo ad forum; atque aliquos mihi
Aduocabo amicos qui ad hanc rem adsient
Vt ne imparatus sim.

Et iterum Plautus. *Perij miser*

Plaut. in Amphy. act. 2.

Quid ego quem Aduocati iam omnes atque amici deserunt!

Hæc porro apud Turcas Arabesque Tunetanos Aduocatio non promiscuè, sed tantum in maioris momenti negotiis, vel cùm partes quæ litigant illustriores sunt, adhibetur; in cæteris causis, vel vbi viliora sunt disceptantium capita, ipsæmet partes negotia sua enarrant apud Regem, Proregem, Diuanium, Muphitem, aliosque ordinarios Iudices.

CAPVT V.

An & qui Aduocati fuerint apud Iudæos.

ADuocatos apud Iudæos extitiſſe qui peculiarem iudiciorum aleam ſubeuntibus ex inſtituto ferrent opem, refert Brodæus noſter ex Aurelio Calabro & Bochello, eoſque Græcè σοφοὺς, Latinè Sapientes appellatos, pro ea quam litigantibus operam darent, ſtipendia meruiſſe è publico, ſolos poſtea ſuo ordine tribunalia conſcenſuros; at pace vtriuſque Authoris illius dixerim, non aliam apud Iudæos quàm in lege naturæ extitiſſe Aduocationis profeſſionem, ita vt partes ipſæ ſuas apud Iudices cauſas dicerent nullorum fretæ patrocinio, quàm quos aduocaſſent ſibi ſeu affines ſeu amicos. Id vel ex lege Moſaïca cognoſcere poſſumus, in qua ne vllum quidem de Aduocatis, Patronis, Cauſidicis verbum reperire eſt: ſed & inſuper quæcumque in ſacris paginis iudiciorum recenſentur exempla, partes ipſaſmet loquutas perhibent, familiariumve, ſi res poposcerit, ſtipatas turmâ. Sic Booz iacentes Elimelech agros Mahaloniſque derelictam vxorem ſibi cedi iudicialiter obtinuit, accepto etiam in ceſſionis obfirmationem propinquioris agnati calceamento. Sic quoque Regibus *a* vt iudicarent populum conſtitutis, & ſcintilla matris vnica ab inſurgente cognatione extingui non paſſa; & vulgo quæſito partui, certa ex incertis mater agnita & ſeruata; & Sunamitidi reſtituti ſunt agri nemine prorſus diſceptantibus adſtante; ſi autem ſic ſe habebant contendentes apud Regium & ſummum Tribunal, quantò magis apud inferiores Iudices qui ſedebant ad portas ciuitatis?

Brod. ad Conſuet. Pariſ. art. 125. num. 5.

Ruth. cap. 4. 2. Reg. 14. v. 8. 10. 3. Reg. 3 v. 27. 4. Reg. 8. v. 6.

Sed quod genuinæ Aduocationis qualem iam dixi formam oſtendit, iudicium ipſum eſt in pudicam Suzannam latum. Vocatur in crimen innocens, imò trahitur, longoque ipſi *b* adhærent agmine parentes, filij, cognati, lachrymis, ſi non verbis eius habituri defenſionem; ſiſtitur coram populo, diſcooperitur, eoſque ſuæ pudicitiæ agnoſcit calumniatores quos haberet & teſtes. Quis poſthæc innoxiæ defenſionis modus? Silet & flet, ſuſtinetque ſi quando decore ſuo ſatiari expetentes moueantur & dolore; verùm vrgent falſidici, & quaſi non ſatis eſſet quâ torquentur libidini formoſam vultus ſpeciem auidis delibare oculis, ſacrilegas geſtiunt *c* manus pudico ſuperponere corpori, vt quod obſcænis non potuerant ſpurcare complexibus, vel iudiciali ritu gaudeant attrectare. Tùm confictum enarrant adulterium, linguâ vnanimi adeoque ſubdolâ, vt eiuſdem admittantur teſtes flagitij cuius erant delatores. Sed lege tenetur cauſa; duo ſunt: Senes, Preſbyteri, Iudices; *in ore duorum quodcumque verbum ſtare debet.* Damnatur igitur ad mortem Suzanna, *d* ipſiuſque familiares, vt ſcitè ait Zeno Veronenſis, nouitate rei perculſi, demiſſis capitibus omne defenſionis ſtudium abjiciunt, cùm inſperatò adeſt in Daniele puero Deus. Confeſtim ad tribu-

a Conſtitue nobis Regem vt iudicet nos. 1. *Reg. 8. v. 5.*

b Et venit cum parentibus, & filiis vniuerſis cognatis ſuis: porro Suzanna erat delicata nimis & pulchra ſpecie, at iniqui illi iuſſerunt vt diſcooperiretur (erat enim cooperta) vt vel ſic ſatiarentur decore eius: flebant igitur ſui & omnes qui nouerant eam. *Daniel. cap 12.*

c Conſurgentes autem duo Preſbyteri in medio populi poſuerũt manus ſuas ſuper caput eius, quæ flens ſuſpexit ad cœlum. *Daniel. ibid.*

d Iam ſui quoque familiares

nal recurritur, causa iteratur, suscipit puer, an Patroni partes an Iudicis: Et sanè, sedeat licèt, cui datus est à Domino senectutis honor, defensor tamen pudoris efficitur, sub cuius patrocinio *e* FATIGATA IN TERRIS VERITAS RESPIRAT, CASTITAS TRIVMPHAT.

Non negauerim tamen Sapientes apud Iudæos extitisse, quos rudior plebs consuleret, quantùm quisque qualibet in re iuris haberet, aut ad agendum aut ad excipiendum, ita vt σοφοὶ illi quasi responsores essent, in seminarium relati potestatum seu Iudicum, suo gradu, suo tempore & ordine tribunalia impleturi, á muneribus tamen & xeniis iussi abstinere, iis contenti stipendiis, quæ forsan illis è decimarum congerie præstabantur. Sic & Tuneti (qua in ciuitate decem Iudæorum numerantur millia) consuluntur sapientiores ab imperitis; at nequaquam verisimile est ex istorum Sapientum fuisse instituto causas apud Iudices peragere, & quoscumque litigantes tueri in iudicio, quemadmodum hodie Aduocati è sui profitentur ordinis ratione. Imò vniuersis, nedum liberum & licitum, quin & impositum, vt ita dicam, erat gratuitæ Aduocationis *Isa. 1. v. 17.*
in oppressos officium, quasi haud spernendum opus misericordiæ. *Psalm.*
Eóque tendere videntur toties in sacris paginis repetita monita, *9. v. 35.*
imò iussa, *subuenite oppresso*, *defendite viduam*, *tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor*, & similia passim.

Quantùm ad Oratores, nequaquam admissos fuisse eos in foro Iudaïco mox patebit ex iis quæ adducemus; vnicus certè *f* Tertullus eo insignitus titulo se prodit in Apostolorum Actis: sed forsan quia in Romano foro actitanda erat Iudæorum aduersus Paulum causa.

nouæ rei atrocitate perculsi miserabiliter ingemiscentes demissis capitibus omne studium defensionis abjecerant. *Et paulò post.* Cùm subito, quauis versutia qui fallitur nūquam confestim adest in Daniele puero Deus. *Zen. Vero. serm. de pudicitia vers. fin.*

e Stupet populus pro iudicio repentino: reuocatur ad dicta, falsos testes pauor inuadit, gemit diabolus quod ipsius cōmenta nudantur: gaudent Angeli de pudoris integritate comperta, quod defendatur in terris veritas fatigata. *Aug. serm. 242. de tempore.*

f Descendit Princeps Sacerdotum Ananias cum senioribus quibusdam, & Tertullo quodam Oratore. *Act. Apo. 24. v. 1.*

CAPVT VI.

De ritu Aduocationis apud Ægyptios.

MOsen Philo *a* commemorat numeros & Geometriam vniuersamque Musicam, sed & occultam insuper Philosophiam litteris descriptam hieroglyphicis, ab Ægyptiis accepisse Doctoribus, at eloquentiam siue Rethoricam nullatenus edoctum perhibet. Licèt enim subiungat reliquas liberales disciplinas inibi Græcos docuisse, quis tamen eloquentiam artemque oratoriam ex tunc floruisse credat, Cecrope vix dum nato *b*, nec nisi aliquantò post

a Itaque (Moses) numeros & Geometriam, vniuersamque musicam, rithmicam, harmonicam, metricam, siue contemplatiuam, siue per instrumenta vocesque promentem se modis variis accepit ab Ægyptiis Doctoribus: & insuper occultam Philosophiam descriptam litteris (vt vocant) hieroglyphicis, hoc est notis animalium quæ ipsi venerantur etiam pro numinibus, reliquas liberales artes Græci docebant. *Philo. lib. 1. de vita Mosis paulo post init.*

b *V. Eusebij Chronicon. an. mundi 3640. & 3670.*

conditis

conditis Athenis, quâ in vrbe primum, teste Tullio,*c* se orator extulit, primùmque etiam monumentis & litteris oratio cœpta est mandari: sed licet Tulliana illa authoritas parum authoritatis hacce in materia temporum obtinere videretur, & quæ de Antiphonte Rhamnusio feruntur, iam obsolescerent, certum tamen est, vel Diodoro teste, forensem ab Ægypto exulasse eloquentiam, *c* neque dicendi arte, sed scribendi tantùm; & partium quæ disceptarent iura discussa, & iudicum qui præessent informatam Religionem. Cùm igitur & qui agerent, suam in scriptis complecterentur intentionem, & qui conuenirentur, actionis sibi editæ in scriptis etiam eliminarent modum, exceptionibus quæ de iure competerent enarratis, liquet & necesse est nonnullos ex instituto peculiari delectos, qui legum edocti scientiam litigantibus succurrerent, aliorum intentionem, aliorum defensionem scriptis enarrando; neque enim plebecula vniuersa, characteres exarare, neque qui didicissent scripturam iura sua concinnè & remotis ambagibus explicare valuissent.

Is priscus apud Ægyptios iudiciorum fertur ritus: existimantes, ait Diodorus, accusantium excusantiumque altercatione & scriptis veritatem maximè elici posse, cùm eis, neque oratione dicentis, neque periclitantium lachrymis, neque ius dantis misericordiâ, iudicia peruerti quirent. Præclarus sane in detegenda veritate populorum animus, quâ exulante iustitiam norant expelli, ideoque supremi iudiciorum Principis ornamentum collo appendi voluerant, peculiari nomine, veritas, appellatum.

c Maximè mihi occurrunt & quasi lucent Athenæ, quâ in vrbe primùm se orator extulit, primúmque etiam monumētis & litteris oratio cæpta est mandari. *Cicero in Bruto num.* 30.

d Inter se eligebant optimum virum quē iudicij principem constituebant; in locum cuius ciuitas aliū iudicem substituebat, his omnibus victum, sed principi opulētior à Rege dabatur; is aurea catena signum variis ornatum lapidibus à collo suspensum, quod appellabant veritatem, gestabat: Cæptis iudiciis, ac signo veritatis à principe iudicum proposito, omnibusque legibus, quæ octo libris continebantur, in medio eorum constitutis mos erat accusatorem scribere ea in quibus alium accusabat, modumque patrarat injuriæ aut damni facti, quantique eam æstimaret scribere. Reo tempus dabatur rescribendi ad singula, & aut se id non fecisse, aut rectè fecisse purgandi, aut injuriam vel damnum minoris æstimandi, rursus accusatori reoque inuicem respondendi locus erat. Ita bis auditis litigatoribus cùm iudices de controuersis quæsissent, Princeps signo veritatis in veriorem partem verso sententiam ferebat. Hic mos iudiciorum apud Ægyptios existimantes accusantium excusantiumque altercatione & scriptis veritatem maximè elici posse. Sanè oratorum ars, hypocritarum fraudes, lachrymæ periclitantium multos à recto veroque iudicio auerterunt, videre equidem licet, aut errore, aut affectione aliqua, aut misericordia, aut oratione dicentis sæpius reos fuisse à iudicibus absolutos: verùm si aduersantium scripta penitus intelligantur, existimarunt iudicari rectius veluti notâ veritate posse, cùm neque ingenio, neque astutiâ, neque mendacio, neque arte iudicia peruerterentur, sed cuique esset commune ius, tùm quia tempus dabatur accusatori reoque ad disceptandum, tùm quia iudices ex eorum responsis elicerent veri iudicij modum. *Diodo. Sicul. lib.* 2.

CAPVT VII.

Eloquentia in foro Attico admissa.

Cicero. 2. Rth. num. 2.

ETsi non liqueat quo primùm tempore eloquentia nata fuerit, aliique conditoribus vrbium & legum latoribus, alij tyrannidem ambientibus & assecutis, alij ingenitæ cuidam necessitati, vt ita dicam, vel se ipsum defendendi, vel alterum accusandi huiusce

artis tribuant originem, in confesso tamen est apud omnes, eam nonnisi post multa sæcula aduocationi inseruiisse, foroque primùm accessisse Cecropio. Primus etenim *a* Pericles, quem oratorum omnium perfectissimum extitisse Socrates *b* Phædro renuntiat, exercitationem mentis à reconditis abstrusisque rebus ad causas forenses traduxisse perhibetur: Anaxagoræ quippe præclarus ille discipulus, vniuersæ naturæ amplitudine pernotâ, tantum ex ea cognitione trahebat, quantum ad dicendi rationem profecturum æstimasset. Istius ergo, subdit Tullius, suauitate sermonis maximè exhilaratæ sunt Athenæ, & vbertatem miratæ, & vim dicendi veritæ. At quanta ante *c* Periclem tempora effluxerant, in quibus, nedum apud Græcos, sed speciatim apud Athenienses, & leges fuerant conditæ, & exercita iudicia, & fora frequentata? Solon *d* sanè iamdudum Draconis legibus sanguine cæmentatis humaniores superinduxerat, obscuriores tamen, ita vt multarum eo viuente fuissent litium examina & semina, dum pro nutu ferè iudicantium, interpretationem tabulæ acciperent. Sed & Homerus *e* quatuor & amplius Solone anterior sæculis fororum seu concionum forensium meminerat & legum: iamque quatuor aliis antea ætatibus constitutum *f* fuerat Areopagi iudicium, à cuius ortu, si ad Phoroneum vsque qui primus *g* post diluuium leges condidisse fertur, velimus ascendere, totidem alia reperiemus effluxisse sæcula. Cùm igitur toto eo tempore iudicia reddita fuerint, conuocatæ curiæ, lites discussæ, an alia quàm quæ in lege naturæ recensuimus Aduocationis officia, quisquam vel Athenis exhibita reputabit? Hinc apud Plautum *h* duobus circiter Pericle recentiorem ætatibus, genuinam priscæ illius Aduocationis formam non rarò inuenire est, cùm nempe è rebus plerumque Athenis pridem gestis aut euenisse confictis, suorum Author ille sumpserit dramatum argumenta.

Quintil. 3. Instit. 2

Plutarch. in Solone.

a Sed tum ferè Pericles, primus adhibuit doctrinam, quia quãquam tum nulla erat dicendi, tamen ab Anaxagora Physico eruditus, exercitationem mẽtis à reconditis abstrusisque rebus ad causas forenses popularesque maximè traduxerat: huius suauitate maximè hilaratæ sunt Athenæ, huius vbertatẽ & copiam admiratæ: eiusdẽ vim dicendi, terroremque timuerunt. *Cicero in Bruto. nu. 33.*

b Videtur, mi Phędre, nõ immeritò Pericles oratorum omnium perfectissimus extitisse. *& paulo post,* Anaxagorâ enim vsus est familiariter, qui huiusmodi res tractabat: Illiusque consuetudine sublimium illarum rerum cognitione repletus est, vniuersamque naturæ amplitudinem pernouit, ad mentis & dementiæ notitiam peruenit, quibus de rebus Anaxagoras copiosè disseruit: Itaque ex illa rerum cognitione Pericles tantum attraxit atque transtulit, quantum ad dicendi rationem profuturum existimabat. *Plato in Phædro.*

c Pericles floruit circa annum mundi 3548. *Amiot. in Tabul. Chronolog. Plutarchi vitis præfixa.*

d Solon floruit ann. Mun. 3381 *Amiot. ibidem.*

e Homerus natus est an. Mun. 2968. *Dionys. Petau. in Tab. Chronolog.* ἔντ' ἀγοραὶ βουληφόροι, οὔτε θέμιστες. *Odyss. 9.*

f Areopagi iudicium constitutum est an. mun. 2475. *Petau. ibid.*

g Phoroneus primus leges condidit circa an. mun. 2100. *Petau. ibid.*

h Plautus floruit circa an. mun. 3770. *Petau. ibid.*

Non negandum igitur multo ante Periclem eloquentiam viguisse, nam & Themistocles & Callisthenes recensentur inter haud obscuri nominis oratores; & Solon insuper necnon Draco leges de oratorum tulerant disciplina; sed si Tullio credamus, à Pericle primùm forensis facta est aduocationique mancipata; quo quidem ex tempore cùm ipsius vtilitas tum in accusando tum in defendendo maxima, imo summa deprehensa fuisset & probata, Aduocatis seu amicis adiungi cæpti sunt oratores, quò potentior adstrueretur ac-

Æschin. contra Timarchum.

cusatio, institueretur defensio. Hinc peculiari cura orationes concinnatæ, elaboratæ conciones, actiones absolutæ: cumque ab initio rariores essent huic suppares muneri, scribi cœptæ sunt à peritis orationes, quas iudicia subituri recitarent. Id primùm ab Antiphonte Rhamnusio factitatum Clemens Alexandrinus, Plutarchus, Ammianusque referunt, quem Lysias imitatus perhibetur, quin & Isocrates & Demosthenes ipse non sanâ tamen omnino famâ; Isocrates enim *i* sæpius in iudicium vocatus est tamquam violatarum legum reus, cum subministrare diceretur quo quis circumueniretur in iudicio; vnde factum vt orationes aliis scribere destiterit; Demosthenes vero pessime audiuit, cum in eadem causa actori *l* & reo quasi binos enses quibus se mutuis confoderent ictibus binas scripsisset orationes. Vtroque fœlicius se habuit Æschynes Lisaniæ filius; reuersus enim Athenas nec Philosophiam ausus edocere, totum scribendis innocentium se dedit causis, quas vocati illi in iudicium recitarent.

Clem. Alex. 1. Stromat. Plut. in 10. orator. Ammi. lib. 30. Cicero. in Brut. nu. 33.

i Similiter Isocratem primo artem dicendi esse negauisse: Scribere autem aliis solitum orationes quibus in iudiciis vterentur, sed cùm ex eo, (quia quasi committeret contra legem quo quis iudicio circumueniretur) sæpè ipse in iudicium vocaretur, orationes aliis destitisse scribere. *Cicero in Bruto num. 33.*

At quod summoperè notandum, vix vllas imitatrices habuerunt Athenæ ciuitates quas legum seuerior instituisset disciplina; vnde, vt *m* refert Tacitus, nec Lacedemonij, nec Cretenses, nec Macedones, nec Persæ oratores inueniuntur, subiungam igitur haud immerito, nec Iudæi, nec Ægyptij.

l Fertur etiam orationem in Timotheum Imperatorem, quâ vsus Apollodorus hominem eum æris alieni conuicit, scripsisse Apollodoro: Quemadmodum & orationes in Phormionem & Stephanum, ob quas non injuriâ malè audit, nam & Phormio scriptam à Demosthene orationem afferebat; in quo perinde faciebat ac si ex eadem officina pugiones venderet aduersariis, quibus se mutuò confoderent. *Plutar. in Demosth.*

m Quem enim Lacedemonium, quem Cretensem accepimus? quarum ciuitatum seuerissima disciplina & seuerissimæ leges traduntur. Nec Macedonum quidem ac Persarum ac vllius gentis quæ certo imperio contenta fuerit eloquentiam nouimus: Rhodij quidam, Athenienses plurimi oratores extiterunt, apud quos omnia populus, omnia imperiti, omnia, vt sic dixerim, omnes poterant. *Tacit. dialog. de oratore.*

CAPVT VIII.

Attici fori disciplina.

QVas autem Solon & Draco plurima ante Periclem tempora de oratoribus tulissent leges, seruatas etiam post admissam in iudiciali foro eloquentiam non vno ex loco possumus ostendere, cùm non minore gloriâ æstimata fuisset priuatorum apud iudices defensio, quam populi ipsius apud populum ipsum institutio. Earum autem quam suspicari possumus primam, oratorum spectasse conditionem verisimile est, seruilia scilicet respuentem capita, solaque ingenua admittentem; nam si denegabatur seruis *a* aduersus ingenuos actio, quomodo concessa fuisset illis apud ingenuos, pro ingenuis, aduersus ingenuos oratio? Inconcinnum haud dubiè fuisset, qui nec suus esset, adesse alteri, seruileque caput patrocinari ingenuo. Manserit licet vnà cum seruitute Medicina, imo & Philo-

a Lex inquit, non est hominis alicuius, neque enim seruis datur actio in ingenuos. *Vlpian. in orat. Demosth. contra Midiam.*

ſophia, non nouit dicendi libertas & orandi, ingenuitatis labem; ergaſtulum eſt ipſi ſedes anguſtior; neruo neſcit coarctari; in ſenatu diuerſatur, in foro exſpatiatur. Sanè, non ſublimia oris vnquam officia conceſſa fuere mancipiis, quibus non capitis ſed pedum vilia & infima, vel ipſo teſte nomine *b* miniſteria impoſita ſunt.

b Seruus peculiari nomine vocabatur à Græcis ἀνδράποδον.

Virile itidem orandi fuiſſe munus, fœminaſque ab eo ſecluſas vel ipſe quaſi innatus ſexui pudor facilè nos ſuadet. Rariores certè inueniuntur Amazones in foro quàm in bello; Duas tantùm *c* miratus eſt Romanus orbis, tertiam non tulit, quæ vtinam nec fuiſſet audita; illibatus poſtulationis honor fæminis remanſiſſet, earumque à foro abſtinentia pudori non petulantiæ tribueretur. Dum verò quas Romanis ſubjungeret non inuenit Valerius externas, Afraniam nullam apud Athenienſes compertam ſatis innuit. An autem in hoc prudentiores extitere quàm Romani? Saltem fœliciores euentus comprobauit, ſiquidem fortunatius eſt mala præuenire remediis, quam *d* è malis natis ad quærenda remedia prouocari: Eſto, permultæ fuerint vel Athenis Afraniæ, nulla tamen, vt diximus, ſe prodidit, nulla improbè ſe habuit in foro, nulla inuerecundè magiſtratum inquietauit; nec nobis Aſpaſiam quis obtendat Periclis amicam, Socratis Magiſtram, quaſi fœminis licuerit in foro agere Attico; Licet enim Rethoricen edoctam & docentem Plato eam referat; domi tamen nec ad omnes promiſcuè verba habuiſſe vel ipſe Socrates plus ſatis Menexeno innuit: & ſanè tot oratorum illa effectrix, cum ab Hermippo de diis malè ſentire accuſaretur, propriam non dicitur egiſſe cauſam, ſed è contra Pericles facundius peroraſſe lachrymis quam verbis perhibetur.

c Eæ fuerunt Amæſia Sentia, & Hortenſia: *De quibus Valerius Max. lib. 8. cap. 3*

d Fœminas prohibet pro aliis poſtulare. Et ratio quidem prohibendi, ne contra pudicitiam ſexui congruentem alienis cauſis ſe immiſceăt, ne virilibus officiis fungantur mulieres; origo verò introducta eſt à Caïa Afrania improbiſſima fœmina quæ inuerecundè poſtulans & magiſtratū inquietãs cauſam dedit edicto. *l. 1. §. 5. ff. de poſtul.*

Plutar. in Peri.

Plat. in Menexeno fin.

Plutar. in Per.

At neque indiſcriminatim viris ingenuis cauſas forenſes agere permiſerunt Athenienſes; delectum eorum qui dicerent lex habere voluit, nec niſi ab iis quos probaſſet, attrectari ſe paſſa eſt; probati verò cùm cenſeantur omnes quos non reſpuiſſet, breuiter quos indignos iudicaſſet vno veluti deſignauit vocabulo, ſcilicet, infames; *e* ſcitè Æſchines; qui turpem vitam egerunt, eos concionari non ſinit lex. Ne verò dictionis obſcuritas ex indefinita ſuboriretur materia, quadruplicem *f* infamiam è quatuor dumtaxat riuu-

Æſch. contra Timar.

e Cùm autem ignominioſus ſis, nec verba facere tibi licet nec decernere. *Demoſthen. adu. Andr.*

f Si quis publica verba fecerit qui patrem aut matrem verberat, aut non alit, aut eis domum non præbet, hos facere verba non ſinit, idque rectè, me herculè, meâ quidem ſententiâ. Cur? quod ſi quis erga eos officio non fungitur qui pari cum diis immortalibus afficiendi ſunt honore, is quo pacto alios tractabit & totam ciuitatem? quibus ſecundo loco habendis concionibus? Si quis, inquam, imperatas ſibi expeditiones non obierit, aut clypeum abjecerit. Rectè. Cur tandem? homo ei ciuitati, pro qua arma non ſumis, cuique ob ignauiam opem ferre non potes, ne conſilium quidem dare velis. Tertio, cum quibus agit? Si quis, inquit, meritricium quæſtum fecerit aut pudicitiam proſtituerit; nam qui ſuum corpus ad ignominiam vendiderit, eum etiam Reipublicæ negotia facilè vendit urum putauit: quarto loco, cum quibus agit? Si quis patrimonium aut hereditaria bona per luxum abſumpſerit, nam qui ſuam familiam malè adminiſtrauit, eodem modo Rempublicam etiam curaturum cenſuit, neque fieri poſſe exiſtimauit legiſlator, vt idem homo & priuatim eſſet improbus & publicè bonus, aut decere vt orator ſuggeſtum conſcenderet, qui orationes habendæ prius quam degendæ vitæ rationem duxiſſet: nam viri boni orationem quamuis nudam, quamuis ſimplicem auditoribus profuturam: hominis autem improbi qui & corpus ſuum riſui expoſuerit, & patrimonium turpiter deuorarit, quantumuis ornatum, non è re fore auditorum; hos ergo repellit à ſuggeſtu; his concionibus interdicit. *Æſchin. contra Timarchum.*

lis scaturire voluit: Si quis nimirum aut in parentes impius euasisset; aut patriæ defensionem publicaque sibi delata detrectasset munera: aut prostituisset pudicitiam meretricio addictus quæstui; aut luxuriosè viuens parta sibi à majoribus bona profusè dissipasset; quorum rationes capitum eleganter ab Æschyne redditas nemo qui leget poterit diffiteri.

Obæratis erga Rempublicam nonnisi post redditas rationes licuisse ad populum verba facere constat satis ex ea quam aduersus Androtionem Demosthenes orationem habuit; verùm id in publicis dumtaxat causis non in priuatis habuisse locum facilè crediderim. Censuerat insuper Æschines quoties legum violatarum institueretur actio, neque reo, neque accusanti concedendum Aduocatos sibi asciscere, sed nequaquam ipsius sententia obtinuit; itaque aduocationibus interdictos haud alios existimauerim quàm quos supra recensui.

Æschin contra Ctesiph.

Iam quoad fori dignitatem vel potius sanctitatem spectat, summoperè notandum est, lustrali *g* illud in circuitu conspergi solitum antequam de forensibus cognoscerent præsides negotiis, vt vel inde monerentur impudici, sibi nequidem intra fori septa progredi licitum.

Tum modestia *h* oratorum hisce instituta legibus perhibetur, vt scilicet, non seorsim de re proposita agerent, neque bis de eadem apud eosdem; conuiciis abstinerent ac maledictis, pedumque supplosionibus; nil importunius, deque rebus à suggestu alienis loquerentur cum legerentur suffragia; denique dimisso etiam senatu modestè se gererent, neque vllum concitantes, neque trahentes præfectum; iis qui secus fecissent quinquaginta, imò plurium si casus tulisset, drachmarum interminata mulcta.

Atenim haud abs re hîc disquiri poterit num mercenaria vel ex tunc Rethorum seu oratorum fuerit opera? agnoscimus sanè tum ex Æschinis tum ex Demosthenis orationibus, vtrumque quam plurima in mercenarios oratores effutiisse probra, licet ipsi non omnino à xeniis, muneribus, & honorariis se continuerint; sed & Antiphon Rhamnusius, *i* primus ob defensum negotium mercedem accepisse dicitur ab antiquis: Denique τὸ συνηγορικὸν ab Aristophane vsurpatur pro patrocinij mercede, drachma videlicet.

Cæterùm Aduocatis seu amicis additos oratores vel è solo contra Timarchum Æschine plus satis constat: separatim enim & Demosthenem causæ patronum & rei perstringit Aduocatos.

Demost. aduers. Andr. & in orat. de Coron. Præf. Nau. Æschin. contra Ctesiph Aristopha. in vespis. Æschi. contra Timarc. in fine.

g Quo pacto iubet Præsides de publicis negotiis agere? vbi lustralia circũgestata fuerint. *Æschin. ibid.* Forum aquâ lustrali in circuitu conspergi solitũ fuisse conjicio. *Hiero. Wolf. ad eum locum.*

h Si quis oratorum in senatu aut pro concione vel non, seorsim de re proposita, vel bis de eadem re apud eosdem dixerit: siue concionando, siue maledicendo alicui, siue pede supplodendo: vel inter decernendum importunè loquutus fuerit de rebus à suggestu alienis, vel aliquem cõcitarit, vel præfectum traxerit dimissa concione aut senatu; eius mulctãdi potestas esse penes Præsides vsq; ad 50. drachmas. *Æschin. ibid.*

i Antiphon ille Rhamnusi°, quẽ ob defensũ negotium omniũ primũ antiquitas prodidit accepisse mercedẽ. *Ammia. lib. 30.*

CAPVT IX.

Prisca fori Romani institutio.

ADuocationem apud Romanos non secus ac apud Athenienses eloquentiâ fuisse antiquiorem haud potest ambigi. Primus enim, *a* quem eloquentem fuisse & ita habitum memoriæ prodi-

a Quem verò exstet & de quo

tum fuerit, Cethegus à Tullio adducitur, ab ipsa oris suaui loquentia in Ennij carmine præcipuè commendatus: at cùm eius auditor Ennius *b* ipsemet perhibeatur extitisse, constat annis aliquot lege Cincia *c* seu munerali Cethegum fuisse posteriorem quæ iam aduocationes ex suo instituto gratuitas à corruptela munerum expiarat. Iterum, quamplurimæ ante istam legem, seu apud plebem, seu apud patres inueniuntur actiones absolutæ; nam & Censores iampridem *d* fuerant, & Tribuni *e* plebis creati, qua ex bina potestate tum accusationum scaturigo multiplex, tum defensionum necessitas inuecta; denique paulò antequam plebi Tribunitia fuisset concessa authoritas, Publicola *f* floruerat, potens facundiâ, strenuusque oppressorum in iudicio patronus.

Ad primam igitur si recurramus Aduocationis originem, in ipsas Romuli leges incidamus necesse est, qui ferus licet, *g* armorumque magis quam legum cognitor à Poëta referatur, ius tamen in sua ciuitate reddi voluit, haud substituram illam conjectans si peteretur, nec diceretur. Patribus igitur constitutis qui tribunalia implerent, potentiores è ciuibus voluit humilioribus adesse, eorumque suscipere defensionem, vt & clientelæ officiis & patrocinij auxiliis vltrò citróque exhibitis, perpetuo quasi fœdere sibi inuicem addicti fierent vnanimes. Nec me plus æquo quisquam dicere existimet, testis enim Plutarchus est, qui patronorum definit munus, clientibus enucleare iura; apud iudices adesse; ope prodesse & consilio. Tum *h* Plautus disertè seu in publicis seu in priuatis iudiciis patronos pro clientibus loquutos asserit.

Sed adsunt insuper Romuleïæ leges in quibus breui concepta formula, qui patroni essent, quid-ue deberent clientibus edicitur. Patres, aiunt, Sacerdotia & magistratus capiunto, Plebeiis Patroni sunto; dein: Patronus si clienti fraudem faxit, sacer esto. Quanta, quæso, Patrocinij Romulo cura, vt illius susceptionem nonnisi sacerdotia magistratusque impleturis committeret? quasi ad eos tantum spectaret homines in iure defendere, qui placare numen sacrificiis, iura dicere ciuitatibus pares essent, aut potius is tantùm conciui suo patrocinari esset idoneus, qui iudicis & sacerdotis natus esset partes absoluere. At iterum quàm sanctum, quàm sacratum Patrocinij fœdus & vinculum voluit Romulus existere, dum ab eo fraudem abesse iussit, fraudem, inquam, quo nomine nil non notauit incuriæ? vtque non tam humana fides quam diuina in Patrocinij susceptione sancita videretur, sacrum, id est, execrabilem quicumque eam falleret, declarauit. Iudicet inde quisquis fuerit priscæ antiquitatis studiosus inquisitor, an honoratius de foro Solon quam Romulus decreuerit. Seruilia equidem illa & turpia remouit ab eo capita: Iste ex ingenuis, non nisi Patricia, vt ita dicam, admisit.

Non me porrò fugit, vtrumque illud de Patronis caput decemviralibus insertum esse legibus quas vulgò duodecim appellamus tabularum; sed nihil obfuit nouas tum è Regiis & natiuis, tum ex Atticis & peregrinis iuribus conflatas leges, aliquot è priscis capita retinere.

a Et memoriæ proditum eloquentem fuisse & ita esse habitum, primus est M. Cornelius Cethegus. Cujus eloquentiæ est author & idoneus quidem meâ sententiâ Q. Ennius, præsertim cùm & ipse eum audierit & scribat de mortuo. *Cicero in Bruto, nu.34.*

b Ennius obiit anno mun.3815. *Petau. in tab. l. 3.i. ab vrbe condita. an.* 585.

c Lex Cincia lata est an. v c. 549. Cornel.& Sempronio Coss.

d Censores creati sunt ann. v.c. 310.

e Tribuni plebis creati ann. v. c. 260.

f Publicola floruit circa An. v. c.247. *Amiot. in Chronolog. Tabu.*

g Scilicet arma magis quam leges Romule noras Curaque finitimos vincere major erat.

h Iuris vbi dicitur dies (clientibus) simul patronis dicitur; quippe qui pro illis loquantur, male quæ fecerint, seu ad populum, seu in iure, seu ad iudicem. *Plaut. in Menechm.*

Plutar. in Publicola.

Plutar. in Romulo.

V. Carol Sigon. de antiquo iure ciuium Rom. lib. 1. *cap.*7.

CAPVT X.

Mercenariæ Aduocationes è foro Romano ſublatæ.

QVandoquidem lege opus fuit qua prohiberentur Aduocati ſeu patroni munus & donum ab iis accipere quorum cauſas agerent, eo ſanè deuentum fuiſſe neceſſe eſt, vt iam non gratuitæ, ſed munerariæ ſeu mercenariæ factæ fuiſſent Aduocationes: Et hoc quidem ſatis apud Liuiũ Cato ſubinnuit; verùm nondum mihi compertum eſt qua ſenſim de cauſa & à quo tempore in eam fuiſſent lapſi patroni ſpurcitiam; vt igitur quod conjicere potius quam aſſerere valuerim referam, non vna ſed multiplex ſocordiæ illius extitiſſe mihi videtur cauſa.

Patronis equidem grauior forſan clientum facta eſt ſenſim defenſio, cùm progreſſu temporis & major eorum numerus, & plura negotia, & difficiliora, vtpote plebeiorum ingenia, moleſtam tamdem, quæ primùm honeſta erat & modeſta, operam reddidiſſent. Accedere potuit, quod patrocinium, quo ſanctius iuratum, eo ſedulius ſibi debitum exiſtimauerint clientes, ſæpiuſque intempeſtiuè adeo præſtari flagitauerint, vt iam ſeruitus quędam patronis impoſita videretur. Inde difficiliores patroni redditi, & effecti, quorũ vt emolliretur animus, ad munera clientes recurriſſe plus ſatis veriſimile eſt; ſed & patronos nullatenus dona recuſaſſe, imo elicuiſſe dum ſegnius, iis deficientibus, ſedulius, iiſdem allatis ſe gererent, haudquaquam à re geri ſolita videtur alienum; vnde moleſtâ ſpecietenus, ſed lucratiuâ clanculum & medullitus effectâ patrocinij operâ, tantùm abfuit vt patres ſeu patricij ſuſceptionem clientum detrectarent, *a* quin potius optimi maximi, teſte Plauto, percuperent clientes ſibi eſſe quam plurimos. Denique ſi his addamus multiplicata iura, leges legibus additas, tribunalia tribunalibus adjecta, prætorem peregrinis datum ſicut & vrbanis; ignotis ſæpe nec vmquam redituris impenſam Aduocationis operam, haud forſan aberrabimus à ſcopo, dum hiſce ex conglobatis cauſis aſſeremus venalem tamdem factam fuiſſe Aduocationem.

Hoc autem malum plebs ſerò ſenſit poſtulauitque depelli, ſe ſiquidem, vt ait Cato, *b* iam vectigalem & ſtipendiariam ſenatui eſſe factam agnoſcebat: Quibus ex verbis liquet per quinque iam ab vrbe condita ætates, Aduocationis officium nuſquam à plebeiis vſurpatum fuiſſe, ſed patribus ſecundum inſtituta remanſiſſe illibatum. Lata igitur fuit lex, à Marco Cincio Tribuno plebis nomen ſortita, cuius caput vltimum, vt è Tacito conjicitur, *c* ne quis ob cauſam orandam pecuniam donum-ue acciperet, edicebat.

Plutar. in Mar. Cato. Hujus autem Porcium Catonem obſeruantiſſimum ſe præſtitiſſe Plutarchus tradit; nec mirum, vtpote quæ recens eo adoleſcente lata fuiſset. Attamen quàm ægrè fraus illi facta fuerit florente Republica, tum legum capita, tum Senatuſconſulta, quæ Nigrinus *d* ex antiquis recitauit, haud leui ſunt argumento.

a Vt hoc vtimur maxime more moro, moleſtoque multum atque vti quique sũt, optumi maximi morẽ habent hunc, cliẽtes ſibi omnes volunt eſſe multos, boni-ne an mali ſint, id haud quæritant, res magis quæritur quam cliẽtium, fides cuiuſmodi clueat. *Plaut. in Menec.*

b Quid legem Cinciam de donis & muneribus, niſi quia vectigalis iã & ſtipendiaria plebs eſſe Senatui cæperat? *Liu. 4. decad. lib. 4. in prin.*

c Conſurgunt patres, legẽque Cinciam flagitant qua cauetur antiquitus, ne quis ob cauſam orandam pecuniam donum-ve acciperet. *Tacit. 11. Annal.*

d Nigrinus Tribunus plebis recitauit libellũ &c. Recitauit capita legum, admonuit Senatuſconſultorum &c *Plin. 5. Epiſt. 15.*

CAPVT XI.

Eloquentia & iuris scientia foro Romano mancipatæ.

DE eloquentia, nil est quod dubitemus eam foro Romano mancipatam Aduocationis sustinuisse munia & quidem vix post exactos Reges, vt vel è Publicola patet; at cùm Valeriæ de prouocatione latæ fuissent leges; cùm Tribunitia plebi concessa potestas à patribus vel potius à plebe patribus erepta; cùm iura è Græcis petita ciuitatibus, cùm plebiscita, decemviris exactis, populum vniuersum tenere pronuntiata; cùm denique è tabella *a* iudicari placuisset, auctoque Romano Imperio non tam vrbis vnius, quam orbis totius ad Senatum aliosque Magistratus cœpta essent deferri negotia: iam periclitantibus in iudicio, non patroni solùm, *b* sed defensores, cognitores, oratores globatim ferè adfuerunt, vt quâ quisque posset sedulitate & industriâ Aduocationis munus impleret. Cùm verò præcipuas teneret partes ars oratoria, iamque loquentia *c* priscis adhibita temporibus ab eloquentia obscuraretur, summum, vt ita dicam, patrocinium sibi vendicauerunt oratores, eorumque clientelam non plebeij tantum & priuati, sed ciuitates, sed Reges, sed ipsis denique Regibus imperare soliti ciues & patricij ambierunt. Quis non miretur Porcium, nouum, vt aiunt, hominem, postquam apud municipes prima, vt ita dicam, lusisset caussidicinæ rudimenta, Romanum sui sæculi factum Demosthenem impleto consulatu, acto de subactis hostibus triumpho; Censoriâ susceptâ dignitate, Romæ tamdem æmulam suo pondere oppressisse Carthaginem? Quid non sperasset Tyria illa ciuitas si Porcium non fuisset accusatorem experta? Quid non fecisset, si eumdem fuisset sortita defensorem? *Plutar. in Mar. Catone.*

Rursus quis non stupeat Tullium, nouum *d* alterum, vt ipsemet de se fatetur, hominem, foro tamen nauatâ operâ Consulem creatum, patrem vocatum patriæ, eloquentiæ effectum, Galatiæ Regem in numero clientum habuisse, illiusque causam apud eum ipsum cui suspectus factus fuerat, cui delatus, cui iam reus, egisse & obtinuisse? longum esset recensere quot Prætores, Consules, Dictatores, Censores, domi, foris, pace, belloque egregios forensis palæstra Reipublicæ aluerit; Vel vnum satis erit prodere, *cui primo e* scilicet *totus post modum orbis famulatus est.* ADEÒ VERVM, FLORENTE POTISSIMVM REPVBLICA, HEROAS IN FORO ADOLEVISSE.

Eloquentiæ, iuris accessit notitia, ita demum deposcentibus iuris, nedum antiqui, sed & prætorij seu honorarij ambagibus, quas qui non penetrasset ægrè & vix potuisset periclitantibus in iudiciis succurrere. Grauis sanè, sed æqua tamen, Quinti Mutij ad Seruium responsio seu verius obiurgatio; *turpe* scilicet, *esse patricio, & nobili & causas oranti ius in quo versaretur ignorare*. Prudentius itaque Marcus Cato se habuerat qui Sextum Ælium *f* imitatus, Iuris Ciuilis *L. 2. §. 43. ff. de orig. iu.* *d. l. §. 38.*

a Iudicia populi, quibus aderat Carbo, iam magis patronum desiderabant, tabellâ datâ. *Cicero in Bruto. num. 42.*

b Cognitor est qui præsentis causam nouit, eamque in iudicio tuetur vt suam. Patronus qui orator; Aduocatus qui ius suggerebat vel præsentiam amico accômodabat: defensor, est absentis. *Refert Dionys. Godofr. ad Cicero. pro Roscio, fine, ex Asconio, de Diuinat.*

c Iulius candidus non inuenustatur, solet dicere aliud esse eloquentiam, aliud loquentiâ. *Plin. 5. Epist. 20.*

d Me perlongo interuallo prope memoriæ temporumque nostrorum primum hominem nouum Consulē fecistis. *Cicero pro lege Agraria ad popul. in pr.*

e Is est C. Iulius Cæsar, de quo Suetonius, cap. 55. haud dubiè principibus patronis annumeratus est.

f Numeroque eodem fuit Sex-

Ciuilis scientiam adiunxerat eloquentiæ. Sapientiùs itidem Cicero, qui leges eas ad quas adhiberetur *g* & in quibus versaretur, se nosse & callere assereret.

Notandum porrò cùm dixerim iuris notitiam foro Romano accessisse, non ideo me voluisse iuris prudentes suscepisse Aduocationem: alia oratorum, alia prudentium fuit institutio & professio: sed de hoc, si Deus dederit, quarto infrà libro disseremus.

tus Ælius, iuris quidem ciuilis omnium peritissimus, sed etiam ad dicendum paratus. *Cicer. in Bruto, num. 38.*

g Vt hæc ad me causa delata est qui leges eas ad quas adhibemur, & in quibus versamur, nosse deberem. *Cicero pro Cluentio.*

CAPVT XII.

Aduocatio Romana sub primis Imperatoribus.

IMmutato Reipublicæ statu cùm iam nil Patres amplius, nil plebs, sed vnus *a* dumtaxat homo singulas ad libitum conferret Imperij dignitates, fori Romani visa est obscurari majestas plebeiis Aduocatione permissâ munerali redditâ. Quantumcúmque enim splendoris forum traxerit è Cæsaribus, dum virilem togam assumerent, tyrociniumque forense auspicarentur: Quantumcúmque fulserint illorum deductiones, quas Augustus *b* expetito Consulatu, quas Tyberius *c* congiario addito *d* solemniores effici curauissent: *e* Quantumcúmque tamdem è Titi foro datâ operâ honestâ magis quàm assiduâ susceperit Aduocatio nominis gloriæ, desiit tamen illa dignitatum quas tulisset antea, seminalis esse ager, nec ad illam deinceps quasi ad portam necessariam recursum est, quâ perueniretur ad tribunalia, solo ad sublimiora conscensum faciente datoris arbitrio; quapropter in forum deductio sapienter adeò instituta à Patribus, à Patriciis obseruata, exindè specie tenus tantùm celebrari cæpta est, cùm iam plerique iuuenes, non vt foro mancipa-rentur ad illud accederent, sed vt foro mancipatorum assumpto ornamento, virilia ambirent, præriperentque munera, quasi vnà cum toga, togatam pariter fuissent assequuti disciplinam.

Sueton. in Tito, cap. 4.

Rariores igitur abhinc Patricij, frequentiores plebeij causidicinæ munus impleuerunt, quâ ex re vix dici potest quantùm dignitatis plebi accesserit, vt quæ tamdem eorum assequuta fuerit patrocinium, quorum anteà fuerat clientelam professa, iamque non emptitiis suffragiis, sed ingenuâ liberalique operâ togam quâ enitesceret, impetrarit.

Remissiore autem factâ sensim eloquentiâ (cuius rei causam scitè disquirit Tacitus) vix nomen ipsum oratoris retentum est, sed qui disertè agebant, Causidici frequentiùs appellati sunt, & Aduocati, & Patroni.

Sup. cap. 1.

a Nam cuncta legum & magistratuum munia in se trahens princeps materiam prædandi patefecerat, nec quidquam publicæ mercis tam venale fuit, quàm Aduocatorum perfidia. *Tacit. 11. Annalium. in princip.*

b Tertium decimum (Consulatum) biennio post vltrò petiit, vt C. & Lucium filios amplissimo præditus magistratu suo quemque tyrocinio deduceret in forum. *Sueto. in Augusto, cap. 26.*

c Romam reuersus, deducto in forum filio Druso. *Idem in Tyberio, cap. 15.*

d Maximos natu de Germanici filiis Neronē & Drusum P. C. commendauit, diemque vtriusque tyrocinij congiario plebi dato celebrauit. *Ib. cap. 54.*

e Additur Pontificatus, & quo primùm die forum ingressus est, congiarium plebi admodum lætæ quod Germanici stirpem iam puberem aspiciebat. *Tacit. 3. Annal.*

CAPVT XIII.

Honoraria Aduocatis constituta.

SEd iam mutuâ plebeiorum in patres, patrum in plebeios quam Romulus instituerat cessante patrocinij clientelæque operâ, præmio seu remuneratione dignus labor visus est, quem in agendis causis forensibus togati insumerent, neque enim amplius cum Porcio Catone dici poterat, *plebem stipendiariam Senatui effici*: neque cum Plutarcho, *probrosum esse Patricio à plebeiis pecuniam recipere.* Id equidem haud attendens Cajus Silius Consul designatus, nedum Aduocationis in posterum mercedem inhiberi voluit, sed & repetundarum dari actionem ob ea quæ à clientibus togati accepissent. Re tamen ad Claudium delatâ, secus Principi visum est, quinimò pecuniæ quam togati caperent, vsque ad dena sestertia modum posuit, nec repetundarum teneri, nisi eam egressos summam; dena autem illa sestertia, decem millia confecisse vult Lipsius, Mornacius verò noster; centum recentioris monetæ aureos.

Verùm paulò post vetita fuere prorsus ea honoraria, cùm enim Nero adeptus Imperium, formâ futuri principatus præscriptâ, Senatui antiqua tenere munia indulsisset, extemplo Senatusconsultum latum est, *ne quis ad causam orandam mercede aut donis emeretur*; sed qua potissimum de causa, quo-ue impellente abrogatum æquè citò fuerit ac latum, etsi non liqueat de auctore, tamen certum est; ab eodem enim Nerone cautum, *vt litigatores pro patrociniis certam iustamque mercedem darent.*

Denique & à Nigrino Tribuno plebis, & à Licinio Nepote Prætore contra honoraria illa reclamatum est, teste Plinio, Nigrinus enim *vænire Aduocationes, & gloriæ loco poni ex spoliis ciuium magnos reditus graui libello conquestus est*; Nepos verò breui edicto executurum se proposuit Senatusconsultum, quo cautum erat, *vt omnes quidquid haberent negotij iurarent, prius quam agerent, nihil se ob Aduocationē cuiquam dedisse, promisisse, cauisse*; Verùm, cùm à Principe, seuerus quidem, sed tamen moderatus, dicatur libellus exisse paucis diebus post Nigrini reclamationem, subjungaturque Senatusconsulto permissum peractis negotiis pecuniam dumtaxat decem millium dari, patet non omnino vetita fuisse honoraria; absolutâ siquidem lite remunerari poterant à clientibus Aduocati.

Et tamen illam etiam limitationem citò euanuisse vel inde constat, quod ab emortui Aduocati hæredibus repeti mercedem Seuerus prohibuerit, quia, inquit lex, quominus causam ageret, per illum non stetisset: accepisse enim honorarium ab initio suscepti negotij, vel ex illo loco satis liquet, neque id vllo tunc Senatusconsulto prohibitum.

Cæterùm honorariorum modus pro singulis causis vsque ad cen-

Liu. 4. decad. lib. 4. in princip. *Plutarc. in Romulo.* *Tacit. 11 Annal. in princip.* *Mornac. ad l. qui operas. ff. locati.* *Tacit. 13 Annal. paulò post init.* *Suet. in Nerone, cap. 17.* *Plin. 5. Epist. 14* *Plin. 5. Epist. vlt.* *l. 1. §. 13. ff. de extraord. cognit.*

tum aureos constitutus dicitur ab Vlpiano, quæ quantitas dena sestertia Claudiana omnino conficit.

d.l.§.12.

Sed maximoperè notandum est, quantacúmque honoraria fuissent Causidicis exsolui solita, neminem vmquam Aduocati patrocinio & operâ fuisse destitutum; dabantur enim à iudicibus qui causas agerent partium, vt ex multis Plinij locis ostendi potest; idque ab antiquo iudiciorum ritu manasse haud absimile putauerim: in perpetuo siquidem edicto, *a* quod Hadriani Imperatoris Senatusque authoritate Saluius Iulianus composuerat, inuenitur; *Si non habebunt Aduocatum, dabo*; diu autem antea ius honorarium è vago, certum; ex annuo, perpetuum redditum fuerat, *b* Corneliâ scilicet lege in eam rem latâ.

l.1.§.4. ff. de postul.

a Vide illud edictum, Ranchini operâ concinnatum. *Tit. de postul.*

b Ea lex lata est circà Ann. ab v. c. 686.

CAPVT XIV.

Varia prisci Romani fori instituta.

PAtriciis, vt vidimus, plebeïorum à Romulo patronis constitutis, summa quibusque cura fuit, quas suscepissent clientelas liberis & nepotibus transmittere, tamquam præcipuum splendidæ & priscæ familiæ monimentum; ne verò adolescentes tanto inuenirentur impares muneri, quàm primùm excessissent ex ephebis, prætextâ exutâ, foro mancipabantur, quâ in scholâ patrocinij leges addiscerent, suo tempore obseruandas.

Mancipatio illa, die ipso quo virilis induebatur toga, fieri solebat, anno, vt scripserunt aliqui, decimo quinto, vel prout alij, decimo sexto completo, quod quidem vltimum verius est; Minores enim annis septemdecim fuisse à Rege Seruio in puerorum numero habitos, autor nobis est Gellius, & eo tantùm anno finiri pueritiam Vlpianus annotauit. Itaque nonnisi ex peculiari indulgentia datum est aliquibus, iisque paucis, *a* ante statutam ætatem virile sumere indumentum, vt Antonino apud Capitolinum, nec non Neroni, *Qui*, teste Tacito, *vix pubescens maturatam togam virilem induit*, QVO CAPESSENDÆ REIPVBLICÆ HABILIS VIDERETVR.

Gellius lib. 10. cap. 28. l. 1. ff. de postulan.

a T. L. Claudio quintum, Ser. Cornelio Orfito Coss. virilis toga Neroni maturata, quo capessendæ Reip. habilis haberetur. *Tacit. 12. Annal.*

Ea virilis toga sumebatur diis præsentibus, seu apud altaria, vt *b* quidam volunt, his moti Propertij versibus.

Mox vbi bulla rudi demissa est aurea collo
Matris, & ante deos libera sumpta toga est.

b V. Thom. Dampster. ad antiquitat. Ro. Rosini. *lib. 5. cap. 32.*

Indutosque Iuuenes, quâ solemniore poterant coronâ, deducebant in forum Patres, seu naturales, seu adoptiui, seu qui Patrum tenerent locum, forense, vt dicitur, tyrocinium auspicaturos. Singulare huiusce rei exemplum nobis est Cassij filius, de quo Plutarchus in Bruto, nec leuius Plinij testimonium dicentis, *c* ante suam memoriam, ne nobilissimis quidem adolescentibus in foro locum fuisse, nisi aliquo Consulari producente: Tum è foro, si tamen Romæ deductio ea fieret, in Capitolium togati ascendebant, vt è Vale-

lib. 4. eleg. 1.

c At herculè, ante memoriam meam (majores natù ita sole-

rio, Marcus Cotta testis est. Si Romæ, inquam, nihil enim obfuit virorum etiam Consularium filios togam virilem seu puram, sumere apud municipes, vt Tullij *d* nato contigit.

Extunc oratorum *e* fiebant discipuli, fori auditores, sectatores iudiciorum, alienis experimentis assuefacti & eruditi, vt quibus quotidie audientibus, notæ leges, nota fierent iudicia; Si verò eloquentię pararentur, ad eos vel à parentibus vel à propinquis deducebantur oratores, qui principem in ciuitate tenerent locum, vt ex illorum frequentia, consuetudine, obseruatione, veluti in prælio pugnare addiscerent.

bant dicere) ne nobilissimis quidem adolescentibus locus erat, nisi aliquo Consulari producẽte: tantâ veneratione pulcherrimum opus colebatur. *Plin. 2. Epist. 14.*

d Ego meo Ciceroni, quoniã Româ caremus, Arpini potissimum togam puram dedi, idque municipibus nostris fuit gratum. *Cicer. lib. 9. ad Attic ep. 22.*

e Apud majores nostros iuuenis ille qui foro & eloquentiæ parabatur, imbutus iam domesticâ disciplinâ, refertus honestis studiis, deducebatur à patre, vel à propinquis ad eum oratorem qui principem locum in ciuitate tenebat; hunc sectari, hunc prosequi, huius omnibus dictionibus interesse, siue in iudiciis, siue in concionibus assuescebat, &c. Atque herculè sub eiusmodi præceptionibus iuuenis ille de quo loquimur, oratorum discipulus, fori auditor, sectator iudiciorum, eruditus & assuefactus alienis experimentis, cui quotidie audienti notæ leges, non noui iudicum vultus, &c. *Tacit. in Dialog. de oratorib.* Ego autem à patre ita eram deductus ad Scæuolam sumptâ virili togâ, vt quoad possem & liceret, à senis latere numquam discederem. *Cicero de Amicitia, in princip.*

Quinam autem admitterentur, satis indicauit Prætor, dum paucis notauit qui prohiberentur, vel omnino & etiam pro se, vel pro cunctis aliis, vel pro aliquibus tantùm postulare; consuli ea de re potest Vlpianus, singula enucleans; *tantâ veneratione*, vt verbis vtar Plinij, *pulcherrimum opus colebatur à Romanis.* *l. 1. ff. de postul.* *Plin. 2. Epist. 14.*

Causæ dum agendæ erant, plerúmque petebantur & dabantur à iudicibus Aduocati, vt iam dictum est, quo instituto quid augustius? Sic enim potentum ferociæ & ambitioni obuiam itum fuerat, vicissimque consultum humilioris vitæ partibus; Hinc Plinius & Tacitus, Africanis contra Marium Priscum adesse iussi, causam in Senatu, sedente Cæsare, perorarunt; Hinc idem Plinius cum Senecione Bœticis contra Bæbium Massam Aduocatus à Senatu datus, exemplum sæculo suo simile antiquis exhibuit, congratulante etiam de eo Neruâ Principe: Hinc tandem facetus *f* apud Tullium iocus de Siculo, qui hospitem suum, sibi à Prætore patronum in causa datum, hominem nobilem quidem, sed admodum stultum protinus recusauit: eumdemque expostulauit dari aduersario suo, vt quem plus sibi nocere sciret pro se agentem, quàm contra se. *l. 9. §. 5. ff de offic. Procons.* *Plin. 2. Epist. 11.* *Idem. 3. Epist. 3.* *9.* *Idem 7. Epist. vlt.*

f Siculus ille cui Prætor Scipio patronum causæ dabat hospitem suum, hominem nobilẽ, sed admodum stultum; Quæso, inquit, Prætor, aduersario meo da istum patronum, deinde mihi neminem dederis. *Cicero lib. 2. de Oratore num. 76.*

Non vnus dumtaxat, sed plures Aduocati seu Patroni in eadem causa adesse solebant vel actori vel reo, præsertim si grauior esset quæstio, licet non omnes dicerent. Sic Balbo, Crassus, Pompeius, ipseque demùm Tullius adfuerunt; sic Tullius Crassusque itidem, Cœlio. Sic idem Tullius & Hortensius, Sextio, Syllæ, Flacco; Sic denique Tullius, Hortensius, Crassus, Murenæ; & equidem ante bellum ciuile Cæsaris, raro quemquam pluribus quàm quatuor patronis vsum esse, post bella verò ciuilia ante legem Iuliam, peruentum esse vsque ad duodenos, scribit ex Asconio Sigonius.

Sigon. lib. 2. de iudiciis. cap. 10. fine. Priscis causarum Patronis sanctum fuit, suas ab inuocatione numinis inchoare actiones, vt nobis ex *g* Seruio, de Catone & Graccho liquet, & de cæteris è Valerio. *Valer. Max. in prologo ad Tiberium.* Non idem factitasse Græcos oratores, vel ex eorum quæ ad nos peruenere actionibus satis constat; si enim Demosthenis pro corona orationem demas, vix aliam inuenies eodem insignitam prooemio, nil prorsus ad eum accedente morem de diis obiter mentione facta in peroratarum aduersus Bœotum & Phænippum exordiis. Obsoleuerat tamen iam ille ritus ætate Tullij, quem ideo velut ignaris peculiarem irridet & insectatur, *Cicero. in diuinat. cõtra Verrem.* quamuis non penitus ab eo se abstinuisse dici possit, dum pro Rabicio perorauit ad Quirites.

Liberior apud Romanos quam apud Græcos, sermocinandi, ne dicam euagandi, priscis oratoribus concessa est facultas; Græci *h* enim accusatori aquam vnam siue clepsydram, reo alteram infundebant; Romani autem ab initio, nullam reis, nullam accusatoribus, ita vt effrænis esset tunc temporis loquentia potius quàm eloquentia: Pompeius tandem lege latâ perstrinxit illam dicendi licentiam, ita vt intra duas *i* quidem horas, accusator, tres verò reus orationem absolueret; quod tamen *l* non semper obtinuit.

In causis capitalibus, præter Aduocatos seu Patronos adhibere *Plutar. in Pompeio.* solebant rei, laudatores, non pauciores quàm decem: at importunus ille laudationis ritus ab ipso etiam Pompeio *m* sublatus est: qui tamen malè audiuit, eo quod spretâ suâ lege, Plancum postea laudasset.

Injurati dicebant Aduocati seu Patroni, quod non ex vno Tullij loco *n* demonstrari potest; sed indè forsan minor in oratoribus fides & probitas, dum nullâ se aliâ teneri religione crederent, nisi quâ suos è periculo clientes eriperent, rei etiam veritate suppressâ.

Denique vbi Aduocatione sibi mandatâ fortiter diligenterque functi fuissent, Senatus aliquando post iudicium, vel in ipso etiam iudicio, strenuè gnauiterque peracti muneris eos laudabat, vt è Plinio accipimus. *Plin. 2. Epist. 11*

g Seruius. In illud 11 Æneid. *Præfatus diuos.* More antiquo, ait, nam majores nullam orationem nisi inuocatis numinibus inchoabãt, sicut sunt omnes orationes Catonis & Gracchi: nam generale caput in omnibus legimus.

h In tres partes distribuitur dies, cùm violatarum legũ actio proponitur; nam prima aqua accusatori & legibus infunditur ac libertati; secunda aqua reo & iis qui in ipsam rem dicturi sunt: quod si primo suffragio non soluta fuerit legum violatio, iám tertia aqua infunditur æstimationi mulctæ & magni iudicij iracundiæ vestræ. *Æschines contra Ctesiphon. paulò post medium.*

i Ad causam verò dicendam actori duas, reo tres horas concedi iusserat. *Dio Cass. l. 40.*

l Dixi horis penè quinque. *Plin. 2. Epist. 11.*

m Id quoque quod plerúmque iudicia corrumpebat correxerat (Pompeius) interdicto, ne qui reorum laudatores haberentur, aut pro accusatis deprecarentur. *Dio Cass. lib. 40.*

n Hoc injuratus sum dicturus. *Cicer. pro Sylla.* Testes hoc dicunt, quod injuratus insimulo. *Idem pro A. Cæcinna.*

CAPVT XV.

Corruptela fori.

VIx vllum inuenitur ministerium, licèt ex suo sanctum instituto, quod infirmitas humana non minuat, leuitas non detorqueat, impietas non polluat: nec ideo tamen vllus vnquam sapiens existimauit, ò ministrorum sordibus spurcari eam ad quam vocati sunt sortem; quod enim è sua natura sanctum est, euacuatur

potius quàm prophanatur, adeo-ut, pio quolibet instituto prius intra se renuntiet impius necesse sit, quam eodem fœdè & impiè queat *a* vti. Et equidem, quantumcúmque malè se iudex habeat, suamque faciat litem, non minus sancta est iustitia, nec iniqua vmquam ea dici debet, quæ numquam injusta potest effici: potestate quippe Præses abutitur non virtute, imperio non iudicio, ministerio non officio, cui solùm deest. Labatur itidem Sacerdos, imò spontaneâ prauitate in sacrilegia feratur, nullam tamen ex iis labem contrahet presbyterij sanctitas; alioquin si pro ministrorum probitate aut nequitia, ipsa existimari deberent officia vel bona vel mala, nullum iam ex se daretur innocens. Quæ quidem ideo debui præmittere, ne vllus è corruptis quos subiungam forensium moribus (molesta siquidem, ne probrosa dicam, sensim tamdem attigimus tempora) in ipsum forense excandescat institutum, quasi minus rectum, minus æquum, minus sanctum.

Et equidem cùm ab initio, vt vidimus, iuris dicendi ritus esset simplicior, innocentior quoque Aduocatio præstabatur; sed multiplicatis legibus & statutis, iamque priuatorum iure implexo reddito, obscuro effecto, ob eam quam quisque afferre conabatur laxiorem strictiorem-ue publici & communis intelligentiam, euenit, vt qui laborantibus amicis gnauiter adessent, tenaciori susceptas animo rationes, vehementiore promerent eloquio; cúmque vix reperire sit qui se errare animaduertant in opere piè suscepto, nil sanctius illi habere cæperunt quam præceptam, creditamque saniorem de mota quæstione sententiam, constantioribus quibus possent verbis, nedum iudicibus, sed & adstantibus ipsisque etiam incutere aduersariis: Inde reciproci clamores, mutua iurgia, inde etiam vociferandi effrænis cupiditas, dum ignari & agentes & circumstantes, & non raro ipsi etiam iudices contentiori eloquio, majorem inesse crederent rationem.

Actores istiusmodi natâ demùm eloquentiâ, despectui habiti sunt, peculiarique vocabulo rabulæ *b* appellati, eò quod in voces erumperent nil sæpius ad quæstionem facientes, omniaque tumultu, & vociferatione concuterent, vnde etiam alio nomine proclamatores dicti sunt. Non desunt equidem qui rabulas appellatos velint, eo quod clamore insolito ferirent seu raderent auditorum aures; vel quod ipsimet sæpius è voce elatiori rauci euaderent, vel denique quod quasi rabidi præ petulantia viderentur: sed magis mihi arridet sic dictos quasi nimium loquaces, ideoque blaterones, loculeios, nugatores; rabula etenim στόμαργος à Græcis redditur, vt è Donato & veteribus glossis Sauaro noster obseruauit, quapropter vt à quouis alio blaterone distinguerentur, *forensis*, vox addita est. De clamore autem illo & strepitu, non semel iocos fecit *c* Martialis, de blateratu verò tum Apuleïus *d* tum Martianus *e* Fœlix falsissimè meminerunt.

Sauaro ad Sidon. Apollinar. lib. 4. Epist. 3.

a Si verò objiciatur quod valde nocebit is, qui vtatur injustâ huiusmodi facultate rationum; id cōmune est aduersus omnia bona, præter virtutē. *Aristotel. 1. Rhetoric. cap. 1. fine.*

b Rabulæ, qui sibi diserti non videntur, nisi omnia tumultu & vociferatione concusserint. *Cicer. lib. 1. de Oratore.* Neque proclamatorem aut rabulā hoc sermone nostro conquirimus. *Idem ibid* Nolo te declamatorē esse, & rabulam, & garrulum sine ratione. *Hieronym. Epist. 2. ad Nepotianum.*

c Quod clamas semper, quod agentibus obstrepis Heli. *Martial. 1. Epigrammat. 96.* Cùm clamant omnes, loqueris tu Næuole semper. *Idē ibid. 98.*

d Mercenariâ loquacitate effecierunt; quæ etsi possunt ab his vtiliter blaterata ob mercedem & authoramento impudentiæ depensa haberi, iā concesso quodam more rabulis id genus quo ferme solent linguæ suæ virus alieno dolori locare. *Apuleius in Apolog. sub init.*

e Indocta rabidum quem videre sæcula iurgiis canino blateratus pandere. *Martian. Fœlix in fine lib. 9.*

Aliud quod irrepſit inter Cauſidicos malum, pejus priore comprobatum eſt, maledica ſcilicet, aut in aduerſarios aut in eorum Aduocatos loquela, quâ nempe crederent plenam ſibi fidem adſtrui, dum nullam prorſus aduerſariis adhibendam prætenderent. Fouit hanc peſtem tenacior vnicuique de ſua ſententia quaſi ſaniore præſumptio, vnde mutuæ in inuicem natæ ſunt contumeliæ, à quibus nec viri, cæteroquin graues, temperarunt, licèt non alio ſibi quam rectioris æquioris-ue iudicij fine propoſito. Tales ſanè hi, quos Plinius *f* nobis exhibet, Nepos & Celſus. Maledicendi autem illa licentia, imo adlatrandi, rodendi, diſcerpendi, cùm ex adjectâ foro eloquentiâ eaque injuratâ ſalſior euaſiſſet & ornatior, primùm, quod ſciamus, ab Appio *g* canina facundia vocata eſt, vnde ſenſim *h* latrare dicti ſunt Cauſidici, ſeſe lacerare alterutrum, rabioſa blaterare iurgia, effutire conuicia, forum implere mugitibus, & nonnihil tamdem fœtidum quod canes ſuâ naturâ facerent admittere.

Tertium quod deprehenſum eſt in foro malum, è iudiciorum ſcaturiuit temporibus: cùm enim comperendinationes, dilationes, moræ, rejectiones, ideò fuiſſent inſtitutæ, ne imparati obruerentur litigantes, inuenti ſunt qui fædè ac dolosè nullam non adhiberent moram, quâ iudicia vel retardarentur, vel penitus effugerentur. Hi peculiari nomine, *moratores i* dicti ſunt, & ab Aſconio, *ſordidi Cauſidici.* Remoræ meo quidem iudicio nociuæ, quales tamen adhuc hodie fora noſtra plus æquo fouent & nutriunt.

V. libellum de morte Cæſaris Claudij inter opera Senecæ. Et hæc quidem peſtes præcipuæ, quibus Romanum etiam, florente Republicâ laborauit forum; ſed vbi cuncta legum & magiſtratuum munia in ſe trahente Principe, materia prædandi patefacta eſt, Cauſidiciſque merces ære conſtituta, nil non diceres luis & veneni fuiſſe Aduocationibus intermixtum, quotquot *l* enim ferè ſcripſerunt his temporibus de iudiciorum alea, Cauſidicos velut vltimum genus hominum depreſſerunt, quaſi nulla extunc forenſis extiterit lingua niſi venalis, nullaque conſequenter cauſa deficiente pecuniâ, bona, accedente, mala. Quid enim ſonat illud, *ô cauſidici venale genus!* Quid & iſtud, *nec quicquam publicæ mercis tam venale fuit quàm Aduocatorum perfidia?* Quid & hoc aliud apud Tertullianum; *cùm & pecuniæ cauſa etiam in foro, nihil damnationi timendum aggredi dubitant?* Quid denique quod ipſe Columella Patronos vocat, vultures togatos; genuſque humanum olim ſine illis fœliciſſimum fuiſſe teſtatur? Horror ſanè eſt legere redempta *m* frequentiſſimè ſilentia, nec iam Anginæ, quam Demoſthenes *n* ſimulauerat, conquiſitam excuſationem, Argentangina pa-

Tacit. 11 annal. ſupra litt. l. Tertull. de patientia, cap. 5.

f Reſpondit Nepos, rurſuſque Celſus, neuter contumeliis tẽperauit. *Plin. 6. Epiſt. 5.*

g Prudẽtes eſtis & eruditi: & de canina, vt ait Appius, facundia, ad Chriſti diſertitudinem tranſmigraſtis. *Hieron. ep. 152. Minerio & Alexandro, ſub princip.* Neque ego caninam facundiam, neque ingenium ad malè faciendum exercui: *Saluſt. in oratio. C. Cottæ Conſul.*

h Latrat & in toto verba canina foro. *Ouid. in Ibin.* Sæuit inuicem diſcordantium rabies & inter togas pace rupta, forum litibus mugit inſanũ. *Cyprian. ep. 2. ad Donatum.*

i Niſi quem fortè ex illo grege moratorum. *Cicero in diuinat. in Verrem, iuxta Cuiacium 4. obſeruat. vlt.*

l Nec quicquam publicæ mercis tam venale fuit quam Aduocatorum perfidia, adeo-ut Samius inſignis, Eques Romanus quadringentis nummorum millibus Suilio datis, & cognitâ præuaricatione, ferro in domo eius incubuerit. *Tacit. 11. Annal. ſub princip.* Cùm præmium pulcherrimæ rei cecidiſſet, tranſlatum eſt omne certamen ad turpia, multo honore quæſtuque vigentia. *Senec lib. 1. controuerſiar. in præfatio.* Plus togæ læſere Rempublicam, quam loricæ. *Tertullia. de pallio. cap. 5.*

m Quis inter hæc vero ſubueniat: Patronus? at præuaricatur & decipit. *Cyprian. ep. 2. ad Donatum.* Non facis hoc gratis, accipis vt taceas. *Martial. 1. epig. 96.*

n Neque enim reſtitit Demoſthenes, ſed ictus largitione haud aliter quam præſidio impoſito in

partes Harpali concessit, ac postridie benè ac probè lana & vittis obuoluto collo, in concionem progressus, populo iubente surgere & dicere, innuit sibi vocem esse intercisam; at homines faceti non Anginâ, sed Argentanginâ correptum esse noctu oratorem dicebant. *Plutar. in Demosth.*

lâm regnante, imò sæuiente. Hinc præuaricatio callida & infamis, deceptorum incusata simul & retecta sanguine *o* clientum, quibus lingua, præsenti licèt & ingenti ære diuendita, pluribus postmodum corrupta nummis, fidem loquacitatis silentij perfidia eiurauerat. Hinc item mercenaria loquacitas authoramento depensa *p* impudentiæ; linguæ virus alieno dolori locari solitæ. Hinc tamdem iuris & æqui despectio summa & vltima, & qualiacumque dogmata seu probata *q* seu improba, temerariè suscepta, iniquè defensa.

Ammi. lib. 30.

Nec sanè vno tantùm vel altero grassata est illa corruptela sæculo, Valentiniani siquidem temporibus quatuor veluti classes, Ammiano teste, in foro sibi construxerat, & quasi nondum satis esset pernitiosa, alterum adhuc illi se iunxit malitiæ portentum, litium scilicet *r* redemptio. O dura prorsus tempora, in quibus orationis domus altera, latronum facta est spelunca!

o De Samio Equite & Suilij perfidia. v. sup. litt. *l.*

p v. sup. litt. *d.*

q Qui semel qualiacumque dogmata obstinatè defendunt, siue probata, siue improba more Causidicorũ mercenariorum ius & æquũ negligentium. *Philo Iudæus lib. 1. de vita Mos. paulò à pr.*

r Si quos causarum concinnatores vel redemptores deprehendat. *l. 9. §. 2. ff. de off. Procons.*

CAPVT XIV.

Forum nusquam in omnibus fuisse corruptum.

Non tamen vsque adeò sæuiit hæc injuria temporum, vt quotquot foro militarent, obruerit; suscitata quippe, imò sæpe inculcata est non tam Catonis *a* quàm oraculi vox, & inuitis quas inuexisset Claudius, Nero fouisset, tulisset Flauius causidicinæ spurcitiis, & præsentibus edicitum, & posteris commendatum est, non tantùm eum qui sit orator, virum bonum esse oportere, sed ne futurum quidem oratorem, *b* nisi virum bonum. Præcepta autem ne iejuna existimes, adsunt quæ te moueant exempla; furat *c* enim licèt Caligula, socerique insontis necem confictо iubeat deposci facinore, Græcinus tamen verè orator inuenitur, verè quem Cato definierat, vir bonus comprobatur; dicendi peritus quidem, sed pro sola iustitia, eoque fortitudinis progreditur, vt mori malit, quàm injustam promouere accusationem. Quid de Herennio *d* Senecione tibi videtur, tam solerter, tam prudenter absentis, & incertum hodie etiam sontis-ne an insontis apud Domitianum Liciniani dicente causam? Quid de secundo iniquis illis temporibus

a Erratis optimi iuuenes nisi illâ vocem non M. Catonis, sed oraculi creditis, &c. *Et paulo post.* Ille ergo vir quid ait? orator est, Marce fili, vir bonus dicendi peritus. *Seneca lib. 1. controuers. in præfatione.*

b Longius tendit hoc iudiciũ meum; neque enim tantum id dico, eum qui sit orator, virum bonum esse oportere: sed ne futurum quidem oratorem, nisi virum bonum. *Quintilian. 12. institutio. cap. 1. sub princip.*

c L'exemple de Iulius Grecinus y seroit bien tousiours plus memorable, qui aima mieux mourir, que d'intenter par le commandement de Cajus Cesar, vne fausse accusation contre Marcus Syllanus. Ayrault, ordre iudiciaire liu. 2. partie 4. nomb. 71.

d Confessus est quidem incestum, sed incertum vtrum quia verum erat, an quia grauiora metuebat si negasset; fremebat enim Domitianus æstuabatque ingenti inuidia destitutus. *Plin. 4. epist. 11. Vid. Baron. Tom. 1. anno. 94. num. 7.*

tyrocinium

tyrocinium auspicante & agente? Stetit *e* adolescentulus contra potentissimos ciuitatis, atque etiam Cæsaris amicos, spreto quem ex infausto somnio concipere potuisset metu, idque vt susceptam fidem impleret. Quâ quæso fortitudine, quâ constantiâ, quâ prudentiâ, vel acceptas vel delatas obiuit Aduocationes, Reguli vitatis dolis, seruato dignitatum honore, saluâ patrocinij fide? Tacitum-ne tacebimus, eloquentissimè, & quod eximium eius orationi inerat σεμνῶς dicentem? An Tribonium *f* Rufinum Gymnici agonis apud Viennenses in Duumviratu suo sublati & aboliti causas in consilio Principis reddentem? An denique Pompeium Saturninum? quos viros omnes sola videtur integritas è flagitiosis temporibus, ad meliora transtulisse. *Plin. 1. Epist. 10. & 16.*

Sed forsan, major, & quæ fuco careat virtus exposcitur; nec sanè nobis deerit etiam in foro. Nubila sunt, fateor, & turbida quæ decurrimus sæcula, sed ea tamen Christiana fides iam illuminat, pietas exornat; Huic autem & causidicina patuit, & Aduocatio cessit, non enim vel his temporibus Christiani sine curia, sine senatu, *g* sine foro; adducam-ne, igitur, Vetium *h* Epagathum ipsius iudicio præsidis, quid tamen diceret inscij, declaratum Christiani gregis Aduocatum, eoque tamdem ab Ecclesia Lugdunensi insignitum titulo? An *i* Proculum Euhodeæ, aut verius, iuxta Baronium, Euodi procuratorem qui Seuerum Antonini patrem, oleo sancto adhibito curauerat. An Scirionem *l* ab illo ipso Martyrem effectum, cuius negotia sub mercede procurabat? An *m* Philoromum Imperatoris, vt vult Baronius, negotia itidem procurantem Alexandriæ? At videri poterunt illi ab Aduocatione forensi remotiores. Accedamus ergo propiùs, & vel intra fori cancellos mittentes pedem miremur Septimium, causidicinæ implicatum muneribus, nec minus tamen mancipatum Christo, hunc enim tenuit aliquamdiu *n* Ad-

Baron. Tom. 2. an. 195. num. 4. & 5.

Baron. Tom. 2. an. 382 nu. 79.

e Susceperam causam Iulij pastoris, quam mihi quiescêti visa est socrus mea aduoluta genibus, ne agerem obsecrare: Et eram acturus adolescêtulus adhuc; eram in quadruplici iudicio: eram côtra potêtissimos ciuitatis atque etiam Cæsaris amicos: quæ singula excutere mentem mihi post tam triste somniû poterant. *Plin. 1. Epist. 18. de ceteris v. eumdem. 1. Ep. 5. 23.*

f Hunc Tribonius Rufinus vir egregius nobisque amicus in Duumuiratu suo tollendum abolendumque curauit. Negabatur ex authoritate publica fecisse: egit ipse causam non minus fœliciter quam disertè; commendabat actionem, quod tamquam homo Romanus & bonus ciuis in negotio suo maturè & grauiter loquebatur, &c. Placuit agona tolli qui mores Viennensium infecerat. *Plin. 4. Epist. 22.*

g Externi sumus: & vestra omnia impleuimus: vrbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, Senatum, forum *Tertullian. Apolog. cap. 37.*

h Is (Epagathus) poposcit se audiri pro ciuibus optimis, & quibus nihil impietatis commissum probari poterat loquuturum: erat enim nobilissimus inter suos & eruditissimus: verùm, cùm defensionem eius non reciperet obstinatio iudicis, inquirit tantùm ab eo, si & ipse Christianus esset, vtque se Christianum esse clarissimâ, & liberâ voce testatus est; Tamquam Aduocatus, inquit, Christianorum & ipse vinctorum numero societur; sed in hoc illi quidem quid dicerent, ignorabant. Ille verò habens in se Aduocatum pro nobis Iesum hoc nomine meruit honorari. *Euseb. 5. historia 1.*

i Nam & Proculum Christianum, qui Torpacion cognominabatur, Euhodeæ procuratorem qui eam per oleum aliquando curauerat, requisiuit (Seuerus) & in palatio suo habuit vsque ad mortem eius. *Tertullian. ad Scapulam. cap. 4.*

l Hic namque (Scirion) cùm rem potentis sub mercede procuraret, iubetur ab eo idolis immolare; recusans, cogebatur injuriis: persistens, rursum blanditiis mulcebatur; cùm verò vtrumque contemneret, præacutâ sude validissimè transuerberatus per media viscera neci traditur *Euseb. 6. Hist. 31.*

m Qualis Philoromus ille fuit qui primariam dignitatem ab Imperatore apud Alexandrinos consequutus, cum splendido militum satellitio, pro dignitate sua Romano more quotidie tribunali causam dicens astabat. *Nicepho. Callix. 7. histor. 9 in princip.*

n Tertullianus vir & legum & institutionum Romanarum peritissimus. *Euseb. 5. histor. 2.* Anno igitur Domini 194. &c. Tertullianus adhuc Ethnicus causarum Patronum agebat Carthagi-

ni, &c. Anno Domini 195. &c. adhuc Carthagini Tertullianum fuisse Aduocatum verisimile est. *Pamel. in vita Tertullia.* Qui & eumdem Ceruidij Scæuolæ fuisse discipulum, & sub eo, Seueri Imperatoris & Papiniani studiorum sodalem existimat.

uocatio Christianum, quem postea sacerdotio dedit alumnum. Post hunc, Theophilum *o* intueamur, Dorotheæ primùm virginis irrisorem, sed paulò post visis è paradiso quæ misisset illa pomis, fidem amplexum Christianam, martyrio coronatum. At, forsan, à suscepta fide forum non reuisit qui mox ad tormenta raptus est? Pergamus igitur vlteriùs, & Philogonium amplexemur integræ famæ Causidicum, vitę Christianę Aduocatum *p* inuitis licet quæ sub Diocletiano viguerant, sub Licinio repullulauerant temporum iniquitatibus; quod si te moueat quinquennio ante mortem, in Antiochenum illum Antistitem electum, audi quid de forensi illius occupatione os aureum pronuntiet; *q* solem splendore suo vicisse asseuerans.

Non tibi satis est? sanè nec mihi, cui nec materia deficit. Quæramus, ais, virum, qui cum Tertulliano dicere non queat, ego nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo; sed potius & verius: officio aduigilo, nostra præoccupo, prætoria obseruo. Rectè dicis, is autem nobis adest, Minutius Fœlix, *r* perpetuò, quod sciamus, Romano addictus foro, non vilis, cæteroquin, sed insignis Causidicus, cuius & summa pietas præclarum de veritatis assertione monumentum erexit. Christianum hisce temporibus vides, eumdemque Causidicum; Quid pluribus opus est, vt illum ipsum scias corruptelam vitasse fori, sanctitatem seruasse fidei? Plures exoptas ei similes? non defuerunt sanè qui vixerint, sed qui illos recensuerint, ni forsan posteris eadem lues eos abstulerit, quâ pleraque monumenta Martyrum euersa sunt; & tamen, si vel Phrygiam illam *s* ciuitatem intendimus, à summo magistratu ad infimum è plebe in odium fidei excisam, inficiari-ne poterimus, forum quod Christiana pietas informasset à corruptela vacasse?

Tertull. de pallio, ca. 5.

o Theophilus Aduocatus Præsidis cùm duceretur Dorothea ad supplicium irridens ait: *Eia tu sponsa Christi mitte mihi de paradiso sponsi tui mala aut rosas. Et paulò post.* Igitur Theophilus Aduocatus præsidis irridēs Promissionem S. Dorotheæ. *Acta Marty. S. Dorotheæ apud Baron. Tom. 2. anno 304. num. 71. & 72.*

p Antiochiæ natalis S. Philogonij Episcopi, qui ex Causidico ad eam regendam Ecclesiam Dei nutu accersitus, &c. *Martyrolo. Roma. 20. Decēb.* Cuius structuram reliquam Philogonius perfecit: qui ex Causidico Episcopus factus illi (Vitali) successit, Liciniique temporibus, vti virum fortem decet, ardorem æmulationemque suam pro vera pietate ostendit. *Nicephor. Callixt. 8. Histor. 6. in princip.*

q Adeò castam & insignem prius egit (Philogonius) vitam; cùm vxorem & filiam haberet, & in forensibus negotiis versaretur: adeò solem ipsum splendore suo vicit, vt protinus ab illo gestu, magistratu hoc dignus videretur, & à tribunali ad tribunal euectus sit. *Chrysost. orat. de beat. Philog. apud Baron. Tom. 3. anno 314. num. 93.*

r Minutius Fœlix, Romæ insignis Causidicus, *D. Hiero. de Scripto. Eccles.* Minutius Fœlix Causidicus Romani fori. *Idem Epist. 84. ad Magnum orato.* Ex his qui mihi noti sunt, Minutius Fœlix non ignobilis inter Causidicos loci fuit. *Lactant. lib. 5. de iustitia. cap. 1.*

s Oppidum totum Phrygiæ quoddam ciues scilicet vnà cum conjugibus & liberis vniuersos, milites armati circumuallantes, igne injecto exusserunt. Crimen erat quod & Præfectus magistratusque & populus eius omnis Christum inuocarent, eisque qui idola eos colere iussissent, minus obsequentes essent. *Nicepho. Call. 7. Histo. 19.*

CAPVT XVII.

Mors Papiniani, & inchoatæ conclusio materiæ.

SEd non desunt quibus gentilia magis arrident quàm Christiana; & his iterum ethnicam Papiniani virtutem exhibeo, si tamen infirmiora eorum lumina, vel cadentis illius sideris queunt sustinere fulgores.

Æstuat Bassianus, consortis impatiens, etsi fratris, dolisque non succedentibus, vim adhibet, quâ tota natura concutitur. Fratrem propriâ mactare dexterâ, nil Romæ nouum, ab incunabulis talia edoctæ, talia passæ, nec nisi à cruentata fratricidæ manu vallatæ muro donatæ regno; crudelius quid debetur Antonini ferociæ, vt quem vincebat imperij potentiâ, facinoris quoque sæuitiâ superaret. Matris igitur sinum è nimia fœcunditate sibi nociuum, sibi exosum, fœtui quem tulisset aram destinat, Neronianum etiam, si fors dederit, Romuleïo flagitium additurus, impiéque adeò susceptum exequitur, vt in materno *a* supplicem gremio, spretâ sanctitate asili, matre etiam læsâ, fratrem obtruncet, vtero, si valuisset, quantumcumque olim dederat sanguinem, refusurus. Quot iam vel in vno Principe scelerum monstra, vel in vno Cæsare flagitiorum portenta? En Bassianus, parricida *b* dudùm voto, matricida etiam cœpto, fratricida demùm facto comprobatur. Nec tamen satis, mox etenim á defectione *c* milites pecuniâ continet, à luctu matrem *d* deterret ferociâ, & ne quid desit immanitati suæ, quem è viuis impiè sustulerat, tentat insuper spoliare innocentiâ, onerare inuidiâ. At quem adhibebit virum? Non desunt equidem sub tyranno venales linguæ, non ora mercenaria, non seruilis facundia: his curia repletur, his forum pullulat, his præcipuè notantur Antonini tempora, Bassiani regna; Verùm, innocentior deperdito Principi defensio necessaria est, emptitius orator reum onerat non purgat; causaque deterior è munerali fit Patrono. Virum igitur cogitat illustrem, probatæ vitæ, famæ integræ, cuius orationis veritas ab ingenua æstimetur conscientia, talisque demum illi videtur Papinianus. Huic sicut & Geta *e* à patre commendatus fuit, pari-

a Ad matrem confugerat (Geta) ac iam tum ex collo pendebat adhærebatque ipsius pectori atque vberibus. *Et paulò post.* Mater decepta filium occisum nefariè in sinu suo conspexit, eiusque cædem intra sua viscera quodámodo, ex quibus ipsum pepererat, recepit, nam ita sanguine perfusa est, vt vulnus quod ipsa accepit, in manu nihil faceret. *Dio Cass. lib. 77.* Irrupto fratris cubiculo, nihil eum talé expectantem, supra matris pectus multo vndantem sanguine sæuus obtruncat. *Herodian. lib. 4.*

b Antoninus equo refrænato, magno silentio percommodè gladium distrinxit, vt tergum patris percuteret, quod vbi animaduerterunt ji qui simul equitabant, exclamauerunt protinus, eoque clamore perterritus Antoninus se abstinuit. *Dio Cass. lib. 76.*

c Clausis portis diu Imperator non admissus, nisi delinitis animis non solùm querelis de Geta & criminationibus, editis; sed enormitate stipendij militibus vt solet placatis. *Spartia. in Caracal.*

d Neque verò (mater) lamentata est aut luxit interitum filij, quamuis immaturum, &c. Sed quasi foret in maxima fœlicitate, lætari & ridere coacta est, adeò verba eius omnia nutusque & color obseruabantur, itaque huic soli cùm esset Augusta, Imperatoris vxor, & Imperatorum mater, ne priuatim quidem licuit flere casum acerbissimum. *Dio Cass. lib. 77.*

e Papinianum amicissimum fuisse Imperatori Seuero, & vt aliqui loquuntur, affinem etiam per secundam vxorem memoriæ traditur; & huic præcipuè vtrumque filium à Seuero commendatum: eumque cum Seuero professum sub Scæuola & Seuero in Aduocatione fisci successisse. *Spartian. in Caracal.*

que affectu vtrique debito, vix inesse poterit propensioris in superstitem quam in cæsum suspicio; Accedit viri consummata in omnibus gloria, Seueri sub Ceruidio studiorum sodalis, eiusdemque successoris in Aduocatione fisci, Iurisprudentiæ luminis, asili iustitiæ, Pretorio Prefecti, talis denique quem vel Imperatorem iuuet & deceat sibi aduocare patronum. Quis Antoninum fratricidam credet Papiniano negante; quis Getam dicet innocentem, Papiniano incusante? At vir captandus est; & fauet admodum huic rei iniqua ipsius conditio, recens *f* è Curia pulsi, quo enim non videtur opere Principis gratiam redempturus? His fretus Caracalla, virum aggreditur, eique mandat, vt & in Senatu per se, & apud populum quo liberet modo, facinus è Geta cæso creditum dilueret. Conueniens sanè tyranno iussum, sed digna itidem Papiniano hæc fertur responsio, *g* NON TAM FACILÈ PARRICIDIVM EXCVSARI POSSE QVAM FIERI. O sagax prudentis, an monitio, an oburgatio? Innocens es, Bassiane? Tibi ipsi sufficis, imò nimius es; Innocentia loquax iactatio fit in plebe, at in Principe, odiosa prorsus insultatio; Si verò reus es, quid linguam exquiris alienam, dextrâ vt occideres non aliâ vsus quàm tuâ, nisi iam agnoscis non pari facilitate dilui posse fratricidium quà committi? Instat tamen Antoninus, eò se innocentiorem haberi exoptans, quò sceleratiorem agnosceret, dicendique munus à Papiniano detrectatum in leuius commutat; Non loquatur, ait, sed saltem scribat, aut si nec scribere fas ducit, amanuensi dictet, quæ Getam oneret, orationem. Sed veram, non fucatam, professum se Philosophiam Papinianus ostendit; clàm, manu-ue tantùm admotâ haudquaquam sibi licere contestatus, quod palàm sermoneque edito non liceret. Et ne quid amplius ea in re, de sua spereretur industria, breui hoc responso cuncta diuellit; *h* ALIVD EST PARRICIDIVM, ACCVSARE INNOCENTEM OCCISVM.

Quid ad hæc Tyrannus? Furit, minatur, & demùm in renitentem iubet animaduerti. Ducitur ergo ad pœnam innocens, & quo indigniori afficiatur supplicio, securim tortor adhibet non gladium. Fictitiè ne *i* an verè improbauerit hoc tyrannus, nondum constat, attamen certum est id quoque ad gloriam cessisse Æmylij, quò enim genus mortis Turpius est, eò mors ipsa honoratior, innocenti data, probo inflicta. Sic egregium Romani fori lumen extinctum est, sic discerptum & violatum iuris asilum, sic prædiues & immensus legalis doctrinæ euacuatus est thesaurus. Quid dico tamen? Fallor sanè: an enim splendidior esse potuit tanti viri obitus? En, tot ora aperta quot excisæ venæ suis simul & futuris loquuntur sæculis, imò cruor vnus mirabili quodam officio fit sermo triplex, qui facundo nec confuso tamen ordine, & propriam cadentis integritatem commendat, & Getæ prædicat innocentiam, & Bassiani reuelat nequitiam. O lumen ergo magis accensum dum extingui creditum! O iuris asilum nedum in vita, sed & in morte comprobatum! O illibata iuris & æqui protectrix lingua! Docere quid profuisset, si non accessisset defensio? O vir nedum

f Domesticos suos partim dimisit, in quorũ numero fuit Papinianus Præfectus prætorio. *Dio Cass. lib. 77. in princip.*

g Multi dicunt Bassianum, occiso fratre, illi (Papiniano) mandasse, vt & in Senatu per se, & apud populum facinus dilueret, illum autem respondisse, non tam facilè parricidium excusari posse quã fieri. *Spartia. in Caracal.*

h Quod dictare (Papinianus) noluerit orationem quâ inuehendum erat in fratrem, vt causa eius melior fieret qui occiderat, respondisse, aliud est parricidium accusare innocentẽ occisum. *Spartian. in Carac.*

i Cæsi sunt ex illustribus quoque multi, & maximè Papinianus, cuius interfectorem increpauit, quod eum securi interfecisset non gladio: *Dio Cass. libr. 77.* Ita vt Papinianus ipse securi percussus sit improbante Bassiano, quod non gladio res peracta sit. *Spartia. in Geta.*

acutissimi ingenij, sed & integerrimi iuuentus animi! O mors tamdem *l* osoris licet Christianorum & insequutoris, vel Christiano tamen exoptanda Causidico! Quem habuit, quæso, Græcia huic viro parem? Afraniam se non nouisse iactitet, sed quem Græcinum tulit, quem Papinianum aluit? Accedet-ne Demosthenes iniquam vel cum vitæ periculo detrectans accusationem? At non vsque ad sanguinem restitit, satisque est quo vtroque illo comprobetur inferior æquè non potuisse ac potuisse, & demum ex incerto quid fecisset, certum tamen non fecisse. Iniquior, dices, Romæ quam Athenis hos euexit principatus heroas. Esto. Mitius Atticum quam Romanum fuerit Imperium, sed an ideò illustrius Romanum quàm Atticum desiit esse forum?

Plutar. in Demosth.

Abundè-ne igitur, spurcitiam temporum diluimus? Sanè non ab omnibus vindicari posse forum haud inficiandum est, sed tamen constat iuridicinam vel per flagitiosissima sæcula viros tulisse integerrimos, priuatorumque vitiis, non ordini tribuendum, quodcumque in ministerio prorepsit virus; Suilio, cæteroquin, Græcinus à nobis iustè opponitur, Cossutiano Saturninus, Regulo Secundus, Tuscillo Tacitus. Quos vltra historia suppeditat tot tantisque à Secundo recensitis adæquandos? Sed quem vel Papiniano parem? Conticescant, quæso, post hæc Samij manes; sat & forsan nimiùm parentatum est illis tanti viri nece. Reuocet itidem togatos suos Columella vultures, quos tamdem purpurati nostri Cygni moriente suo vicerunt cantu. His autem omnibus si recensita à nobis Christiana iungantur ora & pectora, num, quæso, fateri forsan necesse erit, *vbi abundauit delictum, superabundauit gratia*?

Rom. 5. 20.

l Papinianus insuper, inter omnes qui Romæ ius dicerent iudices eminēs, & alij Iurisconsulti quod in causis Christianorum iudicandis (vt de iis vehementer scriptâ pro Christianis defensione Tertullianus cōquestus est) nullam penitus æqui habuissent rationem, sed proculcatis legibus innumeros innocentes homines condemnassent ipsi pariter, nullâ mortis dignâ allatâ causâ, contra ius fasque libidine tantùm incitati animi Principis, quæ in Christianos irrogassent, eadē mortis supplicia pertulere. *Baron. to. 2. an. 214. nu. 3*

CAPVT XVIII.

Qualiter Impp. M. Antoninus, Alexander, Constantinus Magnus, Constantinus Iunior & Constantius, erga Togatos se habuerint.

NEc sanè inferior quàm palmata virtus Aduocatio comprobata est, nusquam, vt vidimus, imposito licèt, dejecta pondere, imò in sua depressione assurgens, oneri non cedens; vtque gestit palma si sol affulgeat, solum ferueat, sic & tamdem Principe sanctiùs regente, plebe iustiùs agente, suas extulit Aduocatio frondes, illis ipsis, sed tamen ab Imperiali tantùm manu, coronanda.

Fœlix ciuitas, aiebat Plato *a*, si aut Philosophi imperent, aut Reges philosophentur; sed & florens Philosopho imperante iuridicina; Quo enim non laudis & gloriæ peruasit forum, eo summam

a Nisi Philosophi in ciuitatibus summā authoritatem potestatemque obtineant, vel hi qui nunc Reges & optimates dicuntur & rerum summam obtinent, gen[illegible] cumulatâ quadam ratione philosophentur, ac in idem concurrant ciuilis illa potentia & Philosophia, ipsarumque quæ nunc in varias partes abeunt inuicem seiunctæ atque separatæ naturæ

necessario quodam vinculo in vnum coalescant; nulla erit, mihi crede, Glauio, nulla erit malorum in ciuitatibus quies, generi humano vmquam. *Plato 5. de Repub.*

b tenente Regni qui è malis bonos, ex bonis optimos fecisse perhibetur? Libera sane periclitantium defensio, imò liberrima vel apud eum Principem, qui Senatui penè deferre omnia, delatoribus intercedere, fisco vix fauere, vetera restituere iura, causas summâ æquitate cognoscere, semestria inire consilia, ciues tamdem ceu in vrbe libera & habere & amare, commissum sibi reputabat imperium.

Seuerior forsan in Causidicos Alexander extitisse videbitur, qui libertis etiam Patrociniorum munus communicari voluerit; *c* at responderi poterit, quo in foro non constare; tùm, quid mirum standi necessitatem deligi permissam, quibus & sedendi honor iampridem concessus fuerat, maximè verò & vitæ innocentiâ, & litterarum eruditione conspicuis? Nec facessat nobis negotium seruitutis memoria, iam enim alij prorsus libertate datâ euaserunt, Seuerique præcipuè vel in eo commendatur æquitas, cùm ex tunc beneficij accepti gratiam manumissi referre possent, & ex impenso ciuibus patrocinio, non indignis concessa libertas nosceretur. Qualem, cæteroquin, se demonstrarit erga Causidicos Alexander, abundè testatur Lampridius, qui eum recitatas *d* olim in foro causas iterum audire delectatum asserit, & in prouinciis etiam, forensibus oratoribus plurimum detulisse, annonâ iis datâ, quos gratis agere cognouisset.

l. 2. ff. de off. Assesso.

b De M. Antonino Philosopho sic passim Capitolin⁹. Dabat se Marcus otum Philosophiæ, amorem ciuium affectâs, neque quisquã rincipum amplius Senatui detulit. Calumniis quadruplatorũ intercessit, delationes, quibus fiscus augeretur, contempsit. Ius autẽ magis vetus restituit quã nouum fecit, habuit secum Præfectos quorum authoritate & periculo semper iura dictauit; vsus autem est Scæuolâ præcipuè Iurisperito. Cum populo autem non aliter egit quam est actum sub ciuitate libera, fecitque ex malis bonos, ex bonis optimos. Fisco in causis compendij numquam iudicans fauit. Capitales causas hominum honestorum ipse cognouit, & quidem summâ æquitate. Cæterùm de Marci semestribus notat. *Vlp. ad §. 1. institut. de excusatio. tutor.*

c Extat ea lex, estque secunda Cod. de postulando, his verbis concepta. *Nec cæterorum liberti, nedum mei quidem, si ita sunt eruditi, vt patrocinia desiderantibus præstare possint, prohibentur id facere:* PP. Non. Mart. Iuliano II. & Crispino Coss. id est, anno Christi 225. secundùm fastos Consulares Contij, quem deinceps sequemur.

d Audiuit autem etiam forenses oratores causas recitantes, quas vel apud ipsum, vel apud Præfectos vrbis egerant. *Et paulo post.* Etiam in prouinciis oratoribus forensibus multum detulit, plerisque etiam annonas dedit, quos constitisset gratis agere. *Lamprid. in Alexand. Seuero.*

Constantino Magno non ea sola debetur à togatis gratia, quod forensis industriæ *e* osorem acerrimum sustulerit, sed præcipuè, meo quidem iudicio, quod nitoris & candoris fori amantissimum se præbuerit, imò zelantissimum; Sacro nondum renatus fonte cùm Treueris subsisteret, audiuit Prouinciales ab Africani fiscij Aduocato malè habitos; extemplo rescripsit *f* nequaquam morarentur incolæ adire iudicia, probare injurias, mandauitque Proconsuli vt in reum conuictum, vltione competenti animaduerteret; At vbi Christianæ initiatus fidei intonantem audiuit Apostolum, QVI PRÆEST, IN SOLLICITVDINE; è quocumque foro monstra abegit, èque togatorum mouit *g* ordine, quot immensis inhiantes compendiis, depræ-

Rom. 12 v. 8.

e Is fuit Licinius: de quo sic Sex. Aurel. Victor in Epitome. *Infestus litteris, quas inscitiam immodicam, virus ac pestem publicã nominabat præcipuè forensem industriam.*

f Est lex 1. Cod. de lucris Aduoc. lib. 12. data Kal. Nou. Treueris, Constantino Aug IV. & Licinio V. Coss. anno 315.

g L. 5. Co. de postulando. Data 3. Kalend. April. Paulino & Iuliano. Coss. anno 325. In qua pro sæuitate, scæuitate agendum probat Mornac. ad eandem legem.

datricem clientibus operam exhiberent. O dignam Christiano Augusto sanctionem! Sed ô præclarum quanti fecerit Aduocationes monumentum! Professionem quippe ingenuam nullâ prorsus voluit scæuitatis maculâ deturpari.

Zelatori Patri zelotes itidem filius successit Constantinus iunior, cuius in seuera sanctione principalis de fori sanctitate prouidentia effulsit; quos enim Aduocatos conscеleratis depectionibus præcipuas clientum deglutire facultates audisset, *h* ab honoratorum cætu iudiciorumque conspectu præcepit segregari; moxque paternis etiam inhærens vestigiis, cùm officiales scholasticos, fisci inquam sui Aduocatos, multa indignissimè ab Afris Prouincialibus postulare resciuisset, cunctis imperauit *i* iudicibus, & Prouinciales tueri, & inultas huiusmodi nequaquam pati injurias; sic igitur, vterque Christianus ille Princeps, quasi vir Euangelicus ventilabrum habens in manu sua, sordidam gentilitatis aream tum in templis, tum in foris studuit expurgare, quasque ab illa paleas iniquitatis ejecisset, quasi igne comburendas inextinguibili, valituro in perpetuum decreto amandauit & propulit.

Matth. 3. v. 12.

Remissior forsan Constantij videbitur de togatis sollicitudo; ni dixerimus forensem disciplinam ab vtroque vt vidimus Constantino, quodque magis est, ab ipsa demum Euangelij claritate post euacuatos tamdem gentilitatis errores, plenius illustratam, quâ in parte restitueretur non indiguisse. Tunc enim & Paulus crebrò medias inter legum recitationes adducebatur, & nemini non innotescere poterat vox ipsius Apostolica; *Rationabile sit obsequium vestrum; ambulate sicut decet sanctos.* Ad nostra tamen vsque tempora peruenit Imperatoris huius constitutio, quæ nonnisi ab Aduotis *l* eorumque consortio dari voluit Prouinciæ sacerdotem; nec nobis, quæso, de isto sacerdotio difficultas moueatur, patrimoniale *m* quippe, non spirituale, ethnicum non Christianum ab instituto fuit munus, à quo nec Aduocati excusabantur tunc temporis, cùm nulla adhuc iura, forensium quæstionum patronis, vacationem ciuilium munerum tribuissent; sic Decuriones, quamuis Patrocinij implerent institutum, nequaquam tamen à curiæ soluebantur oneribus.

h L. 1. Cod. Theodos. de postuland. Aduocatos qui consceleratis depectionibus suæ opis egẽtes spoliant atque denudant, non iure causæ, sed fundorum, pecorũ, & mancipiorum qualitate ratione que tractatâ, dum eorum præcipua poscunt coactâ sibi pactione transcribi, ab honestorum cætu, iudiciorumque conspectu segregari præcipim⁹. PP. viij. Idib. Mart. Constantinopoli. Constantio Aug. III. & Constante II. Coss. ann. 342.

i L. 2. Cod. de lucris Aduo. lib. 12. Dat. Calen. Iuil. Leontio & Salussio Coss. ann. 344.

l L. 46. Cod. Theodos. de Decurion. lib. 12. A solis præcipimus Aduocatis eorumque consortio dari Prouinciæ sacerdotem; nec aliquis arbitretur ita esse Aduocationis necessitatem impositam sacerdotio, vt & ab eo munerum oppidaneorum functio secernatur. Cùm nulla vnquam iura patronis forensium quæstionum vacationem munerum ciuilium præstiterint. Nullum igitur Aduocatum à curia (cui tenetur obnoxius) patimur excusari, videlicet si ciuico nomine aut vinculo incolatus oppidanea necessitas eum detinet obligatum: itaque apud alios etiam iudices operam dantes negotiis perorandis, obnoxios esse decernimus sacerdotio; sic videlicet, & vt intra eam Prouinciam huiusmodi honoribus mancipentur, vbi eos necessitas curialis detinet obligatos. Dat. v. Kalen. Iul. Mursæ. Datiano & Cereale Coss. id est anno Chr. 358.

m De eo sacerdotio v. l. 8. Cod. de muneribus patrimo. & ibi. Cujac. & Godof. l. 1. ff. ad l. Iul. de ambitu. l. 8. in prin. ff. de excusat. mun. l. 1. Cod. de periculo success. paren. Cujac. 2. obseruat. 13. Sacerdotes isti ludis præerant.

CAPVT XIX.

Quid de forensi disciplina statuerint Impp. Valentinianus primus. Valens, Gratianus, & Valentinianus secundus.

AT seu quæ homini propè ingenita est ad malum procliuitas renascentia hydræ capita forensi consuisset nequitiæ, extirpatasque vixdum sordes à causidicinæ muneribus dolosâ prauitate reduxisset, seu bini fratres Imperium adepti, fugatis voluissent pestibus omnem prorsus repullulandi spem adimere, lex tamdem *a* ab iis emissa est, quâ separatim iudici, separatim Aduocato partibus assignatis, conuiciatrices linguæ, deprædatrices operæ, moratrices industriæ foro exulare iussæ sunt, Honoratorumque dignitas postulationum officiis, nequaquam imminui declarata. Nusquàm anteà, vt fatentur omnes, *b* sanctio exierat fusiùs & sanctiùs mores informans Causidici, adeo-ut digna prorsus videatur quam Cæsares tulerint, pro Christi fide *c* ante adeptum imperium, glorioso Confessorum honorati titulo; & vtinam neuter à suscepto itinere deuiasset. Si verò quid de Honoratis *d* per eam statutum fuerit attendatur, forensis sanè gloriæ comprobatur vindex, liberti etenim iam miscentur honoratis, & vtrosque conglobat eadem professio, seruatâ tamen ingenuitate suâ; ita vt nil damni admittat, nil splendoris adimat, satque illustrata natalibus, valeat equidem promouere, at nesciat detrahere.

Accessit biennio post digna imperiali sollicitudine materia; clientes quâ poterant industriâ, ne fraude dicam, Patrocinia aduersariis præripiebant, ita vt plerumque alter è litigantibus hilariori gauderet foro, alteri nonnisi rudiore eâque impari defensione relicta. Hunc exosi dolum Imperatores æquam *e* iusserunt Aduocatorum distributionem fieri: Et ne quis Causidicus mandatam sibi detrectaret Aduocationem, recusantem nec iustâ tutum excusatione, foro carere voluerunt, præcisâ etiam in posterum omni restitutionis expectatione.

a L. 6. Cod. de postulando, ab Impp. Valentinia. & Valente lata P.P. 11. Kal. Septemb. Valentiniano & Valēte A.A. Cos. ann. 368.

b Not. benè hanc legē, quia instruit Aduocatum in bonis moribus, & si quis seruaret hanc legem, reputaretur sapiētissimus Aduocatus quoad Deū & mundū. *Gloss. ad d. l. 6. Cod. de postuland.*

c Fidei namque causa, ambos, (Valenti. & Valent.) ne Iuliano Imperatori obtemperarent sacrificanti, baltea deposuisse author est Socrates. *Baron. tom. 4. ann. 364. num. 7.* Valens tamen posteà Arrianus factus est.

d Apud vrbem autem Romanam, etiam honoratis qui hoc officium putauerunt eligendum, eo vsque liceat orare quoad vsque maluerint, &c. Nec putet quisquam honori suo aliquid esse detractum, cùm ipse necessitatem elegerit standi & contempserit ius sedendi. *d. l. 6. Cod. de postulan. §. 5. & 6.*

e L. 7. Cod. de postuland. Dat. Kal. Mart. Treueris. Valentin. & Valent. A. A. vtrisque III. Coss. ann. 370.

Denique cùm ad perorandas causas, laudum atque industriæ amore ducerentur, qui è Decurionum ordine patriæ suæ municipio necessarias debebant functiones, durumque esset eos vel à patrociniis excludi, vel Reipublicæ subtrahi, eâ moderatione vsi sunt Principes, vt propriæ addictos ciuitati, foro interesse permiserint: numquam tamen contra municipium acturos, nisi dum naturalis pietas

pietas iura ciuilia superaret, exemplo ab Aduocatis fisci petito: binæ *f* autem quæ latæ sunt ea propè de re sanctiones, singularem vel ab authoribus venerationem mutuatæ videntur, cùm vnaquæque earum tres in fronte ferat Augustos.

f Prima earum legũ ab Impp. Valente, Gratiano & Valentiniano II. lata est 15. Kalen. Septemb. Rauennæ Valente VI. & Valentiniano III. A. A. Coss. ann. 378 extatque l. 3. Cod. de Aduo diuersor iudicior. altera ab Impp. Valentiniano II. Theodos. & Arcadio, extatque Cod. Theodo. de Decurioribus. l. 116. sic concepta: Omnes qui ex origine Decurionum ad perorandas causas laudum atque industriæ amore ducuntur: reddant patriæ cui nati sunt debitas functiones: nec sese superflui nominis prærogatiuâ defendant; quandoquidem faciliùs parere muniis possunt, si necessitatem publicam, eo tempore quo student causis, industriæ fauore tolerauerint. Dat. VI. Kal. April. Constantinopol. Velantiniano A. III. & Eutropio Coss. id est ann. 387.

CAPVT XX.

Illustres Aduocationis alumni Aprus, Ambrosius, Chrysostomus & Germanus.

QVid autem mirum si tot benignis affulsa sideribus palma nostra viruerit, ramosque vbique gentium extenderit triumphales? Etenim si Dominus dedit benignitatem & terra itidem nostra protulit fructum suum, tanti verò saporis & meriti, vt ipsamet
Psal. 84 v. 13. Ecclesia iubilans exclamet, *Et fructus eius dulcis gutturi meo.* Dederat Aduocatio Confessores & Martyres, dum Christiani nomen, capitale crimen inuoluebat; at vbi pax concessa est Ecclesiæ, dedit
Cantic. 2. v. 3. Pastores, dedit Episcopos, *a* dedit Doctores, dignos sanè fructus eâ radice quam Imperiales coluissent manus, curæ fouissent.

Primus autem quem adducam Aprus *b* est, in ipsis etiam causidicinæ officiis monachali deuotione clarus, affectu notus. Quis prudentiùs vmquam mancipare nouit fori fragores, modestiæ; clientelæ sarcinas, patientiæ; Patrocinij curas, studio charitatis? Monachismum tamdem è foro petiit, sed proximo etiam non sibi soli natus, in Tullensem protinus assumptus est Pontificem.

Ambrosius itidem, administratione *c* equidem carens, non tamen dignitate vtpote honoratus, sedendi contempto iure, necessitatem elegit standi, patronique *d* munus impleuit morum integritate seruatâ; eloquens sanè, nec minus innocens, ita vt forense illi tyrocinium ad præfecturam Ecclesiæ, dum Prouinciæ, viam fecerit.

a Concil. Sardicẽs. Cano. 10. ἐάν τις πλούσιος, ἢ Σχολαστικὸς ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς ἀξιοῖτο Ἐπίσκοπος γίνεσθαι, id est, *Si quis diues, vel ex foro scholasticus, Episcopus fieri dignus habeatur*; habitum est illud Concilium Rufino & Eusebio Coss. anno Christi 347. *V. Baron. tom. 3. eod. an. num. 1.*

b De S. Apro ita Baron. ad Martyrol. Roma. 15. Septem. Hic ex Causidico monachus, & ex monacho est factus Episcopus. De quo S. Paulinus Episcopus Nolanus, Ep. 27. 28. & 29. In quibus de ipso fusius; *& paulo suprà.* Ponitur hic septimus ordine in tabulis Episcoporum Tullensium quas descripsit Demochares.

c Honorati dignitatem habebant sine administratione.

d Postquam edoctus est liberalibus disciplinis, ex vrbe egressus est, professusque in auditorio præfecturæ prætorij, ita splendidè causas perorabat, vt eligeretur à viro illustri probo tunc Præfecto prætorij ad consilium tribuendum. *Pau. in. in vita Ambros.* In publicam palæstram, hoc est in forum descendit, atque in auditorio præfecti prætorij causas agere cœpit, &c. Tunc & Symmachus Senatorum præcipuus vir consularis etsi gentilis, Ambrosij virtutes moresque suauissimos & singularem dicendi copiam admiratus, &c. *Baron. in vita Ambros.* Foro autem discessit ad præfecturam, &c. discessit ad præfecturam Ambros. anno 369. vt patet ex Baro. tom. 4. eo. an. nu. 39.

Quantus in foro, qui sic agebat Causidicum, vt Episcopalem sensim indueret virum, quin & Doctorem formaret Ecclesiæ: O fortunata fori palæstra quæ tantum tulit Athletam! O CAVSIDICINA FOELIX QVÆ SIC ABSOLVIT ADVOCATVM VT PRÆPARARIT EPISCOPVM!

Tertius occurrit nobis Chrysostomus, qui nec se fori negat alumnum, adeò diceres, orientem ne vel in hoc cederet occidenti, suum etiam è causidicina voluisse Doctorem, eamdemque professum Chrysostomum quem adæquaret Ambrosio sustulisse. Qualis autem in foro ille non à Libanio *e* deposcamus; licèt enim Ioannis eloquentiæ nedum admirator, sed etiam laudator extiterit, suprema tamen charitatis officia non potuit referre qui ethnicis impeditus technis agnoscere non valuit. Ipse igitur vel infernus quantus fuerit Ioannes edisserat. Mirùm sanè; arreptus à demone liberatur Artemius Ioanne intercedente; * éque miraculi notitia cùm ab Atheniensi Præsule patrator in Clerum deposceretur, aufugit, plenamque tantę potentiæ animam fori Antiocheni mancipat officiis. Iam vel ex vngue leo noscatur; sanctitas causidicinæ *f* adiungitur, imò addicitur, inque iuridicinæ gremio fouetur lumen quantascumque tenebras erroris suo tempore fugaturum. O fœlix de tanto alumno forum! Exclama iubilans, & iure potes, PARAVI LVCERNAM CHRISTO MEO. *Psalm. 131. v. 17*

e Voluptate affectus sũ, quòd ad forensem operam, in qua arte specimen edis, demõstratiuum quoque dicendi genus adiungis. *Liban. Epist. ad Ioan. Chrysostô. apud Baronium, to. 4. anno 382. num. 57. Et num. præceden.* Sic idem Baronius: E Rhetoricis scholis egressus quanta cum fælicitate in agendis causarum controuersiis in foro versatus sit, ex litteris Libanij tunc temporis ad eum scriptis satis assequi vales.

Quartus feracitatem Gallię nostræ commendat, quæ Ambrosium enixa, Germanum addidit, binisque clara Causidicorum *g* natalibus, binis etiam Exaduocatorum infulis fuit illustrata. Hunc *h* autem in quem plena litterarum perfectio confluxerat, fora primùm Gallicana tyronem habuerunt, mox Romana Curia tenuit adultum, & vt, cui non aliæ quam Ambrosio cunæ, dignitas quoque non diuersa affulgeret, è foro præfecturam adeptus, pastoralem inuitus subiit curam & infulam.

* Vitá Chrysostomi apud Surium & Ribadeneiram.

f Natus Chrysostom. anno 355. foro cessit annum agens vigesimum secundum; id est, anno 377. vt ex Baronio colligitur ad annum 382. num. 58. 59. tom 4.

g Hi fuere Ambrosius & Germanus. Exaduocati verò qui in Galliarum partibus Antistites euaserunt: Aprus Tulli, de quo supra: Germanus Antissiodori.

h Atque vt in eum perfectio litterarum plena confluerct, post auditoria Gallicana intra vrbem Romam iuris scientiam plenitudini perfectionis adiecit. *Constant. Monachus in vita S. Germani. cap. 1.* Hic parentibus splendidissimis procreatus, & ab infantia studiis liberalibus institutus; post auditoria quoque Gallicana, Romæ iuris scientiam acquisiuit: deinde tribunalia præfecturæ professione Aduocationis ornauit. *D. Antonin. part. 2. tit. 11. cap. 17. in princip.* Cæterùm, cùm S. Germanus obierit anno Christi 435 Episcopatus verò 30. constat eum venisse in Gallias circa annum Christi 400. paucisque antea, id est, sub finem tertij sæculi floruisse in foro.

Addere possemus Paulinum, Seuerumque *i* Sulpitium, vtrumque è Gallico natum solo euectum foro: at insusurrat quid callidum tumor liuidus. Quem, ait, ex adductis forum seruauit? Quis potius ex his causidicinam non fûgit vt nociuam? Tutius erat se non doceere quæsitum, quam prodere abdicatum. Multa paucis, fateor, sed

i Tu frater dilectissime ad dominum majore miraculo conuersus es, quia ætate florentior,

quæ nec moueant nec valeant: An etenim minus nostri sunt quod Aduocatione cesserint? Quis Lucam medicinæ aufert, picturæ inuidet? Quis piscationi Petrum, pistrinæ Honoratum, fabricinæ Eligium? Sors hæc sanctorum est vt ad plures spectent, eorumque gloriam sibi vendicare queant agnati, vicini, Prouinciales, accolæ, quinetiam cunæ, parietes, diuersoria, ruinæ. Hinc nemo sapiens increpat; Quid carni cum virgine? Quid Eremitæ cum vicinia? Quid Martyri cum maceria! An autem nobis causa deterior si iudex iniquior? Cur non licebit ordini quod sanguini? Cur non militiæ quod familiæ? Cur non foro quod vel solo?

laudibus abundantior, substãtiã facultatum non egentior, & in ipso adhuc mundi theatro, id est, fori celebritate diuersãs, & facundi nominis palmam tenens repentino impetu discussisti seruile peccati iugum, & lætalia carnis & sanguinis vincula rupisti. *Paulin. ad Seuer. Ep. 1. apud Baron. tom. 4. ann. 394. num. 96.*

Fugerunt, instas: At quem de Ambrosio testem adhibes, quem de Germano, quos nonnisi renitentes Pastoralis infula tenuit, virga subegit? Nociuam, addis, professionem: & non times Chrysostomi etiam Causidici sanctitatis probatorem, vindicem integritatis? An ille Philogonij laudator tantùm, non etiam imitator? Sed tandem, esto: optimam quæsierint partem Aprus & Chrysostomus, quæ non auferetur ab eis, an ideò malam respuerunt? Nil, quæso, verbis ingeras Domini, nil detrahas: ex se plana sunt, aut si quempiam quæris interpretem, audi quæ non vnus, sed plures adduxerunt. Marthæ ministerium *l* non culpatur vt malum, etsi quod elegit Maria laudetur vt optimum. Non mala pars Marthæ, etsi melior Mariæ. Non illa reprehensibilis, licèt ista laudabilis; vtque ad rem propiùs accedam, optima quidem Chrysostomi in Apostolica dignitate ministratio, sed nequaquam mala ipsius in Aduocatione occupatio; imò bona, & adeò laudabilis, vt nos cum in foro agentem & imitari deceat, & non sequi iam pudeat.

Luc. 10.

Vid. inf cap. 42. fine.

l Ecce pars Marthæ non reprehenditur, sed Marię laudatur. *Beda.* Nec Martha in bono ministerio reprehenditur, sed Maria, quod meliorem elegerit antefertur. *Ambros. lib. 7. in Lucam cap. 10.* Non tu malam; sed illa meliorem elegit. *Augustin.*

CAPVT XXI.

Priuilegia togatis indulta ab Impp. Arcadio, Honorio, Theodosio secundo, & Valentiniano tertio.

DEnique ascendentes in altum Apostolatus gradum illustres Excausidici dona etiam nobis, si non dedisse, saltem impetrasse visi sunt, cùm exinde & deinceps vnùm id attendisse Principes obseruemus, ne quo decenti priuilegio toga careret. Primùm *a* enim, quicumque Causidici curialibus non essent alligati nexibus, à Prouincialium susceptione functionum alieni facti sunt, ita vt, nec ingressus pateret volentibus, nec inuitis necessitas inferretur; tùm Prætorianæ præfecturæ *b* Aduocati, non secus ac milites, segregatum à paterna ditione peculium habere permissi sunt, & ne collata paucioribus gratia, Imperialem quadamtenus dedeceret beneficentiam, prorogata est, paulò *c* post, reuerentiâ studiorum ad eos etiam qui apud Præfectum vrbis causarum agerent patronos.

a L. 3. Co. de Aduoc. diuers iudicio. dat. 5. No. Aug. Cõstantinop. Arcad. IV. Honorio III. A. A. Coss. an. 396.
b L. 4. Co. eo. ti. dat. 10. Kalen. April. Constantin. D.D. N.N. Honorio XIII. & Theodosi. X. A A. Coss. a. 421.

c L. 5. Cò. eo. dat. Kalend. Ianu. Constantinopo. Theodosio XII. & Valentiniano II A.A. Coss. a. 426

d Theodosius & Valentinianus A.A. Isidoro Præf. Præto. Si quis Decurio aut subjectus Curiæ, vllam ante hanc legẽ gessisse militiã, aut cæptam dudum etiam nũc gerit, aut causidicinam in foro amplissimę prefecturæ orientis atque Illyrici vel vrbano profitetur iudicio, in eodem latarum pridem cõstitutionũ sanctio obseruetur: post hanc verò legem, si quis ex his ausus fuerit vllam affectare militiam, nullâ præscriptione temporis muniatur, sed ad conditionẽ propriam retrahatur, &c. Dat. Non. April. Cõstantinop. Isidoro & Senatore Coss. id est, anno 436.

e Nouella Theodos. & Valentinia. dat. Prid. Kalend. Febru. Cõstant. Theodos. A. 17. Cons. Et qui fuerit nũtiatus: an. 439. *Extat Cod. Theod. inter nouellas Theodos. tit. 3*

At nondum satis. Decurionibus, vt suprà dictum est, causidicinam exercere permissum fuerat, in sua tamen ciuitate; cùm autem Prouinciales Curiæ obscuriores essent, non defuerant qui sublimiora apud Præfectos patrocinia suscepissent, originali conditione celatâ; hos tamen *d* ablegare noluit Imperialis benignitas, dummodò per substitutos idoneos municipales absoluerent functiones.

Mox vno eodemque anno triplex emanauit edictum; & primo *e* equidem ab omni ciuili officio summoti sunt Samaritæ, Iudæi, Pagani, cæterique Hæretici.

Altero plurima *f* decreta sunt. Dudùm, etsi de authore non liqueat, concessum fuerat Causidicis, annalem, gradu-successiuo, fisci suscipere Aduocationem, cuius quidem obtinendæ dignitatis nec non immunitatis apud Præfectum agentibus indultæ, quàm plures accensi desiderio, in infinitum propè numerum excreuerant, eneruatis etiam Curiis, Prouinciarumque iacentibus officiis; cui vt obuiaretur incommodo, saluâ tamen Aduocationis ingenuitate, statutum est à Principibus, Curiales qui post sexaginta quatuor priores, inter Aduocatos, contra licitum, in amplissimo sibimet vsurpassent postulandi licentiam, per substitutos munia ciuitatis agnoscere, nulloque beneficio Aduocatis indulto frui, ni postquam fisci obtinuissent patronatum: Dein, mandatum Præfecto prætorio, ne vllum deinceps ad fori sui Aduocationem sineret accedere, ni tunc agentium numero ad centesimum redacto; & ne durior videretur tanti temporis expectatio causidicinam apud Præfectum ambientibus, permissum est illis ad alia, quoad vellent, migrare fora, in quibus haud circumscriptus ideo fuit togatorum numerus; Denique quò fugiendi Prouincias Aduocatis necessitas tolleretur, imò perpetuæ apud ipsas optabilia etiam fierent Aduocationis officia; Imperiali prorsus curâ fortunis illorum prouisum est, immunes quippe facti sunt ab inspectionis, peræquationis, discussionis, ratiociniorumque molestiis; quasi lex dixisset: Agant strenuè & intrepidè, modo iustè, aduersus etiam amplissimas potestates: factiones non timeant, ab injuriis non metuant, sed suâ, si vmquam anteà, & ingenuitate gaudeant & integritate, ipsos quippe etiam iudices (si molestatores) pœna tenet definita. Quæ majora igitur desiderari potuissent beneficia? Præfectorum enim Aduocatis vnâ eademque lege speciales concessi sunt priuilegiorum fructus, nec non dignitatis palma vbi ad finem peruenissent actionum; Prouincialibus verò numquam desituræ datæ sunt immunitates, quia perpetuo addictis foro. Nec quemquam ea perpetuatio moueat, vel inde enim quantum Reipublicæ necessaria sit Aduocatio, dignoscitur.

f Impp. Theodosius & Valentinianus A. A. Florentio Præf. Præt. Orientis. Prouidentissimè suggestis lege saluberrimâ subuenimus. Eneruasse Curias vel Prouinciarum officia effusam amplissimæ Præfecturæ iudicio postulandi cupiditatem illecebris immunitatis accensam tui culminis sug-

gestione comperimus; dispositiones quoque sublimitatis tuæ in hoc quoque sequuti negotio perpetuò lege valitura decernimus. Curiales qui post sexaginta quatuor priores Aduocatos contra licitum in amplissimo foro postulandi sibimet vsurpauere licentiam, per substitutum munia ciuitatis suæ agnoscere, nulloque sacrarum constitutionum quæ de Aduocatis latæ sunt beneficio frui, nisi ad fisci nostri peruenerint patronatum. Cùm verò Aduocationem fisci susceperint, omnibus aliis* perseuerantur substituto Curiam non fraudantis vlterius neque Curiali neque cohortali Aduocatorum præfecturæ consortio sociamus. Sed quo numerus, vt suggeritur, infinitus eorum qui post centum quoque & quinquaginta passim matriculis continentur, quâdam valeat prouisione deminui, nullum ad Aduocationem fori culminis tui post hos qui iam matriculis continentur, iubemur accedere, nisi ad centum numerus Aduocatorum peruenerit; hunc etenim numerum vtpote sufficientem litibus amplissimæ præfecturæ, nec minui volumus nec augeri concedimus. Sed ne dura illis qui supra numerum veniunt constitutum longi temporis expectatio videatur; liberam eis ad alia si voluerint fora migrandi tribuimus facultatem, nulla à minoribus iudiciis præscriptione pellendis. Superest non solùm fugiendi Prouincias Aduocatis necessitatem extinguere, sed etiam amplectendi eas, atque in vocationis earum officio perseuerandi ministrare materiam; quod ita credimus euenturum, si ipsis quoque Aduocationis præmium, Securitas proponatur; si factiones eorum non timeant contra quos clientibus suis fideliter adfuerunt, si officio amplissimarum potestatum suas non viderint subjacere fortunas; Quamobrem nihil Aduocatis Prouinciarum, vel spectabilium iudicum quis existimet injungendum, nulla eis inspectio, nulla ingeratur peræquatio, nulla operis extructio, nullum ratiocinium imponatur, nihil denique aliud eis mandetur* illud præter arbitrium in ea dumtaxat Prouincia, vbi Aduocationis exercetur officium; quinquaginta librarum auri pœna officio feriendo quod legis illius regulas temerare temptauerit: Florenti parens karissime Augustorum inlustris, itaque & magnifica tua auctoritas saluberrimam legem edictis propositis ad omnium notitiam peruenire præcipiat, quo præter Aduocatos virorum inlustrium præfectorum, quod ad finem Aduocationis specialium priuilegiorum fructus propositâ etiam palmâ dignitatis hortatur, sciant alij lege priore sublatâ postulandi sibi licentiam datam nullo tempore præscribendam. Dat. 13. Kalen. Maij Constantinop. Theodos. A. 17. Cons. id est, ann. 439. *Extat Co. Theodo. inter Nouel. Theodos. tit. 16. & ex ea desumpta est l. 6. Cod. de Aduoc. diu. iudicio.*

Tertio edicto *g* concessa quæ vidimus eminentissimæ per Orientem præfecturæ togatis priuilegia, illustrissimæ per Illyricum præfecturæ indulta sunt Causidicis, quorum proinde satis vel ex hoc solertissima eruditio commendatur.

Anno altero *h* emeriti Aduocati comitiuâ tamdem Consistorianâ donati sunt, ita vt annali fisci patronatu absoluto, in Consistorium adlecti fuerint Principis, cohortali aliâque viliori, si quâ laborassent, soluti deinceps conditione, nec non eorum suscepti quandocumque liberi. Refricata est etiam de peculio quasi Castrensi prouidentia, cunctaque hæc ad vrbicariæ præfecturę protensa Aduocationem.

At necdum abhinc impleto biennio lex *i* promulgata est, eâque decretum Aduocatis etiam fori Prouincialis, discussionis iugerum mandari sollicitudinem. Laboratur ab omnibus ipsoque etiam Cujacio in sanctionis illius interpretatione, concessam tres ante annos ordini ab iisdem principibus immunitatem reuocantis; Quidquid autem, seu complanando seu detorquendo sensum illius, possit elici quo non adduxisse antinomiam Tribonianus credatur, certum est, octo circiter ab ea lata mensibus, *l* eosdem Augustos, quibus potuerint nedum laudibus, sed & honoribus præfecturarum illustrasse Aduocationes. In primis autem voluerunt eius qui se Causidicorum optaret adiungi numero, studia, mores, natales, & an in patria perfunctus esset muneribus, quibus nascendi generositas

g L. 7. Cod. de Aduoc. diu. iudicio. quæ lata est, ab Impp. Theodos. & Valentini. VII. Id. Sep. Theodos. A. 17. & Festo Coss. id est, an. 439.

h L. 8. Cod. de Aduo. diuer. iudicio. lata ab iisdem A. A. 3. Kal. Ianu. Valentiniano A. 5. Et Anatolio Coss. ann. 440.

i L. 3. Cod. de Discussoribus. lata ab Impp. Theodosio & Valent. 5. Kal. Ianu. Eudoxio, Dioscor. Coss. a. 442. *Ad quam v. Cujac.*

l Impp. Theo-

debet esse munifica, eâ disquiri examinatione, quæ & collusione vacaret & calumniâ. Ratio subiungitur ab ipsius professionis nobilitate petita, cùm enim, ait lex, seminarium dignitatum ipsa sit Aduocatio, oportet sanè in eam semel adscitos omnino ita ad omnia ædificatos esse, vt idcircò digni vniuersis habeantur honoribus, quòd Aduocati esse meruerint. Tùm certus annorum numerus litterariæ militiæ deputatus est, quo expleto, Vicariæ demùm dignitatis ius potestatemque obtinerent. Is vicesimus fuit annus, non inchoatus tantùm, sed impletus, ni forsan ad alium vitæ cursum maturius transirent Causidici, tunc enim quintodecimo Aduocationis anno, eadem dignitate donati sunt, omnibus post se, illam adepturis, præponendi. At quod notandum, nequaquam imaginariâ seu nomine tenus Aduocatia ea insignita est potestate: Apage titulus vacantiuus, verbosa militia, nomen arreptum, inanis vmbra. Nil tibi conceditur etiamsi personam contegas honoratam, non enim personæ confertur gratia, sed ordini, eorumque solùm merita nouis amplificantur indulgentiis, quorum vitam & eloquentiam per tot huiusce annos officij iudiciorum & priuatorum & publicorum explorârit authoritas.

Vlteriùs progressa est Imperialis beneficentia; Vicariatus gradum nemo non spectabilem agnoscebat; peruium quid tamen Aduocationi iudicauerunt Principes, nec tam magno, tam necessario, tam sancto dignum officio, maximè si litterarum reuerentia seruaretur; non igitur tali fine meritum professionis se arctasse futuræque spei viam interclusisse testati sunt; vt scilicet saluum sibi scirent Causidici sperare cum omnibus, quod optimus quisque ac sibi benè conscius non frustra de Imperialibus iudiciis exoptare deberet; Et quia plerisque de causis expectata remuneratio poterat interuerti, vel post exantlatos tot laborum annos vita seligi tranquillior, cauerunt Principes, ne secedentibus à foro tanti meriti viris, vllum exactionis aut ciuilis officij munus imponeretur, etiamsi Imperiali præcepto mandaretur contrarium.

dos. & Valentinia. A. A. Fausto. P. P. Gaudemus admodum hæc nobis amplitudinis tuæ insinuatione suggesta, quæ nostris concordare iudiciis priuilegia dudum Causidicis delata testatur: quorum vt merita major beneficiorum nostrorum cumulus augeret, etiam nouis insuper amplificamus indulgẽtiis Quo enim impares honore credamus eos quorũ vitam, eloquentiam per tot officij hujusce annos, non solùm priuatorum, verumetiam publicorum iudiciorum explorat authoritas: Fauste parẽs karissime, inlustris, & præcelsa magnificentia tua laudabilium suggestionum suarũ contemplatione hoc à nobis in admittendis retinentur, honorandisque Causidicis edictali lege nouerit constitutum, vt in eo qui se in Causidicorum numero optat adjungi, in primis, studia, mores natales, vel si perfunctus est muneribus quibus patriæ suæ nascendi generositas debet esse munifica; neque per calumniam, neque perfunctoriâ examinatione quærantur; Etenim oportet eos quos semel adsciueris *in seminarium dignitatum*, omninò ita ad omnia esse ædificatos, vt *idcircò digni vniuersis honoribus habeantur, quòd Aduocati esse meruerunt*: quibus ad agendum viginti annos (non vt adpropinquare vicensimum, sed vt explere fas sit) legis huius authoritate decernimus; In Prouincialibus verò foris, sedecim, aut eo amplius numero Aduocati sint, & vnum ex his qui in agendo annorum numero præstat, ad Prætorianum forum, si hoc præfectura iubeat, auocari; atque omnes siue vtriusque prætorianæ, siue vrbanæ præfecturæ Causidicos, expleto vicensimo, vel ad alium vitæ cursum maturiùs transeuntes, quintodecimo Aduocationis anno Vicariæ dignitatis ius potestatemque obtinere, ita vt in salutationibus nostris, in conuentibus publicis, omnibus qui post se Vicariam potestatem adepti erunt, meritò præponantur; Neque enim perpetuandam putamus huiusmodi dignitatem in his qui Aduocatione functi sunt imaginariâ aut vacantiua * videri, cùm eam non gratiâ singulorum, sed ipsi ordini & professioni iudicia nostra restituant, quamuis tam magno, tam necessario, tam sancto officio, si seruetur reuerentia litterarum etiam hoc peruium esse videatur; nisi illis saluam esset sperare cum omnibus quod optimus quisque ac sibi benè conscius de nostris iudiciis non frustrà debet optare; Neque enim tali fine meritum professionis arctamus, aut futuræ spei intercludimus viam, quin præteritâ interim

Textus huius nouellæ deprauatus est, quapropter quâ valui paraphrasi vsus sum, diuersa quomodocumque ab eo sensu quem verba à Cujacio restituta 16. obs. 22. constituunt; lectoris erit arbitrio quem potiore existimauerit retinere

remuneratione: vt nullus ciuilium officiorum oneribus, aut exactionibus, aut operibus publicis ad suggestiones numerariorum, vel ad præceptum sacræ nostræ* huiusmodi hominum meritum, quod supra memoratos annos in quolibet prætoriano siue vrbano foro studium probatæ defensionis impendit, post diutinum laborem solicitetur quies, prouidebit amplissimæ præfecturæ debita & iusta commotio; quæ triginta librarum auri condemnatione, ab officiis Prouincialibus vel suo, illicò iubebit exposci, si quemquam ex his qui prædictâ obseruatione causis patrocinia præstiterunt, ad huiusmodi injuriam suggerendum esse crediderint. His hoc etiam litteratæ militiæ contemplatione præstamus, vt si in familia fuerint constituti, quidquid quolibet titulo positi in Aduocatione quæsiuerint, tamquam peculium castrense defendant, ne præmium laboris alieni aut in alios transferat aut sibi vindicet patrum potestas; Hanc autem legem edictis amplitudinis tuæ omnibus iudicibus ac Prouinciis facias innotescere. Proposita Idib. Aug. Romæ in foro Trajani, Dioscoro Romæ V.C. Cons. id est, ann. 442. *Extat Co. Theodo. inter Nou. Theod. tit. 34.*

Taceo quæ subjungit sanctio eadem de peculio castrensi, vt legem *m* aggrediar priora non minuentem beneficia sed augentem. Hanc è Basilicis restituit Cujacius, nullis tamen inscriptam Augustis, nullo notatum aut die aut Consule: at cùm priuilegia enumeret quibus togati post impletam Aduocationem gaudere deberent, conjicere moueor non ab aliis quàm supra principibus, Theodosio scilicet & Valentiniano sancitam, nec multis à præcedenti mensibus. Quantæ autem immunitates Excausidiis indultæ recensentur in ea sanctione? Nulla inspectio, dicunt Principes, nulla defensio; nulla curatio, nulla descriptio eis imponatur, habitent vbi voluerint; non cogantur Præsidibus vltrà portas occurrere, nec ad Collegia vel vocentur inuiti, vel nominentur, vel nominent; liberam vnam domum habeant ab onere suscipiendorum militum; denique honorent equidem Præsides, sed & vicissim honorentur ab eis; quæ fælicior emerito vita præstari potuisset? quæ tutior? quæ honoratior?

Annum denique istum impleuit digna Imperiali prouidentiâ suggestio. *n* Præfectus prætorio Apollonius, regendæ munus Prouinciæ fori sui togato mandauerat, quo ille integerrimè peracto, cùm iuridicinæ officium à quo fuerat abstractus resumere vellet, passus est à consortibus difficultatem. Consultum igitur super ea re principale oraculum respondit, nullum Aduocationem deturpare magistratum; nulla dedecere potestate functum patrocinij munera; peractam integrè ac sine vlla opinione labis administrationem iustam de togato viro expectationem implesse, nec è foro excludendum, qui quam ab ipso accepisset institutionem, probâ suscepti regiminis absolutione illustrasset. Digna sanè principibus fori zelantibus gloriam definitio, quam non solùm in præfecturarum Aduocatis, sed etiam in Prouinciarum, vigorem legis habere voluerunt.

m Qui militiã vel Aduocationem impleuerint præter ea priuilegia quæ iam adepti sunt nec frumẽti aut olei componendi curam, &c. nec Præsidibus vltra portas occurrere cogantur, &c. Hæc enim constitutio priora beneficia auget non minuit: At fiscalia tamen præbeãt, & honorẽt Præsides, ac vicissim honorentur ab eis. *Extat sub tit.* Cod. *Quibus munerib. excusãtur hi qui post impletam, lib. 10 sine die & Consule.*

n L. 9. Cod. de Adu. diuers. iudicio. lata ab Impp. Theod. & Valent. 12. Ka. Sept. Constant. Eudoxio & Dios. Coss. id est, ann. 442.

CAPVT XXII.

Ecclesiæ Defensores è togatorum ordine postulati.

LOngiùs forsan excurrimus, sed eò nos compulit ex tot Augustis mox asciscentibus, mox ascitis, fabricata quasi concatenatio, quos quia nonnisi alios immixtos aliis reperire sit, religiosum

fuit assurgere. Nunc ergò, quam fecimus, intercapedo resumenda est, priuilegiis, quibus toga intumescebat, nouos titulorum honores additura; ista etenim per tot Imperiales beneficentias incrementa capiens Aduocatio, dulcedini fructus, amœnitatem adiunxit vmbræ, fœliciterque adeo vt quæ fructum illius gustauerat Ecclesia, mox etiam sub vmbra sedere & requiescere postulârit. *Cantic. 2. vers. 3.*

An id autem vel à tempore Nicæni Concilij tentâssent patres, non immeritò disquiri posset, attentis Canonibus & à Pisano *a* & à Turriano tùm editis, tùm illustratis; maximè cùm Procurator pauperum eligendus, & disertus, in iis deposcatur, & patiens, ad istum enim locum Turrianus notat, ideò disertum requiri, vt pauperum causas defendere valeret. Attamen in confesso est Episcopos vt plurimum causas suscepisse pauperum à potentioribus oppressorum, & quaquâ valuissent charitate, gratiâ, potentiâ adiuuisse. Hinc frequens miserorum in gremium Episcopale confugium, nec infrequentior Episcoporum miseris aduersus potentiores accommodata defensio. Cùm verò sine intermissione his fatigaretur Ecclesia molestiis, placuit tandem Patribus in quinta *b* apud Carthaginem Synodo congregatis ab Imperatoribus postulandum, vt afflictis pauperibus defensores aduersus potentias diuitum cum Episcoporum prouisione delegarentur; & rectè quidem, cum Episcoporum prouisione, vt qui tam pio operi se accingerent, in Apostolici partem laboris noscerentur segregati.

a Concil. Nicænum Alfonsi Pisani lib. 3. Cano. 80 De Procuratore pauperum. Eligatur in omni ciuitate aliquis sæcularis vel Religiosus qui est eloquens & patiens &c. Refertur idem Canon. num. 80. à Francisco Turriano qui addit in notis: Quem disertū esse vult vt causas eorum bonas possit defendere: extat to. 1. Concilio. general. Habitum autem fuit primum illud Nicænum Concilium ann. Christi 325.

b Ann. 398. 6. Kalen. Iunij habitum est Carthagini Concilium nomine quintum cuius nonus Canon sic habet: Ab Imperatoribus vniuersis visum est postulandum, propter afflictionem pauperum quorum molestiis sine intermissione fatigatur Ecclesia, vt Defensores eis aduersus potentias diuitum cum Episcoporum prouisione deligentur. *V. Baron. tom. 4. ann. 398.*

At seu negligentia eorum quibus commissa fuisset postulationis cura, seu noui creandi Magistratus difficultas tam piæ suggestionis exitum retardâsset; videmus decennio *c* post congregatos iterum Patres apud eamdem Carthaginem, multò selectiorem iniisse viam: perrecturis etenim legatis mandauerunt, vt à gloriosissimis Principibus nomine Prouinciarum postularent, non iam nouos creari Magistratus, non inuitos forsan aut minus aptos ad opus æquè laboriosum ac sanctū & necessarium delegari, sed ipsis concedi Episcopis quos iudicassent idoneos, Ecclesiarum constituere defensores. Progressa est vlteriùs Synodus sanctissima, morarumque næuos exosa vbi charitas Christi vrgeret, quos in opus exoptaret segregari, mandatis insinuauit, rata imò certa Imperatoribus placituros. Quos autem viros? An spectabiles, an clarissimos, an Senatorios, an Consulares? Nullos, puto, grauasset iugum Christi, nullos sarcina charitatis onerâsset, nullos causa fatigâsset Ecclesiæ; imò quis non, etsi clarissimatu fulgens, propriæ dignitatis existimâsset augeri gradum Defensoris Ecclesiæ titulo superadjecto? Nullos tamen ex his sibi postulauit Ecclesia, nullos exoptauit, nullos cogitauit. Quinam igitur vel ipsius iudicio tanto honore dignandi erant? Qui præcipui illi, qui prædilecti, qui fortunati?

c Anno 407. Id. Iunij altera Synodus habita est Carthagini, inter cuius Canones iste habetur. *Vt ab Imperatoribus postuletur Aduocatorum defensio pro causis Ecclesiæ.* Placuit etiam vt petant ex nomine Prouinciarum omnium legati perrecturi Vincentius & Fortunianus à gloriosissimis Imperatoribus, vt dent facultatem defensores constituēdi *Scholasticos qui in actu sunt*

nati? Fides, si dixerim, fides, inquam, ni fallor, mihi non habebitur; ipsa potius loquatur Synodus quæ virtutem diligit, veritatem facit, nescit errorem; loquatur iterum, & dicat, Aduocatos solos, Causidicos solos, Scholasticos solos, se postulasse defensores; sed Aduocatos in actu, non emeritos; milites in procinctu, non dimissos; stantes in acie non veteranos; Defensores enim quærebat non verbo tenus, sed re ipsâ. Verùm siccine æqua votis autumanda sunt euenta? Num saltem priùs tentandi animi, explorandi, demerendi? Nequaquam, ait Synodus; Non nouit Aduocatio opus detrectare pietatis, quin potius subire gestit & implere, vt cœlestem suam probet originem à primæua & diuina misericordia deductam. Quid! quæ sola dat Prouinciæ sacerdotes, negaret Ecclesię Defensores? Probrosum ipsi quodammodò esset an destinatum munus subire vellet explorare, haberetque ista dubitatio injuriæ significationem. O gloriosa vel ipsius Ecclesiæ de foro nostro sententia! Vera dicis, ô sacratissima Synodus, vera, inquam, dicis, nec indigna sentis & benignitate tuâ & fidelitate nostrâ; tui sunt enim quotquot tenet forum discipulos, toga magistros, nec major militiæ nostræ potest obuenire gloria, quàm in suo gremio te complecti, te fouere, te defendere; Vtere, igitur, vtere iure tuo, nil supra vota proponis, nil supra vires imponis; Auge labores, crescent honores: Auge discrimina; crescet gloria.

vel in munere Defensionis causarum, vt more sacerdotũ Prouincię iidem ipsi qui defensionem Ecclesiarũ susceperint, habeant facultatẽ pro negotiis Ecclesiarum, quoties necessitas flagitauerit, vel ad obsistendum obrepentibus, vel ad necessaria suggerenda ingredi iudicum Secretaria. *Extat autem in Codice canonũ Ecclesiæ Africa. nu. 98. Tom. I. Concilior. gener.*

CAPVT XXIII.

Quale defensorum Ecclesiæ munus fuerit.

Videtur æstimasse Baronius, Defensores in hac vltima Synodo è Togatorum corpore postulatos, ad alia prorsus destinatos fuisse officia, quam quos in præcedenti Concilio Patres delegari exoptassent, ita vt primi *a* quidem causas pauperum aduersus potentiorum molestias essent amplexuri, hi verò *b* vltimi ex ipsis causidicinæ postulati ministeriis, solam rerum Ecclesiasticarum aduersus Donatistas atque Paganos defensionem & curam subituri; & sanè qui de istis canon habetur, de sola Ecclesiarum loquitur defensione, vnde in titulo, *defensio pro causis Ecclesiæ* adducitur; in textu verò; *pro negotiis Ecclesiarum acturi* memorantur Defensores; quapropter vel diuersum horum ab aliis destinatum munus, vel Ecclesiæ negotiis, causas item adjunctas pauperum fateamur necesse est: Qualecumque autem definiatur id vtrumque munus, egregium semper comprobabitur, & Aduocationi non minus gloriosum extitisse quàm carum & gratum, illud quippe meruisse emeritæ virtutis est; suscepisse verò & implesse, gloriæ consummatæ.

Cùm autem non minor in Ecclesiæ quàm in Prouinciæ causis sollicitudo requireretur, visum *c* est Patribus eamdem Defensoribus illius postulare facultatem, quæ pridem istius fuerat Defenso-

a Decreta hâc Synodo reperitur legatio ad Imperatores pro petendis afflictatis pauperibus Defensoribus. *Baro to. 4. anno* 398.

b Hoc itẽ anno celebratum est ab Episcopis Africæ Conciliũ Carthaginense Id. Iunij: vbi inter alia, decreta est legatio ad Honorium Imperatorem pro defensione rerũ Ecclesiasticarũ aduersus Donatistas atque Paganos. *Bar. tom. 4 anno* 407.

c V. Caput præced. litt. *c.*

ribus concessa ; Quoties sc. flagitâsset necessitas , vel ad obsistendum obrepentibus , vel ad necessaria suggerenda , secretiores etiam iudicum ingrediendi consessus , ita vt , non solùm statis diebus publico gauderent foro ; sed peculiari indulgentiâ priuatos intra cancellos admitti & audiri obtinerent , quoties in mora periculum nosceretur.

Cætera splendidi illius officij munia vel ex Possidonio *d* quomodocumque colligi possunt ; Dum enim , refert ille , circumcellionum furor , Calamensis Præsulem Ecclesiæ paratis implicasset insidiis , & peruasum , tùm injuriis , tùm cæde grauissimâ affecisset, non siluit inter leges Defensor Ecclesiæ , sed apud Proconsulem causâ susceptâ , Crispinum in eadem regione Donatistarum Antistitem , tamquam violatorem pacis Ecclesiæ , mulctâ teneri aureâ, publicis aduersus hæreticos constitutâ legibus , & docuit , & obtinuit. At cùm idem Crispinus apud Proconsulem præsentatus hæreticum se negasset , quæ sola ipsi competere poterat exceptio , natâ iam quæstione non fori sed poli , nec Papiniani sententiâ , sed Pauli dirimenda iudicio ; oblata est necessitas , vt vafro homini (recedente , iam suis functo partibus Ecclesiæ Defensore) Catholicæ veritatis opponeretur Episcopus. Sic itaque in foro ciuili tantùm , nec nisi secundùm leges acturi publicas adhibebantur in negotiis Ecclesiæ constituti Defensores.

d Cum fortè vnus ex iis quos de suo monasterio & Clero Episcopus Ecclesiæ propagauerat , ad suam curam pertinentem Calamensis Ecclesiæ diœcesim visitaret , vt quæ didicerat pro pace Ecclesiæ contra illam hæresim prædicaret , factum est vt in medio itinere eorum insidias incurrisset ; Et peruasum cum omnibus illis comitantibus , sublatis animalibus & rebus, injuriis & cæde grauissimâ eum affecissent. De qua re ne pacis Ecclesiæ amplius impediretur profectus, Defensor Ecclesiæ inter leges non siluit ; & præceptus est Crispinus qui iisdem Donatistis in Calamensi ciuitate & regione Episcopus fuit prædicatus , scilicet , & multi temporis & edoctus, ad mulctam teneri aurariam , publicis legibus præsentatus , contra hæreticos constitutam. Qui refulcans legibus , cùm præsentatus apud Proconsulem se negaret hæreticum , oborta est necessitas , vt illi , recedente Ecclesiæ Defensore , à Catholico Episcopo resisteretur , & conuinceretur. *Possidon. in vita Augusti. cap. 12.*

CAPVT XXIV.

Aduocationem quantiscumque auctam honoribus non superbire.

Sed nobis iam liceat emensis tot ætatum spatiis tantillùm quiescere , auctamque vix antea creditis honoribus , in sinceritate animi , in simplicitate cordis suspicere Aduocationem. Cœlestibus clara natalibus, functa muneribus , post indulta miseris auxilia , innocuis patrocinia : post datos Ethnicæ Reipublicæ Heroas , Christianæ Patres & Antistites : Imperialibus demùm fota curis , aucta donis , laboranti etiam Ecclesiæ præstitit Defensores. Hîc honorum cumulus ; rariores etenim Confessores & Martyres prodierunt è foro quàm è plebe , paucioresque è iuridicina surrexerunt Pastores quàm ex aula ; Doctores equidem causidicina tulit , sed neque prima , neque sola : at Defensores , & prima , & ab initio

sola exhibuit. Iterum in ipso delato titulo culmen honoris est, ita vt opem efflagitans Ecclesia plus dederit quàm acceperit, dum vulgato Aduocatorum nomini & splendori, superexcelsum pię defen-
Isa. 4. v. 5. sionis ingessit fastigium; Si enim super omnem gloriam protectio, in quem altitudinis gradum gloria consurget, quam impensa Ecclesię sublimat defensio? Vltra-ne progredi dabitur? Non vltra, sanè; nisi quod tamdem dicturi sumus iam præoccupetur, illud ipsum
V. infra cap. 42. scilicet Aduocationis officium & à postulante Spiritu & ab interpellante Filio in dextris virtutis Dei collocatum.

Gaudeat de tantis Aduocatio titulis; gaudeat & gestiat; ita tamen vt ipsius innotescat modestia, seque nihil habere quod non acceperit, & contestetur & glorietur; Exultet, sed in salutari suo: tripudiet, sed in exemplari suo: tantaque cum prudentia propriæ sapiat conditionis eminentiam, vt nec vltrà sobrietatem sapiat, nec quicquam indignum suis natalibus admittat. Ne, quæso, igitur, ô homo, existimes superbiendi nos viam quærere, ansam apponere; nostris gaudemus, aliena non deprimimus; & quantacumque tibi exultatio nostra videatur, nec timore tamen vacat nec tremore; quinimò, dum suscipimus non æra sed tempora, non templa sed sæcula orbi vniuerso summam instituti nostri protendentia dignitatem, gaudium è tanto splendore natum non modica sollicitudo reprimit. Quid enim vnicuique nostrûm quæ iam recensuimus succlamant? Asper sanè & potens mihi videtur ex illis sermo digeri, similiaque his ad aures nostras deferri verba, AGNOSCE, Ô ADVOCATE, DIGNITATEM TVAM, ET DIVINÆ CONSORS FACTVS OPERÆ, NOLI MINISTRATIONE DEGENERI PARTICIPATI MVNERIS OBSCVRARE NITOREM; MEMENTO CVIVS CORPORIS SIS MEMBRVM, CVIVS HÆRES FAMILIÆ, CVIVS PORTIO COLLEGII, CVIVS ORDINIS OFFICIVM; REMINISCERE IN QVAM ADSCITVS SIS DOMVM, INTVERE PATRES, COGITA MAIORES, ET AN AVITVM IN NEPOTE SEMEN VIGEAT, DILIGENTI REVOLVE IVDICIO. NON ORCINVS HÆRES DEPOSCITVR; NON INANE NOMEN EXQVIRITVR; SOLVENDO EST HÆREDITAS, QVÆ SI A TE AVGERI NON POTEST, SALTEM NON DEBET MINVI. SPLENDIDVM IGITVR EXPOSTVLATÆ NOMEN FAMILIÆ VEL DEPONE VEL SVSTINE.

Philip. 4. v. 5. 1. Cor. 4. v. 7. Luc. 1. v. 47. Rom. 12 v. 3.

a Agnosce, ô Christiane, dignitatem tuam & diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire: memento cuius capitis & cuius corporis sis membrũ, reminiscere quod erutus de potestate tenebrarũ translatus es in Dei lumen & regnum. *D. Leo, Sermo 1. de Natiuit. Domini.*

CAPVT XXV.

Quomodo prouisum fuerit Aduocatis Afris & Italis post deuastatas eorum Prouincias.

INcæpta prosequamur sæcula, dignamque & miseratione fortunam, & commendatione clementiam obseruemus. Viginti a iam annos pauló-ue amplius in defendendis Ecclesiis Africana insumpserat Aduocatio, cùm eâdem, quâ tota penè Prouincia clade obruta est. Nemo non nouit Vandalos & Alanos vel ex fama, at è sæuitiâ supra fidem Africa præcipuè, vt quæ luctuosum fuerit crudelissi-

a Clades Africæ illata ab Alanis & Vandalis anno 428. 429. & 430. quo vltimo mortuus

est D. Augustinus. *V. Baron. tom. 5. d. anno 428.*

me quam egerunt scenę theatrum. Mors quæ non secus ac malorum vltimum timeri solet, in desideriis, vt summum bonum, superstitibus fuit, adeo, quidquid passi sunt, immanitatis vel barbaræ vicit atrocitatem. Exspoliati ciues ditionibus, fœminæ pudicitiâ, infantes innocentiâ, libidinosum præterea seruitutis iugum in patria subire coacti sunt; qui verò patrium fugêre solum, in amico facti sunt extorres, & in proprij ferè Principis exules ditione. Hos inter non pauci Causidici studiis imbuti litterarum, vagari cum familiis, loca quomodocumque sorti suæ conuenientia inquirere, tribunalia suspicere, fora paulatim adire, memores quid in suis olim egissent; suspirare intermissam actionum gloriam, exoptare vel in alieno militare solo qui carerent patrio, dubitare an sibi liceret, & tamdem minora sectari tribunalia, qui Proconsulares & vrbanas implessent Aduocationes, vt ærumnas in quibus languebant, vel togato saltem possent subleuare officio. Hæc autem vt accepit Imperialis Majestas, viscera misericordię suæ sensit moueri, principalisque clementiæ gremium patuit Aduocationi, cuius in sinu fatigata Ecclesia defensionis inuenerat auxilium, vt vel in hoc probaretur Dominicæ promissionis veritas; & sanè, cui, si non miseratori, misericordia deberetur? *b* Extant autem Imperialis prouidentiæ augusta monimenta, quibus constat liberam extunc Aduocationis copiam infœlicibus illis extorribus apud quoscumque Illyricianæ Præfecturæ iudices permissam, solâ Prætorianâ sede exceptâ nec non vrbanâ; quâ tamen in vltima tribus adhuc datum est causidicinæ munus exequi. Sic in sua *c* calamitate, fortunata quodammodò fuit Aduocatio, quæ etenim Barbaros fugerat expulsores, Augustos habuit susceptores.

Matth. 5. v. 7.

b Impp. Theodos. & Valenti. A. A. Albino P. P. Illyrici. Ex adfectu publico conuenit eorum necessitatibus subuenire qui fatales miserias inciderunt, Imperatoriæ siquidem vis major laudis est, aliqua decreta molliri, quando vis major inopinatæ cladis fatale generârit incommodum, Albine parens Karissime Augustorum; vnde illustris & præcelsa magnificentia tua Pragmatici nostri tenore comperto, sciat Afros qui infortunio hostilis cladis expulsi ejectique fortunis omnibus spem sui actus & conuersationis solitæ perdiderunt, & imbuti studiis litterarum causas agere destinârunt, siue agere iam cæperunt apud omnes iudices, his Aduocationis copiam remoto legis vinculo esse permissam, vt ærumnas in quibus nunc sunt, tali possint remedio subleuare, præter Prætorianam togam forumque vrbanum: In quo agendorum negotiorum licentiam, tribus pietas nostra permisit, nec enim non eos oportet studiis fauorabilibus adjuuari, quibus hoc solum remansit, quod sibi non potuit vindicare captiuitas. Dat. XIII. Kal. Nouemb. Rauennæ, Maximo II. & Paterio Coss. id est ann. 443. *Extat hæc constitutio apud Cujac. 16. obseruat. 22.*

c Capta fuit Roma ab Alarico Gothorum Rege IX. Kalend. Septemb. 410. diuque anteà & pòst laborauit Italia.

d Impp. Valent. A. Firmino. P. F. P. & Patritio. Quæ plerique legibus constituta dissimulant, &c. Hâc sanctione eos quoque iubemus esse munitos quos ad-

Quid de Italis statutum fuerit Causidicis post fatalem hostium ruinam *d* quâ laborauerat eorum Prouincia, non aliud ferè nouimus, nisi, cùm in quibusdam regionibus Aduocati defuissent, perque multa abhinc tempora rarò aut minimè gnari legum reperirentur litigantibus adfuturi, Aduocationis primùm in foris Prouincialibus perpetuitatem fuisse introductam, is tamen quæ recensuimus donatam priuilegiis; dein firmatos quoscumque venditionum, donationum-ue contractus quos in Causidicos partes etiam contulissent, dummodò communi iure celebratos; demùm & cu-

Sup. cap. 21.

rialibus ad Prætorianas pergendi Aduocationes liberiorem quàm antea patuisse viam, foris Prouincialibus quatuor dumtaxat Causidicos vtrique parti patrocinaturos sufficere decretum est. Cæteroquin, non satis vmquam laudari poterit Imperialis de Prouinciali Aduocatione prouidentia; ab iis enim illam obiri voluit, qui possent arduæ etiam controuersiæ sustinere conflictum, ne Prouinciales tenues homines præ defensionis inopia cogerentur haud leuibus impensis & sumptibus majora requirere auditoria.

ministrantes, & vlla gerentes officia, prædia rustica vel vrbana certum est dato pretio comparasse: donationes quoque habitas & commutationes, &c. Notum est post fatalem hostium ruinam quâ Italia laborauit, in quibusdam regionibus & Causidicos & Iudices defuisse, hodieque gnaros iuris & legum aut rarò aut minimè reperiri; nam hæc necessitas fecit perpetuitatem dari Prouincialibus Aduocatis, &c. In diuersis Prouinciis dum vacuas curias derelinquunt qui certatim ad priuilegia Causidicis inlustris Prætorianæ sedis atque vrbanæ delata festinant, cùm meliores natalibus suis effici volunt, non curant vrbes proprias spoliatas ministeriis & officiis debitis interire, nos neque meliora desideria volumus impedire, neque passim destitui ciuitates: Quisquis ergo ad hoc officium venire contendit, non ante sibi sciat esse permissum quam vniuersa munia quę patriæ suæ debet, absoluat. Cujus tamen indulgemus arbitrio, vt si ad togam properat, suffectum curiæ præstet, cujus studio perficiat vniuersa, quæ per se ipsum fuerant procuranda, &c. Iubeo sanè vt si in Prouinciali foro quatuor constat esse Causidicos, quorum patrocinium in controuersiam parti vtrique possit sufficere, cùm voluerit is qui vltra memoratum modum potuerit inueniri, veniat ad prædictas sedes, ob negotia peroranda; alioqui licentiam non habebit, si illic non fuerit numerus designatus: Prouidere enim decet, ne Prouinciales tenues homines defensionis inopiâ ad requirenda auditoria sumptuosa cogantur, &c. Dat. Prid. Kal. Febr. Romæ. Adelphio Cons. id est anno 451. *Extat Cod. Theodos. inter Nouellas Valentiniani, tit. 10.*

CAPVT XXVI.

Alter creatus Fisci Patronus; perpetuæque Aduocationes sublatæ.

ANno altero *a* nouus in gratiam Togatorum creatus est magistratus. Huc vsque vnicum habuerat Prætoriana Sedes Aduocatum fisci, cuius prima institutio, si Lampridio credimus, Hadriano debebitur. Hic pridem, vt suprà notatum est, à primario gerebatur Aduocato magistratus, ita vt quotannis è togatorum corpore seligeretur palmatus quidam fisci Patronatum anno solo & integro impleturus; iam autem quo frequentior Aduocationi cederet ad dignitates perueniendi facultas, alter ab Imperatoribus creatus est Patronus Fisci, præceptumque vt in posterum, non vnus dumtaxat, sed bini, qui priores in Prætoriali foro gradus tenerent, ad Fisci Patronatum singulis quibuscumque annis promouerentur. At notandum, dignitatem indiuiduam indiuidua quoque priuilegiorum conseruasse insignia, ita vt nec concursu fuerit imminutus honor, licèt accessu, cura minor extiterit; pares enim dignitas vna eademque ita reddidit, vt quodcumque integrum anteà vni soli cesserat honoris fastigium, exinde & deinceps totum etiam & in solidum binis personis competierit.

Lamprid. in Hadria.

Supr. cap. 21.

a L. 10. Cod. de Aduocat. diuersor. iudicior. lata ab Impp. Valentiniano & Martiano, 14. Kal. Iulij. Constantin. Herculano & Asporatio Coss. anno 452.

Mox & Prouincialibus Aduocatis, laboriosa perpetuationis remissa *b* est necessitas. Dura lex, vt suo loco vidimus, & ex injuria

b Impp. Valent. & Mart.

temporum oborta, quantulis fuerat temperata immunitatibus, verùm quid in ea esset rigidum potius attendebatur, quàm quod propter eam fuisset indultum, sic se habente naturâ humanâ vt lenimenta vix faciat quæ solus adducit inflictus dolor, cùm optabilius sit malo prorsus carere, quàm malo adiunctis gaudere bonis, si tamen ea bona dici possunt, quæ melius esset non nosse. Hinc frequens fori tum primariorum tum candidatorum querela; illorum equidem, quòd se perpetuis scirent addictos laboribus, Sisiphæâque grauatos mole, nullâ vmquam quiete gauisuros. O sors! Quantumcumque honorata ex se, vel ex eo tamen infœlix facta quod melioris exspes est. Quid prosunt immunitates, quibus non desitura subsunt grauamina? En forum quasi glêba altera suos habet adscriptitios, suos tenet addictos, iamque curialis inaudita conditio, ex hostilibus nata iniuriis forensem ipsam constringit togam. Sed nec iniquior candidatorum hic gemitus. Quid prodest nobis litterarum industria tanto conquisita labore, sudore parta? Feruor sanè studiorum tepescat necesse est, imò deficiat & euanescat, an enim ei officio noui Professores accedemus, à quo nulli Veterani recedunt? An obseruatores tantùm esse deligimus, nullâ iam spe, nisi longæuâ, actores fieri, tyrocinioque, quamquam à prima adolescentia inchoato, nonnisi in extrema defungendi senectute? Nunc per ætates longaque sæcula forenses leguntur palmæ, nec nisi per mortes ad eas patet aditus. Haud deponenda cur incumbit eadem personæ cura? Quæcumque vel in hominibus caduca sunt, nonne subrogatione fiunt perennia, accessu perpetua? His & talibus ad Imperialem delatis celsitudinem, remissio tamdem perpetuationis indulta est, suisque natalibus restituta fori militia.

A. A. Storacio. P. P. Multa in sanciendis legibus non solùm sibi vindicat, verumetiam temporis ratio persuadet, nõ quòd præceptorũ diuersitas placeat, sed quod euentuum qualitas pensius esse facit iudicium, & firmius constituto robur est, quotiens priori sententiæ magis magisque probata succedit: Dudũ lata lex, exceptis inlustribus foris, cæteris ac Prouincialibus perpetuitatem concesserat actionis, sed nunc decrescente pube, & litterariæ indolis iuuentute, aditi exoratique sumus, ne sub aliorũ perpetuitate succedentium studiorum feruor euanescat: quis enim se ei officio nouus professor inferat, quod veteranus insederit, vt non sit tam actor quam obseruator alterius? Et quia hæc quæ ab homine caduca sunt, fiunt subrogatione perpetua, ne interdicentibus studiis, ipsa pariter officia conquiescant, hac generali constitutione decernimus vniuersa fora tam illustrium Præfectorum prætorij ac Præfecti vrbi, quam reliqua omnia. *Cætera desunt. extat Cod. Theodos. inter Nouellas Martiani. tit. 5. & apud Cujac. 16. obseruat. 22.*

CAPVT XXVII.

Quid de Togatis statutum fuerit ab Imperatoribus Leone, Anthemio, Leone altero, & Zenone.

HAud exigua videtur Leoni fuisse cura Prętorianę sedis Aduocationem accuratiori disciplinâ informare, pridem etenim statutum in ea sesqui centenarium, seuerè a adeò retineri voluit, vt nec sub colore adsidendi conquisito tulerit eum augeri. Quia verò plures splendor fori pellexerat, indulsit supernumerariis apud Proconsules, vel Præfectos Augustales, vel Comites orientis, vel Vicarios Prouinciarumque Rectores perorare negotia. Tùm eorum qui posteà, in decedentium vellent locum assumi, & natales

a L. 11. Co. de Aduo. diuerso. iudicio. lata ab Imp. Leone Kal. Febru. Constantinop. Magno & Apollonio Coss. anno 460.

& iuris peritiam probari iussit, ne quis cohortalis aut indoctus, in seminarium irreperet dignitatum. Extat vtriusque huius probationis forma præscripta, & vltimæ equidem Doctorum etiam firmandæ sacramento; vtque quoquomodo parentum merita in liberis etiam coronarentur, Togatorum filios, cæteris qualiscumque litteraturæ & fortunæ voluit anteponi: Denique non iam quotannis, sed biennio tantùm expleto patronatum fisci assecutos officij sui finem sortituros constituit. *b*

His ita in orientali foro dispositis, similia apud se institui (seruato tamen disparitatis modo) Alexandrina Aduocatio impetrauit à *c* Leone & Anthemio Augustis. Statuti igitur Causidici, intra quinquagenarium numerum conclusi sunt, bini, quoquo biennio, patronatum fisci adepturi. Tum qui strenuum illud impleßet munus, contemplatione laborum Exconsularis moderatoris Prouinciæ dignitate aßignatus est decorandus, seruatâ tamen licentiâ forum, quoties iura sanguinis postulaßent, repetendi: voluerunt insuper iidem Augusti, vbi è fisci patronis vnus ante expletum biennium decederet, gradu eum sequentem sine delatione vlla in locum eius suffici, cunctaque hactenus Aduocatorum ordini conceßa beneficia, illibata seruari & manere, vt poßent in honore, otio, & tranquillitate residuum vitæ suæ tempus peragere, nullâ inuitis sollicitudine ingerendâ.

At quod mirum, quasi non satis eßet Causidicinæ immunitates, honores, dignitates ab Imperiali consequi beneficentia; laudibus etiam ab ipsis Principibus celebrata *d* est. Quis me, quæso, iure suggillet proprij laudatorem ordinis, cuius encomium videmus Augustos cecinisse. Lapsa, ait lex, eriguntur ab Aduocatis, fatigata reparantur; humano prouidetur generi, parentes proteguntur, patria saluatur; laborantium spes, vita, posteri defenduntur. Sunt illis pro gladiis argumenta; pro clypeis iura; pro thoracibus leges; pro campo fora; pro præliis actiones; pro plagis pericula; pro corona palma. An minus illis quam militibus debetur? En Respublica, en Imperium Aduocatis simul & militibus ita vult instrui, vt & arma legibus ornentur, & leges armis custodiantur.

E laudibus ad noua confert se Leo beneficia: sexaginta quatuor primores Aduocationis Prætorianæ togatos iisdem illustrat *e* insignibus, quibus patroni fisci gauderent, iubetque fisci patrono ante annum impletum fatalem obeunte diem, vniuersa totius anni solatia ad ipsius transmitti hæredes. Tum ne remißiori quam ille in togam affectu Leo iunior & Zeno moti *f* viderentur, quindecim primoribus vrbicariæ præfecturæ Aduocatis eadem quæ sexaginta quatuor illis impartiuntur priuilegia, adeò iam diceres Augustos decertare quis togam majoribus honoret præmiis, donet coronis.

Sed & Zeno Illyricianæ *g* Præfecturæ forum eodem quo Byzantinæ & statutorum conclusit numero, & gratiarum beneficio cumulauit. Denique videmus, *h* licèt de authore non liqueat, vni datum Præfecto, nec vlli alteri, ius mulctæ in statutos Causidicos.

b L. 12. Co. de Aduo. diuers. iudicio. Dat. 10. Kal. Mart. Constantin. Basilio & Viuiano Coss. anno 463.

c L. 13. Cod. eo. tit. sine die & Consule.

d L. 14. Co. eo. tit. lata ab iisdē Augustis Kalen. April. Constantinop. Zenone & Martiano Coss. anno 469.

e L. 15. Co. eo. tit. lata ab Imp. Leone solo. 17. Kal. Ianu. Constantinop. Festo & Martiano Coss. 472.

f L. 16. Co. eo. titu. lata ab Impp. Leone Iuniore & Zenone dat. 17. Kal April. Constantinopo. Leone Iuniore August. Cons. anno 474

g L. 17. Co. eo. tit. lata ab Imp. Zenone. 6. Kal. Ianu. Constantinopo. Decio & Longino Coss. anno 486.

h L. 18. Co. eo. tit. sine die & Consule.

CAPVT XXVIII.

Priuilegia Togatis indulta ab Impp. Anastasio & Iustino.

SEd iam videre est omnium ferè sedium Aduocatos certatim Imperialem adire clementiam, nullosque non, & præmia reportare & encomia. Ab Anastasio *a* itaque, agentibus apud rerum priuatarum Comitem, Proconsulemque Asiæ indultum est post depositum Aduocationis officium clarissimi primi ordinis Comitis perfrui dignitate. Mox *b* Illyricianæ Aduocationi communicata sunt quæcumque Prætorianæ per orientem vrbicariæque Præfecturæ Causidicis post impletam fisci Aduocationem collata fuerant beneficia, & tamdem fori Comitis orientis Aduocatos, eodem quo Ægyptiaci conclusos numero, patronatu fisci suo gradu defungendos Imperialis *c* Sanctio declarauit, emeritorum tùm in ædiculis & colonis, tùm in liberis & hæredibus non vulgari habitâ gratiâ.

Vlteriùs eiusdem Anastasij tulit se magnificentia: contestatus quippe Aduocationis *d* officium & ab honestate & à necessitate commendatum principalibus maximè præmiis remunerari debere, fisci patronis haud secus ac Consistorianis Comitibus solemnes Imperiali manu largitiones fieri voluit, in ipsa Calendarum Ianuariarum festiuitate: Sed & apud eos confessiones exponi posse super causa agnita; legitimas super liberis susceptis è matrimonio dotalibus non munito tabulis commendari allegationes: libertates mancipiis datas peragi, interuenientibus tamen instrumentis, ita vt vice magistratuum fungerentur: Denique emeritis fisci patronis indulsit, vt ipsorum liberi ingenui, clarissimorum Notariorum insererentur consortio, nullâ prorsus Tribunis pro impetrando diplomate persolutâ pecuniâ.

Accessit & postulatio Aduocatorum qui apud Præsidem secundæ Syriæ Prouinciæ causas agebant. At nec illis se minus benignum Anastasius *e* exhibuit; ad triginta quippe reductos, & patronatu fisci, suo quemque ordine, & emeritos iisdem quæ Comitis orientis indulserat Excausidicis, gaudere & inclarescere voluit insignibus.

Anastasij successor Iustinus & fisci & priuatorum honorauit patronos: Primis etenim, quos clarissima vocat eloquentiæ lumina, sexaginta auri libras à Zenone ablatas, restitui *f* præcepit pari lance in vtrumque diuidendas, quâ in re vniuersis etiam se consulere Aduocatis testatus est, licèt solis patronatum fisci adeptis videretur prouidere, cùm cuncti suo gradu & ordine eumdem essent impleturi patronatum, vnde conclusit, *vniuersis reddi, quod pro voto omnium primatibus indulgeretur.* Vniuersis igitur eo modo indulsit quæ lex memorat fisci patronis indulta priuilegia, approbatorias scilicet præstare epistolas; illustris dignitatis codicillos consequi

a L. 1. Co. de Aduo. diu. iudicum. dat. 2. Kal. Ianuar. Constãtinop. Anastasio 2. Aug. Cõsule. anno 497.

b L. 2. Co. eo. dat. 12. Kalen. Decemb. Patricio & Hypatro. Coss. ann. 501.

c L. 3. Co eo titu. dat. kal. Iul. Constantinop. Sabina & Theodoro. Coss. an. 505.

d L. 4. Co. eo. laudabile vitæque hominum necessariũ Aduocationis officium maximè principalibus præmiis oportet remunerari &c. Dat. 12. Kal. Decemb. Constantin. Arionimo & Messala Coss. anno 506.

e L. 5. Co. eo. dat. Kalen. Decemb. Anatolio & Agapito Coss. ann. 508.

f L. 6. Co. eo. restituẽda ea sũt clarissimis eloquentiæ luminibus, &c. Dat. kalen. Decemb. Constantinop. ipso August. & Eutherico Coss. anno 519.

qui amico quem elegissent profuturos, binosque singulis annis offerre homines, domesticis Principum inferendos, alterum quidem peditum scholis, alterum equitum.

At de Aduocatis præfecturæ *g* vrbicariç extat elegans eiusdem Augusti constitutio, quâ eos primùm in octogenarium redactos numerum, vetat præuertere progressus seriem quam ipsius matriculæ seu temporis ordo suppeditaret. Dein, assiduam eos iubet foro nauare operam, ità vt carere velit Togati nomine & priuilegiis quicumque per triennium Aduocationis intermiserit officia; & ne fraus aliqua tam prouidç fieret sanctioni, pœnam interminat etiam primatibus ordinis, quorum negligentiâ vel conniuentiâ præscriptus ordo interturbatus nosceretur.

g L. 7. Co. eo quam non Præfecto prætorij, sed Præfecto vrbi directam asserit Cujacius 13. obs. 1. Dat. Id. Febr. Constantinopo Iustiniano & Opilione Coss. ann. 524.

CAPVT XXIX.

Iustinianea fori disciplina. Leontius Byzantinus.

ETsi, quotquot iam adduximus è legali Codice principalia decreta, forensem, quam Iustinianus institui voluit, adstruxerint disciplinam, vtpote in eum à tanto Principe selecta finem; libuit tamen, seruatâ quantùm licuit temporum ratione, singula sub proprio latore poni, vt forensis quadamtenus historia texeretur: Nunc igitur ad ea, quæ Iustinianus ipse de foro statuit, accedo, sepositoque quantum illi toga debet & debuerit (plus sanè quam vlli retro Principi) ob enucleatam iuris scientiam, complanataque ad quascumque prouectura dignitates Aduocationis exercitia, primam *a* quam de Causidicis legem tulit obseruo. Hæc moratores interminatâ expergit mulctâ, vniuersis verò necessitatem imponit litem semel susceptam (ni lex iusta-ue causa obfuerit) vsque ad terminum prosequendi: Sed nec patitur vllâ machinatione viros disertissimos præstandis fraudari honorariis, adeo solertissima Principis cura, & à Togatis sordes, & à clientibus dolos voluit abesse.

Procem. institut. §. 7.

a L. 13. §. 1. Co. de iudiciis. Data 6. kalend. April. Lampadio & Oreste VV. CC. Coss. anno 530.

Mox vt increscentem litigatorum subrueret malitiam, aut saltem ad causas instruendas perorandasque integriorem ab Aduocatis curam impendi procuraret, inusitatum antea *b* iussit à patronis emitti sacramentum; & equidem, non semel tantùm vel in mense vel in anno, sed in qualicumque contestata lite. Formula verò qua iusjurandum diceretur quid augustius, quid sanctius? Omnem sacratam opem se clientibus allaturos Aduocati pollicentur, vt quam veram iustamque litem existimauerint, secundùm leges tueantur aut promoueant; at vbi vel improbam vel penitus desperatam agnouerint, ab ea protinus recessuros. Accedit persancta iuramenti dicendi ratio, tacto scilicet sacratissimo Euangeliorum Codice. Tum spreti ob improbitatem causæ ab assumptis Aduocatis litigatores, ad aliorum conuolare patrocinium prohibentur: Si tamen scissâ fuerint Aduocati sententiâ aliis iustam, aliis iniquam litem repu-

b L. 14. §. 1. Co. eod. tit. dat. iv. Kal. Apr. iisdem Coss. & anno 530.

tantibus; licentia conceditur illis quidem causam promouere, his autem ab ea recedere, neutris aliorum nocente iudicio.

Tertiam à Iustiniano latam de Causidicis Sanctionem, eam existimamus quâ Illyricanæ togæ assiduæ tantùm in foro operæ secundum Iustini legem, priuilegia Causidicinæ indulta vult prodesse: c ita vt qui Togati per biennium, vt textus habet, aut vt vult Cujacius, per triennium, sine commeatu; per quinquennium verò, commeatu etiam impetrato, suscepta Aduocationis deseruissent officia, è matricula eraderentur, nec deinceps inter Togatos gradum possent vendicare. Vltima d tamdem quæ tanti Principis in Aduocatos studium commendat, ea ipsa est de ratione docendi iuris ad Antecessores directa constitutio. Aperimus, ait, volentibus sacratos legum thesauros, quibus per vestram quodammodo erogatis prudentiam, ditissimi legum oratores fiant discipuli; omnibus verò euolutis, omnibus perlectis, omnibus penetratis quæ hactenus veluti obserata fuerunt Iurisprudentiæ arcanis & acuminibus, quinam exurgent, nisi & oratores maximi, & strenui iustitiæ satellites, & iudiciorum optimi nedum athletæ, sed & Præsides, in omni fœlices æuo nec non loco? O fœlix sub tanto Aduocatio principe, qui tui candidatos, discipulos, & tyrones, captat, fouet & allicit, propositâ etiam ipsis magistratum dignitate!

Quos tamen forenses viros & scientiâ & probitate insignes ea ætas tulerit, vix attigerunt Historici: At vel vnus saltem Leontius e plures adæquat, imò superat. Hic è foro Lauram ingressus, hæreticos cuiuslibet ferè dogmatis ad internecionem vsque diuinis prorsus profligauit argumentis.

c L. 9. Co. de Aduocatis diuers. iudicum; sine die quidem & Consule: sed cùm directa inscribatur ad Ioannem Præfectum prætorio isque successerit Iuliano qui anno 530. præfecturâ adhuc agebat, vt constat ex *l. 47. Co. de Episco. & Cler.* mouemur conjicere *d. l. 9.* posteriorem esse præfatæ *l. 14. Co. de iudiciis*: Ioannes etenim ille præfecturâ adeptus est anno tantùm 531. vt patet ex *l. 48. Cod. de Episcop. & Cleric.*

d Extat in Digestis, estque eorum procemium. v. §. 2. & 6. dat. 17. Kalend Ianuar. Constantino. D. N. Iustiniano PP. A. 3. Consf. id est, an. 533. quo eodem 12. Kal. Decemb. confirmatæ sunt institutiones: V. earum procemium §. 3. & vlt.

e Leontius Aduocatus Byzantinus floruit tempore Iustiniani: è foro monachismum professus in monasterio cui nomen *Laura*, haud procul ab Hierosolymis, scripsit actiones decem contra sectas hæreticorum qui ad sua vsque tempora viguerant. *Extant Tom. 1. Biblioth. Patr. Græ. Lat. edit. 1624.* Tum libros tres contra Eutychianos & Nestorianos; solutiones argumentationum Seueri Acephali, libellum aduersus fraudes Apollinaristarum; & dubitationes hypotheticas & definientes: Quæ omnia extant *Tom. 4. part. 2. Bibliot. PP. Latina.* V. Notas ad calcem dictorum opusculorum adjectas.

CAPVT XXX.

Defensor Ecclesiæ, Magistratus nouus.

NOn nostri est animi dissitam à suscepta quærere materiam, quæ-ue Aduocationem non spectent vagâ & effræni percurrere licentiâ; ingratum non verrimus solum, vt alienos inuadamus agros, nec paucis adeo crispatur forensis gleba segetibus, vt nobis in vicinas messes falcem mittere, aut ex furtiua inlectaue finitimi campi stipula, egenas iniquas-ue aristarum fasces congerere necesse sit, quæ quidem ideo proloquor, ne longiùs ab instituto pro-

currere existimer, si Defensores Ecclesiæ, jam non è sola petitos toga, sed nouos suffectos magistratus vel vno perstringam capitulo; nostra etenim interest ostendere, neque à nobis abdicatam, neque nobis ereptam fuisse quam supra tot titulis extulimus Ecclesiæ defensionem.

Africana, quod sciuerim, prima Defensores postu'auit Ecclesia & obtinuit: At orientalis, seu nullas à Donatistis passa injurias sæculares tam frequenter adire magistratus non coacta fuisset, seu perplura alia quàm forensia, defensione, quâ indigeret, voluisset sustineri negotia; sensim ex diuersis veluti muneribus nouum conflauit officium, cui tamdem potestatis dignitas est adjecta. Et Calchedonensis quidem Synodus Ecclesiarum Defensoribus (quos propter *a* pecunias promoueri anathema dixit) vagantes Clericos & Monachos nec non apud Constantinopolim excitantes turbas *b* demandauit commonere primùm vt ex vrbe regia discederent, recusantes verò, inuitos etiam expellere. At in qua potestate seditiosos ejecissent si magistratus illis defuisset authoritas? Tum ipsis incubuisse vim omnem & tumultum ab Ecclesia & Pastoribus arcere plus satis, *c* Logotheta innuit.

Laïcos autem fuisse multi scribunt. *d* Sed & Presbyteros ad hoc selectos officium tum Calchedone *e* tum Cõstantinopoli *f* sub Menna habitæ Synodi abundè docent: voluit etiam Iustinianus eos inuigilare *g* ne per sordes aut auaritiam Ecclesiastica impetrarentur conferrentur-ue ministeria, quibus si iungas *h* tribunal ipsis concessum, sacri patrimonij curam creditam & commissam, cæteraque fusè, sed passim, à Gregorio demandata eis officia quasi vindicibus externæ saltem disciplinæ Ecclesiasticæ; vix quicquam commune illis & sæculari foro fuisse cogêris agnoscere.

a Concil. Calchedon. habitũ anno 451. Cano 2. Si quis Episcopus propter pecunias ordinationem fecerit, &c. Vel propter pecunias promouerit œconomum vel Defensorem &c.

b d. Concil. Cano. 23. Peruenit ad aures sanctæ Synodi quod quidam Clerici & Monachi, quibus nihil à suo Episcopo commissum est, aliquando etiam ab ipsa communione segregati sunt, peruenientes ad regiam vrbem Constantinopolim, in ea diutiùs consistentes, turbas excitantes, & statum Ecclesiasticum perturbantes, aliquorum domos subuertunt: statuit itaque sancta Synodus, hos primum à sanctissimæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Defensore commoueri vt regia vrbe excedant: Si autem iisdem negotiis impudenter insistant, eos etiam inuitos, ipse Defensor expellat, vt ad sua loca reuertantur.

c Simeon. Magist. & Logotheta in epitome canonum Concilij Carthaginensis 50. Vt Episcopus non turbetur, adsint defensores. 60. executores dantur propter Ecclesiasticas difficultates. 61. Et Defensores qui potestatem defendendi habeant.

d Iustellus in Cod. Canonum Ecclesiæ vniuersæ. Cano. 201. qui præfatus est 23. Concil. Calchedo. in verbo ἐκδίκῳ olim, ait, ab Impp. dabantur Ecclesiis id poscentibus ἐκδίκοι siue Defensores, qui laïci erant.

e Concil. Calchedo. act 1. Et cùm in medio stetissent Ioannes reuerendiss. presbyter & defensor sanctæ Ecclesiæ huius gloriosæ ciuitatis, &c.

f Concil. Constantinopol. sub Menna habitum ann. 536. actio. 1. fine. Decernamus Vosporium, &c. & Ioannem ac Theoctistum presbyteros & Defensores magnæ Ecclesiæ quæ hic est.

g No. 56. cap. vn. dat. 3. Kal. Nou. Constant. Imperij Iustiniani anno xi. post Consulatum Beliss. 2. Christi 554.

h Diuersa horum Defensorum munia refert ex Gregorij Magni Epistolis Baronius tom. 8. anno 591. num. 19. 20. 27. anno 598. tom. 8. num. 16. 17. 18. 19. quem consule. V. infra. cap. sequ. litt. *t*.

Quid igitur inde contra nos? An de alieno lusimus corio aut per-

ſonatam induimus laruam, vt per vſurpatos externæ gloriæ titulos Aduocationis munus exurgeret? An iterum ſuſceptam abjecimus Eccleſiam, aut potius eâ recedente, patrocinij fide excidimus vel inuiti vel indigni? Gratiâ ſanè, ſingularique numinis beneficio iam patet neutrum ex his nobis exprobrari poſſe; impleuimus fidem quam fatigata poſtulauit Eccleſia, noſtroque defuncti munere, nec inuidimus, nec doluimus, quòd nouum defenſionis genus fuerit ab aliis & ſuſceptum & impletum.

CAPVT XXXI.

An & quæ Clericis permiſſæ Aduocationes.

DVplex nunc fori palæſtra aperitur, altera poli, altera ſæculi vocitata, cuius vtriuſque neceſſaria nobis eſt notio, vt quænam Clericis licitæ fuerint Aduocationes, certo teneamus examine. In priore autem foro vix eſt quod dubitemus Clericos imò & ſacerdotes ambigua litium iniiſſe certamina, quamque valuerint opem & induſtriam periclitantibus contuliſſe; Si enim cauſas Eccleſiaſticas audire & dirimere ſacerdotes & Epiſcopos haud dedecuerit, nec ſanè Clericis probroſum fuerit eaſdem promouere & peragere: Id vnum aduertimus, gratuita, ſcilicet, ab ipſis patrocinia præſtari oportere, Patribus Tarracone *a* congregatis fuiſſe viſum & placitum. Attamen nequaquam generaliter id obſeruatum fuiſſe teſtatur *b* Gratianus, imò verò vniuerſa fori Eccleſiaſtici conſuetudine receptum, vt Clerici more Aduocatorum, & pro impendendis patrociniis munera ſuſciperent, & pro impenſis honoraria exigerent.

De ſæcularis iterum fori exercitiis id nequaquam controuertitur, Clericos à criminali iudicio abſtinere debere; ad eam quippe ſponſam pertinent, cuius dilecti candor nonniſi à proprij rubore ſanguinis voluit exornari; lauent igitur in cruore agni ſtolas ſuas, in ſanguine vuæ amictus ſuos, at caueant quantocumque vlciſcendi zelo criminis reos ad pœnam depoſcere; non enim amplius Eliæ ſpiritus, aut Phinees animus toleratur, vulneratâ iampridem vel in Malcho patientiâ *c* Domini. Et ſanè, cur improbat Innocentius eorum ad ſacerdotium promotionem qui poſt acceptam baptiſmi gratiam in forenſi exercitatione fuerant verſati, *d* niſi quia in legitimis etiam Cauſidicinæ miniſteriis iudicia ſanguinis aduerſus reos & promouerant & obtinuerant? Sed nec inſontes in crimen vocatos aduerſus temeratores tueantur Clerici, ne fortè pœna talionis inflicta accuſatoribus, liberatæ innocentiæ maculet defenſores.

Cant. 5. v. 10. Apocal. 7. v. 14. Geneſ. 49. v. 11. Luc. 9. v. 55.

Quod igitur nobis diſquirendum ſupereſt, ciuiles tantummodò fori ſæcularis actiones ſpectat, num ſcilicet Clericis ſicut & laïcis permiſſum fuerit eas exercere? Nonnulli aſſerunt vel ab Apoſtolis *e* Aduocationes æquè ac cæteras ſæculares curas & adminiſtrationes Clericis interdictas fuiſſe; ad quid enim per multa diffundi, vt ad

a Concilium Tarracon. Can. 10. extat ille Canon. 15. qu 2. habitum fuit illud Concilium anno 517.

b V. Gratiani concluſionem d. cauſ. 15. q. 2.

c Patientia Domini in Malcho vulnerata eſt. *Tertullia. de patient. cap. 3.*

d Ea ratio adducitur à gloſ. ad Canon. aliquâtos. diſt. 51. exceptus eſt autē ille Canon ex Epiſtol. 23. cap 2 Innocentij I. ad Epiſcopos in Toletana Synodo cōgregatos: qua de re V. Binium in notis ad Concil. 1. Toletan. & Baron. tom 5. ann. 405. num. 41. 42.

e Dicimus quod non oporteat E-

illud vnum perueniatur necessarium? Numquid istud assequuti, aut saltem circa illud intenti, non plurima tantùm, sed omnia & vniuersa cum eo & in eo reperiunt? Apage quodcumque sacram haud decet Hierarchiam; nec Professoribus *f* nec initiatis fas est operari quidquam, quod sacri sui ordinis constitutionibus aut dissentiat aut repugnet.

Plurimi è contra, per curas & administrationes, fori nolunt intelligi officia quæ oppressis & miseris impenduntur. Sanè, si qui ad nos Pisani *g* & Turriani operâ peruenerunt Nicænæ Synodi Canones fidem aliquantulam possunt adstruere, num procurator pauperum, eloquens, vt ipsi volunt, & patiens, causas indefensorum agebat? At is vel sæcularis, vel Religiosus seligebatur. Apage, & iustum est, apage inquam, à Clericali sorte auara negotiatio; sordida vectigalium conductio; lucris inhians tributorum exactio; ista hæc omnia & Apostolicum *h* damnat exemplum, & Imperiale rejicit præceptum *i*; Apage iterum mercenaria sollicitudo, cura crucians & dissipans, diurna nocturnaque perturbatio; Sors filiorum Dei, Pax est, à qua nedum nomen, *l* sed & beatitudinem consequuntur; apage denique seruilis profanarum opum œconomia, flagitiosa dispensatio, infamis procuratio *m*; non huius mensæ vsuras cælestis poscit familiæ Dominus, aut in hanc mittit operarios vineam; pessima ista est occupatio, seruum diuidit, nec immeritò reprobatur à patribus: At quis datum oppresso auxilium, quis præbitum indefenso damnauit patrocinium? Egregiè *n* Calchedonensis Synodus, & à turpi lucro Clericos reuocat, & ad subueniendum miseris inuitat; facessat ab eis quæcumque per auaritiam cura suscipitur, sed ipsis incumbat quæcumque per Dei timorem, & orphanis & viduis, & indefensis tamdem personis fideliter impenditur.

piscopum aut presbyterũ publicis se administrationibus immiscere, sed vacare & commodum se exhibere vsibus Ecclesiasticis. *Canon. Apost. 80.*

f Neque enim fas est sacris Professoribus vel initiatis quidquã prorsus operari quod sacri sui ordinis sacrosanctis cõstitutionibus repugnet, imò nec iisdem dissentire. *Dionys. Areopag. de cælesti Hierarch. cap. 3. §. 2.*

g V. sup. cap. 22. litt. *a*

h Post conuersionem suam Mathæus ad telonium non resedit. *D. Greg. Homil. 24. in Euangel.*

i Placet nostræ Clementiæ, vt nihil commune Clerici cum publicis actibus vel ad curiam pertinentibus habeant, &c. l. 42. Co. Theodos. de Episcop. & Cleric. dat. 3. Kal. Octob. Constantinop. Theodo. A. B. & Palladio Coss. id est ann. 416.

l Beati pacifici quoniam filij Dei vocabuntur. *Math. 5. v. 9.*

m Concilium Carthagini habitum ann. 419. Item placuit vt Episcopi, Presbyteri & Diaconi non sint conductores, aut Procuratores, neque vllo turpi negotio & inhonesto victum quærant; quia respicere debent scriptum esse. Nullus militans Deo implicet se negotiis sæcularibus. *Extat autem in Codica Canon. Eccles. Africa. Can. 16.*

n Calchedon. Concil. ann. 451. Cano. 3. Peruenit ad sanctam Synodum, quod quidam eorum qui in Clero coaptati sunt propter turpe lucrum alienarum possessionum conductores fiunt, & sæcularia negotia exercent Dei quidem ministerium negligentes: Sæcularium verò domos discurrentes, & facultatum eorum per auaritiam curam suscipientes: definit ergo sancta & magna Synodus, neminem deinceps nec Episcopum nec Clericum nec Monachum vel possessiones conducere vel sæcularibus negotiorum administrationibus se ipsum miscere: nisi fortè ex lege ad inexcusabilem impuberum tutelam vocetur: vel ciuitatis Episcopus rerum Ecclesiasticarum solicitudinem habere permittat, vel orphanorum & viduarum quæ indefensæ sunt, & personarum quæ Ecclesiastico maximè indigent auxilio propter timorem Dei.

Verùm, multa iam objiciuntur; cur enim interpolatâ Theodosij sanctione, publicis *o* actionibus Clericos, cur procuratione litis Iustinianus interdixisset, nisi probrosum extunc fuisset *p* illis forensium disceptationum ostendere se peritos? Cur itidem tam seue-

o L. 17. Co. de Epis. & Cler quæ pars est legis Theodosianæ sup. litt. *i*

p Absurdum

ra Gregorij *q* aduersus Basilium animaduersio, si licuisset Antistiti in causis occupari sæcularibus, & prætoriis deseruire? Cur denique à præstando in litibus patrocinio nedum primarij inferioresue sacerdotes, sed omnino quilibet Clerici deterrentur à Leone *r* interminatâ etiam excommunicationis pœnâ?

etenim est Clericis imò etiam opprobriosum, si peritos se velint ostendere disceptationum esse forensium, *l. 41. Co. de Episco. & Cler.* lata à Iustino 13. Kal. Decemb. P. Iustino. C. A. 11. & Opiliano Coss. anno 524. Iustinianus autem ipse, Clericos vetuit fieri Procuratores litis. No. 123. cap. 6. dat. Kal. Maij Constantinop. Iustiniano. P. P. Aug. Bas. viro clariss. Cons. id est anno 554.

q Infra litt. *t*. Id autem contigit anno Christi 600.

r Decernimus, vt si aut primarij inferiores-ue sacerdotes aut omnino Clericus quispiam, vel præstando in litibus patrocinio, vel spondendo, vel alio simili modo, de sui ordinis dignitate detrahant, excommunicentur. No. Leon. 86. sine die: at Leo iste imperare cœpit anno 890.

Attamen multiplici argumento, multiplex etiam subest responsio; missis enim publicis illis actionibus, seu potius actibus quæ Curiales redolent non forenses, quantumcumque *s* glossa secus interpretetur; missis etiam litigiosæ procurationis oneribus quæ infra patrocinij reptitant dignitatem; Sat suæ correptionis rationem innuit Gregorius, *t* dum Antistitem non pro miserabilibus duntaxat personis sicut decet Presbyterum, sed pro quibuscumque velut vnum de laïcis, & quod pejus est, inutiliter, nedum apud Præfectos agere, sed prætoriis etiam mancipari & deseruire subnotat, qua ex re Episcopalis haud dubiè vilescebat dignitas & sacerdotalis reuerentia euacuabatur. De Leonis verò sanctione audiamus quæ Græca definierit Ecclesia; Congregato enim *u* Concilio sub Patriarcha Ioanne, (non alium quàm Xyphilinum opinari moueor) nil Patres amplius quàm quod olim in Carthaginensi statutum fuerat determinârunt. Rursumque à Luca Chrysoberge conuocatâ *x* Synodo, cùm Diaconus quidam Aduocatum agere prohibitus *y* fuisset, causam propriam, qui alienas susceperat, disertè adeo & iustè apud Imperatorium egit tribunal ipso Patriarchâ præsente, vt nedum reuocata fuerit lata in eum à Synodo sententia, sed ipsi etiam à Patriarcha applausum fuerit; docuit quippe Aduocationes non statutas à Clericis impleri, sed supernumerarias absolui; non dignitates per eas quæri, sed virtutes; non sæcularis fastigia potestatis, sed Christianæ officia pietatis: Denique Causidicinam, non vt mechanicam, sed vt liberalem artem exerceri; non igitur à sacris canonibus actionem, sed modum puniri causatus est; quod & probauit, dum & Episcopum pro amicis, & quemuis Clericum pro Ecclesia, apud sæculares etiam Iudices, Aduocatum agere posse demonstrauit.

s Glo. ad. d. l. 17. Co. de Episcop. & Cler. Notâ ex hac leg. quod Clerici non possunt esse Aduocati nec Procuratores in causis sæcularibus.

t Baron. tom. 8. anno 600. n. 11. sic de ea re. Basilium Capuanum Episcopū apud sæculares Præfectos diutius agentē non tulit, sed inde pelli & ad Ecclesiam suā redire compelli debere scriptis ad Romanum Defensorem his verbis. *Perlatū ad nos est reuerendißimū fratrem nostrū Basilium Episcopū velut vnum de laïcis in causis sæcularibus occupari, & prætoriis inutiliter deseruire; quæ res quoniam & ipsum vilem reddit & reuerentiam sacerdotalem annihilat, statim vt experientia tua hoc præceptum susceperit, eum ita ad reuertendum districtâ executione compellat, quatenus ei illic, te insistente, quinque diebus sub qualibet executione immorari non liceat.* Extat dist. 88. Can. perlatum.

u Habita est ista Synodus ann. 1066 V. Baro. tom. 11. d. an. num. 16.

x Congregata est illa Synodus anno Christi 1166. vt probat Baron. tom. 12. an. 1148. num. 81.

y Sic totam rem gestam refert Balsamon ad Photij nomocanonem. *tit.* 8. *cap.* 13. Verùm Diaconus quidam à fœlicis memoriæ Patriarcha Dn. Luca, commemoratis Canonibus reliquisque

legislationibus vtente, Aduocatum agere aliquando prohibitus, coram Imperatorio tribunali, præsente Patriarchâ dixit. Canones illos atque leges in hodiernis Aduocatis non habere locum, sed in illius temporis Aduocatis qui in ciuilibus iudiciis stationes habebant, Imperiales frumentarias tesseras accipiebant, sub Primiceriis erant, atque à mundanis magistratibus confirmabantur; quo tempore omnino rectè Clerici mundanis Aduocatorum officiis fungi prohibebantur: at quoniam qui hodie Aduocati sunt tamquam liberalem aliquam artem, Aduocationem exercent; neque sacri ordinis homines patrocinari impediri debere; & sermonem suum adstruens, non actionem sed modum à canonibus puniri causabatur: non solùm enim, inquit, Clerici, verùmetiam Episcopi pro amicis in iure certantes veniam consequentur: neque qui in controuersia rei Ecclesiasticæ patrocinium præstant, notabuntur: quemadmodum etiam ipsum ius euidenter docet; vt autem Clericus, quemadmodum mundani officiales, Aduocatum agat & ab homine profano confirmetur, odiosum est, atque punitur, verùm quòd Aduocati officium aliquando mundanum fuerit, & ordinarij Aduocati Imperatorias annonæ pensiones cœperint, atque sub Primiceriis fuerint, ex multis constat. Lege autem postremum caput tit. 1. lib. 8. Basilic. & quæ in Præfecti libro de Aduocatis digesta sunt; tradunt enim Aduocatos collegium esse, atque à cuiuscumque temporis Præfecto confirmari. Atque hæc quidem cùm dixisset, applausumque ipsi esset etiam à Patriarcha, porrò causis patrocinari vt antea fecisset permissum est illi.

Si verò Græcæ iam à Romana diuisæ Ecclesiæ non placet iudicium, audi quod *z* Lateranensis eodem sæculo pronuntiauerit Synodus; *Clerici*, ait illa, *licèt Ecclesiasticis sustentati stipendiis, in propria tamen causa, vel pro Ecclesia, vel pro miserabilibus personis Aduocatos fieri non dubitent etiam coram sæculari iudice.* Quid ergo si non habeant stipendia? Iam quælibet illis, ciuilia tamen, concessa autumant *a* nonnulli patrocinia. Vlteriùs autem Gregorius nonus progressus est, qui Clericos & pro conjunctis sibi personis causas agere posse rescripto *b* suo definiuit.

z Lateranense Concilium sub Alexandro habitum an. 1179. cap. 12 *Extat in decretalibus. tit. de postulando, cap. 1.*

a Videtur ergò à sensu contrario si stipendia non habeant quod possint aduocare. *Glos. d. cap. 1. de postulando.*

b *Extat tit. de postulando. cap. vlt.* Electus est autem Gregorius IX. anno 1227.

CAPVT XXXII.

An Monachis Aduocationes licitæ.

E Clericis ad Monachos ipsa nos ducit materia, vt an eadem istis, quæ illis, causas agendi competierit licentia disquiramus; Longè autem aliud, quantùm ad hoc, de Monachis quam de Clericis, Tarracone *a* congregatos Patres inuenimus statuisse; cùm nullum è Monachis susceptorem executorem-ue forensis negotij fieri voluerint, nisi & Monasterij vtilitate poscente, & Abbate imperante: Pelagius itidem Pontifex Monachum haud parùm *b* laudat, quod Defensoris partes renuisset suscipere, quæ quidem omnia etiam de foro Ecclesiastico intelligenda nemo non videt.

At insurrexit difficultas haud exigua. Canonici quippe Regulares se Clericalem potiùs quàm Monachalem statum assequutos reputantes, eadem quæ Clerici, nedum Ecclesiastica, sed ciuilia etiam in sæculari foro susceperant exercitia, nil ad se, vt diximus, pertinere arbitrati, quæ de Monachis patrum disciplina statuisset; hos tamen Lateranensis *c* grauiter perstrinxit Synodus, nullamque quantùm ad hoc disparitatem confingi passa est inter Monasticum

a Concilium Tarraco habitum anno 517. Ca. 11. *Extat 16. q. 1. Cano. Monachi. 35.*

b Extat illius Epistolæ fragmentum 16. q. 1. Cano. de præsentium. Et ad calcem Epistol. Pelagij 2. tomo 4. Concilio. general. Scribi potuit hæc Epistola circa annũ Domini 580.

c Concilium

ordinem & Canonicum institutum. Hæc sub Innocentio secundo celebrata est Synodus; Et quasi ad eius præcipuè nominis Pontifices spectasset motam hanc definire quæstionem, Canonicos Regulares in Compostellana diœcesi rursus eam agitantes, intra Monachalis disciplinæ septa Innocentius *d* tertius rescripto suo retrusit.

At saltem num pro miserabilibus personis agere potuerunt Monachi? Calchedonensis *e* Synodus id subinnuere videbatur; alterum tamen *f* Lateranense Concilium nil prorsus hac de re definiuit, de solis quippe loquutum Clericis & sacerdotibus: sed Turonensis *g* demum Synodus Religiosos omnino vetuit ad legendas mundanas sæcularesque leges è monasteriis exire, egressos verò, nec intra duos reuersos menses, tamquam excommunicatos vitari voluit ab omnibus, in nullisque audiri causis si patrocinium præstare vel præsumpsissent vel tentâssent. Seuerior-ne cuiquam videbitur ea sanctio? Et tamen interminatam ab ea censuram ipso demum facto incurri voluit Honorius. *h*

Lateranens. sub Innocent. II. habitum anno 1139. cap. 9. Praua autem consuetudo, prout accepimus, & detestabilis inoleuit, quoniam monachi & Regulares canonici post susceptũ habitum & professionem factâ, spretâ Beatorũ magistrorũ Benedicti & Augustini regulâ leges temporales & medicinâ gratiâ lucri temporalis addiscunt: Auaritiæ namque flammis accensi se Patronos causarum faciunt: & cũm Psalmodiæ & hymnis vacare debeant, gloriosæ vocis confisi munimine, allegationum suarum varietate iustum & injustum, fas nefasque confundunt; Attestantur verò Imperiales constitutiones absurdum, imò & opprobrium esse Clericis si peritos se velint disceptationum esse forensium huiusmodi temeratores grauiter feriendos Apostolicâ authoritate decernimus. *Extat tom. 7. Concil. general.*

d Extat. in Decretalibus, tit. de postulando cap. vlt. Innocentius autem tertius electus est anno 1198.

e V. Cap. præced. litt *n.*

f Concil. Lateran. sub Alexandro III. habitum anno 1179. cap. 12. *Extat in Decretal. tit. de postulando.* Cap. 1. addit autem textus: Districtiùs autem decreuimus puniendum, si Religiosorum quisquam aliquid prædictorum audeat attentare.

g Synodus Turonensis habita ann. 1163. IV. Kal. Iunij. Cano. 8. De præsenti assensu huic malo obuiantes, statuimus, vt nulli omnino post votum religionis; post factam in aliquo religioso loco professionem, ad Physicam leges-ue mundanas legendas permittatur exire: Si verò exierit, ac ad claustrum suum infra duorum mensium spatium non redierit, ab omnibus euitetur, & in nulla causa, si patrocinium præstare præsumpserit aut tentauerit, audiatur. *Extat tom. 7. Concilio. general.*

h Tertius nomine, qui creatus fuit summus Pontifex anno 1216. extat eius rescriptum seu decretum *Cap. vlt. ne Clerici vel Monachi sæcular.*

CAPVT XXXIII.

Priscum forum Gallicum.

Discussâ pro tenuitatis nostræ viribus rerum exterarum caligine, iam ad patrias seu verius domesticas accedendum nobis est, ni lamiam velimus agere exemtilia, vt fingunt, in loculis recondentem lumina, ideoque foris oculatam, domi cæcam; verùm, non immeritò, qui torcular cogor terere solus, de foro nostro exclamem, *putabam vt cognoscerem hoc! labor est ante me*, adeo nedum obscura, sed pauca & ferè nulla sunt quæ de prisca forensi nostra institutione & disciplina, non congerere, dicam, sed vix sparsim & iejunè datur adlegere. Et equidem, si prisca Gallorum vete- *Psal. 72. v. 16.*

rum

rum suspicimus tribunalia, quid de Causidicis & Oratoribus potest conjici paucis adeo iudiciorum ritus perstringente Cæsare *a* lineis, vt nil supra iudicum personas, munus, potestatem attendere sit? Ejectis itidem è Galliarum finibus Romanorum aquilis, quis fori modum, quis Causidicinæ leges, quis tribunalium tradidit instituta? Pollicitus quidem fuerat vir antiquitatis Francicæ studiosissimus Petrus Pithœus *b* priscam iudiciorum aleam & scenam exhibere, at non implesse promissa, imò nec attigisse sperata cognoscere possumus, è fratris ipsius *c* superstitis ad Paschasium facto sermone. An igitur imperuium iter tremens ingrediar ne filo quidem duce, vt quot passus, tot lapsus, quot vestigia, tot errata in meis deprehendantur semitis? Dura necessitas! Gallia feracissimum eloquentiæ solum, plurium *d* vel sola quàm reliquæ omnes simul Prouinciæ Latinorum Oratorum mater, proprio tunc iacuit ingloria silentio, nec calamum tulit, quo si quid in ea splendidum eloquentia præstiterit, commendaretur posteris & exteris. An sub aquilis generosa, sub liliis marcida? Sed absit; ipsa sæpius Roma experta est non emarcuisse Francorum animos, clarioresque habuit à liliata Gallia defensores, quàm ab aquilata Rhetores. Sed & inde ego putauerim rariora apud eos floruisse fori sæcularis exercitia, Transrhenani etenim illi populi, plus armis dediti quàm eloquiis, simplicioribus insuper iuribus imbuti, legibus instituti, simpliciorem itidem, vt probabile est, habuerunt forensis defensionis modum, nec ab eo prorsus dissimilem quem apud Iudæos & Barbaros vsurpatum notauimus. Quidni autem, cùm ipsorum iudices & arma & iura æquali tractarent lance? Notandæ sunt igitur sedulò, quæcumque nobis causæ suppetunt infrequentioris apud sæcularia tribunalia exercitij; nobiles, quippe, controuersias mouere sustinere-ue inscij, vbi iura ex se clara essent; in ambiguis & perplexis, non in forum sed in campum descendebant, more seu Francico seu *e* Burgundico, vtroque tamen impio, quinam iure potiores essent, vitæ periculo probaturi; plebeiorum autem duplex genus erat, serui (his iungo & adscriptitios) & ingenui; & primi quidem, si inter se contendissent, à quo nisi à Patrono iura audissent & iudicia? Si verò cum exteris, non tam ad eos quàm ad patronum & dominum controuersia spectasset, gladiis, idcircò, dirimenda potius quàm verbis. Ingenuorum porrò pars maxima Clericalem amplexa vitam Ecclesiasticis mancipabatur iudiciis: *f* residua verò plebs quam

a Nam ferè (Druides) de omnibus controuersiis publicis priuatisque constituunt; & si quod est admissum facinus, si cædes facta, si de hæreditate, de finibus controuersia est, iidem decernunt, præmia pœnasque constituūt. *Cæsar. de bello Gall. lib. 6.*

b *Pithou. liu. 1. des Comtes de Champ. & de Brie. De quoy i'espere traitter ailleurs, ensemble de la Iustice & Plaidoirie ancienne.*

c *V. Loisel: Dialogue des Aduocats: Conference premiere.*

d Vna nostra Aquitania, quãuis Græcâ se iactet origine, plures vrbi Latinos Rhetoras & oratores dedit, quam reliquæ simul omnes Prouinciæ. *Petr. Pithœus. in Præfat. ad declamat. Quintilia.*

e V. infra cap. 41.

f Si causa inter Clericos orta fuerit, ne inuito Episcopo ad sæculares iudices deferatur. *Concil. Arelat. 2. habitum an. 452. Can. 31.* Clericis non liceat inconsultis sacerdotibus suis sæcularia iudicia expetere. *Concil. Andegau. an. 453. Can. 1.* Clericis nisi ex permissu Episcoporum suorum sæcularia iudicia adire non liceat. *Conc. Veneticum an. 465. Can. 9.* Clericus ne quemquam præsumat apud sæcularem iudicem Episcopo non permittente pulsare. *Concil. Agath. anno 506. Can. 32.* Vt nullus sæcularium personarum, prætermisso Pontifice seu proposito Ecclesiæ quemquam Clericorum pro sua potestate constringere, discutere audeat vel damnare. *Concil. Aurel. 4. ann. 541. Can. 20.* Vt nullus Clericus de qualibet causa extra discussionem Episcopi sui à sæculari iudicio injuriam patiatur. *Concil. Matisco. 1. ann. 581. Can. 7.* Neque Diaconus, neque Subdiaconus de Ecclesiis trahantur. *Concil. Matisco. 2. an. 585. Can. 10.* Vt nullus iudicum neque Presbyterum, neque Diaconum, vel Clericum vllum aut iuniores Ecclesiæ sine scientia Pontificis per se distringat, aut damnare præsumat.

Concil. Parisien. 5. anno 615. Can. 4. Vt si quis iudex cujuslibet ordinis Clericum publicis actionibus inclinare præsumpserit, &c. *Concil. Rhemense. anno 630. Can. 6. extant omnia tom. 1. Concil. Gall.*

sæcularis regebat magistratus, quota esse poterat tanti portio imperii? His igitur præcipuè de causis factum puto, vt sub prima regum stirpe obscurior fuerit fori ciuilis gloria: adeo vt quoties, inter plebeios ambigua occurreret disceptatio, Clerici vt plurimùm adhiberentur litigantibus patroni, tamquam promptiore imbuti doctrinâ, paratiore dotati eloquentiâ; & tamen quanta adhuc cum obseruatione? Nullatenus enim forum criminale *g* adire poterant, ciuile autem, nonnisi cum Episcopi licentia.

g Non licet Presbytero nec Diacono, ad trepalium vbi rei torquentur stare; non licet Presbytero in iudicio illo stare vnde homo ad mortem tradatur; *Concil. Antissiodor. habitum ann. 578. Can. 33. & 34.* Ad locum examinationis reorum, nullus Clericorum accedat. *Concil. Matis. 2. anno 585. Can. 19. extant d. tom. 2.*

CAPVT XXXIV.

Aduocatiæ Ecclesiarum.

ALtera stirps Regia claros ab initio litteris simul & armis tulit Heroas, vixque alia daretur ætas frequentioribus illustrata Conciliis, sanctioribus informata legibus, melioribus disciplinis instituta; at nouum tamen diceres sæculum adeo iam verba discrepant ab vsitatis, non enim forum, sed placitum; non confessum, sed mallum; non legatos, sed missos; non Præsides, sed Comites; non Defensores, sed Scabineos; non Aduocatos, sed Clamatores, non condicere, sed mannire frequentior *a* edit pagella; Aduocati verò nomen aliud ab hactenus declarato ministerium sonat & refert; quapropter ne dictionis nouitas externum prorsus officium, quasi forense nonnullis ingereret, è re nostra putauimus fideliter exponere; Vnde munus illud, cur ei Aduocatiæ nomen, quænam eius partes, quam ob causam abrogatum.

a V. Glossar. Pith. ad Capitular. in verbis citatis.

Rex aut à regendo, aut à rectè agendo dictus putatur à *b* patribus, cuius ideò munus præcipuum esse voluerunt, Ecclesiarum *c* & seruorum Dei, nec non omnium indigentium agere defensorem. Hinc Carolus agnomine Magnus, nedum filium, sed & DEFENSOREM SANCTÆ DEI ECCLESIÆ se *d* appellat, vt quemadmodum filiatio Christianum, sic & Regem defensio sublimare videretur: At cùm nondum satis prouisum videretur sacrarum domorum necessitatibus per generalem illam protectionem, Germanis corrupto

b *Conciliū Paris. 6. ann. 829. lib. 2. cap. 1.* Rex à rectè agendo vocatur, si enim piè & iustè & misericorditer agit, meritò Rex appellatur. *Extat in capitularib. add. 2. cap. 21.*

c Si iustitiam sic teneat, vt misericordiam non derelinquat, si præ omnibus ita se sanctæ Matris Ecclesiæ Catholicæ meminerit filium, vt eius paci atque tranquillitati per vniuersum mundum prodesse suum faciat principatum; *Capitul. addit. 2. cap. 21.* Ipse enim debet primò defensor esse Ecclesiarum & seruorum Dei, viduarum, orphanorum, cæterorumque pauperum, nec non & omnium indigentium. *Concil. Paris. 6. lib. 2. cap. 2. extat in Capitul. addit. 2. cap. 22.*

d Ego Carolus, gratiâ Dei eiusque misericordiâ donante, Rex, & Rector regni Francorū & deuot[us]

vocabulo dictam *e* *Maniburgium*, seu *Mandiburgium*, expostulati sunt à principibus proceres, vel fortè etiam ab ipsismet delegati, qui peculiarem cuiusque loci sacri tuitionem susciperent, notandum autem eum qui Latinis curator & defensor, germanis etiamnum, VOGT, *f* dici, vnde à patria dictione ADVOGT formatum est vocabulum Latino-barbarum, ADVOCATVS, id est, *Castelli Custos*; & ab illis tamdem istæ aliæ deductæ, *Aduocatia*, *Guastaldus*, *Guardia*, *Guastaldia*, de quibus passim in feudorum vsibus.

Pithou liu. 1. des Cõtes de Châp. & Brie.

Triplicem autem Aduocatiæ collationem possumus agnoscere: Altera enim ab ipso demandabatur Principe, vt celebris illa Vlmensis *g* Monasterij, quam Adelberto cognato suo Karolum Magnum commisisse refert Nauclerus; ad instar nempe illius pridem à Clotario Rege, Gengulpho *h* viro illustrissimo Monasterij Besuensis collatæ. Altera ab Abbate & Monachis deferebatur. Sic eiusdem Vlmensis Monasterij Abbati & Monachis permissum est in posterum, quos inter potentes *i* sæculi meliores inuenissent, & nouissent æquitatis amatores, suo loco Defensores & Aduocatos eligere: Altera tamdem, à Patrono, Fundatore nimirum Ecclesiæ, ipsius-ue hæredibus conferebatur, in vim scilicet pacti, dotationis instrumento appositi, quo sibi suisque pio loco Defensorem instituendi ius facultatemque Patronus reseruasset.

sanctæ Dei Ecclesię defẽsor humilisque ad iutor. *Præfatio. capitular.* Carolus gratiâ Dei Rex Francorum & Longobardorum, ac Patronus Romanorum, Filius & defensor sanctæ Dei Ecclesiæ. *Epist. Carol. Magni. ad Elipandum anno 794.* Carolus gratiâ Dei Rex & defensor sanctæ Ecclesiæ. *Epist. eiusdem ad Angilbertum.* Carolus gratiâ Dei Rex Francorum & defẽsor sanctæ Dei Ecclesiæ. *Eiusdem Ep. ad Offam Regem Merciorum, ann. 797. extant tom. 2. Concilior. Gall. pag. 186. 207. 210.*

e V. Lexicon Iuris in verbis feudalibus.

f *Car ce mot* VOGT, *selon que i'ay appris des plus doctes de cette Nation, signifie Tuteur, Protecteur ou Garde.* Pithou liu. 1. des Comtes de Champ. & Brie.

g Adelbertum cognatum nostrum Aduocatum ac Defensorem constituimus, &c. *Lex. iur. in feudalib. vers. Aduocatia.*

h Anno octauo Regni sui Clotharius Rex Defensorem & Aduocatum, Gengulfum virum illustrissimum Monasterio Besuensi instituit, quod eius litteræ indicant. Petiit à nobis vt illustr. Vir Gengulfus omnes causas ipsius Monasterij ad prosequendum & redintegrandum deberet recipere. *Gloss. Pith. ad Capitul. in verbo Aduocati.*

i Vt Abbas & Monachi ex his quos inter potentes nouerint & inuenerint meliores sæculi & æquitatis amatores, eligant huic loco Aduocatos & Defensores. *Lex. iur. in verbis feudal. Aduocatia.* V. infra litt. *r*

Iterùm, Aduocatiarum genus fuisse duplex nobis innuunt Historici: aliæ etenim hæreditariæ erant, de quibus forsan, Capitula *l* Caroli Magni his in verbis; *& ipsi* (Aduocati) *habeant in illo Comitatu hæreditatem*, sed indubitatè, *m* Herbipolensis & Salis-

l Vt Episcopi & Abbates Aduocatos habeãt, & ipsi habeant in illo Comitatu propriam hæreditatem, vt & ipsi recti & boni sint, & habeant voluntatem rectè & iustè causas perficere. *Capitula. excerpta cap. 34. to. 2. Concil. Gall. pag. 248.*

m Herbipolensis sub Honorio IV. habita est Synodus anno 1287. à Ioanne Tusculano Episcopo Apostolicæ Sedis Legato: Inter cuius constitutiones, ista habetur. Nonnulli qui Ecclesiarum se asserunt Aduocatos, sicut tenentur, non solùm Ecclesias ipsas ab oppressoribus non defendunt, sed Ecclesiarum ipsarum bona violenter diripiunt ac personas multipliciter inquietant; & si Aduocatus quatuor plures-ve habeat filios, quod est tamen intolerabile, omnes se reputant in direptionem bonorum Ecclesiæ Aduocatos, sic quod per hoc, Ecclesiæ vnde sperant auxilium frequenter sentiant detrimentum; quibus volentes salubre remedium adhibere, hac edictali constitutione sancimus cunctos Ecclesiarum Aduocatos infra nostræ legationis terminos constitutos, cuius-

cumque sint præeminentiæ status, eisdem iuribus esse contentos, quæ ipsis seu eorum Antecessoribus fuerint concessa semper: & Ecclesias quarum Aduocati existunt, defensare studeant & manu tenere pro posse, & solùm ille in quem omnes concorditer aut major pars eorum consenserit, habeatur earum de cætero Aduocatus. *Extat tom. 7. Concilior. general.*

burgensis *n* Synodi, in quibus definitum; *mortuo Aduocato non omnes eius filios in Aduocatione succedere, sed illum solum in quem maior pars eorum consentiret*: Aliæ nequaquam hæreditariæ, sed datiuæ semper seu collatiuæ alterutro quem retulimus modo; qualis Hirsaugiensis *o* Monasterij Erlafrido Comiti demandata ab Archiepiscopo; At cùm dicat Trithemius eâ conditione Comitem institutum fuisse Aduocatum, vt eo mortuo filius in Aduocatione non succederet, nisi ad eam per Abbatem & Monachos electus: patet Aduocationes istas iure communi solitas fuisse transire ad hæredes.

n Salisburgensis Synodus habita Martini V. Pontificis tempore, sub Euerhardo Archiepiscopo. Anno 1420. cuius statuta Ioannes Præpositus & Archidiaconus concinnauit sic habet. Mortuo Ecclesiæ Aduocato, non omnes eius filij, sed ille solus in quem omnes vel major pars ipsorum consentit, habeatur pro patrono: Et Aduocati Ecclesiarum, qui defendendo & manutenendo personas & bona Ecclesiarum quarum sunt Aduocati, negligentes fuerint aut remissi, huiusmodi Aduocationis officio priuati sunt ipso iure. *Extat tom. 7. Concilior. general.*

o Constituit autem Archiepiscopus Aduocatum Hirsaugiensis Monasterij ipsum Comitem Erlafridum, sub ea conditione, vt mortuo patre filius in Aduocationem non succedat, nisi fuerit ad eam per Abbatem & Monachos assumptus, verebatur enim ne post mortem suam per filium, siue nepotes injuriam aut violentiam aliquam pateretur, si Aduocatia hæreditario iure deuolueretur ad posteros. *Lex. iur. in verb. feudal. Aduocatia, ex Ioan. Trithem.*

Iam quale munus ea fuisset Aduocatia declarandum nobis est: Et quidem ex institutione *p* Gengulphi patet omnes causas Besuensis Monasterij tùm ad prosequendum, tùm ad recuperandum commissas illi fuisse; Capitula item *q* iam citata hæc Aduocatorum præcipua munia subinnuunt, RECTE ET IVSTE CAVSAS PERFICERE. Et Trisingensis *r* Synodus conceptis verbis; PRO POSSE SVO, inquit, STATVTVM HONOREM ET RES ECCLESIÆ FIDELITER TVEANTVR ET DEFENDANT. Addit Pithœus, *s* *Aduocatis præsertim authoribus omnes quoscumque contractus ad vtilitatem spectantes Ecclesiarum fuisse celebratos, ita vt si quid donatum, acceptarent; si quid locandum, elocarent; iisdemque etiam Præsidibus, iura inter Ecclesiarum subditos seu homines, dici & reddi solita*; inde igitur etiam dicti sunt *t* VICE DOMINI, quod scilicet dominorum vices & personam sustinerent.

p Sup. litt. *b*

q Sup. litt. *l*

r Hæc Synodus habita est sub Eugenio IV. ann. 1440. sicque habet de Aduocatis Ecclesiarum. Et pro posse suo statutnm honorem & res Ecclesiarum requisiti fideliter tueãtur & defendant. *Tom. 7. Concil. gener.*

s *Les vns sont Aduoez des Monstiers, qui sont comme Patrons, Gardes & Administrateurs du Temporel des Eglises, sous l'interuention & authorité desquels tous contrats qui concernoient le profit des Monasteres se faisoient; mesme par les plus anciennes Chartres, il appert que les donations qu'on faisoit aux Eglises, se conferoient en la personne des Aduoez, & qu'ils se presentoient en iugement pour leurs Monasteres en toutes causes, & iugeoient aussi pour eux où ils auoient quelque Iustice: Cet Estat d'Aduoé estoit quelquefois en l'eslection du Monastere par priuilege exprez de la fondation, si qu'il estoit en la puissance des Moines d'en pourueoir ou destituer à leur discretion: quelquesfois par la fondation mesme leur estoit donné & assigné vn Aduoé particulier, en la posterité duquel cet Estat passoit & demeuroit hereditaire; autresfois le Fondateur se reseruoit l'Aduoerie de sa fondation.* Pithou liu. 1. des Comtes de Champ. & de Brie.

t *Bien oseray-je dire qu'en plusieurs endroits de nostre France, ils portoient aussi le nom de Vidames, qui est à dire Vice Seigneur, ou Lieutenant de Sire (car Dame se prenoit ainsi communement*

par nos Ancestres) dautant qu'ils representoient l'Eglise, de laquelle ils estoient Protecteurs ès affaires de ce monde, qui est la cause pour laquelle Flodoard & quelques autres Escriuains conjoignent souuentesfois ces mots, Vicedominos & Aduocatos. *Pithou. ibid.*

Nil tamen eos sine licentia Abbatum agere valuisse diploma donationis in Vlmense Monasterium collatæ satis innuit: *u* quo potissimum etiam è diplomate, non forensi hactenus declarato ritu caussas in mallis seu conuentibus ab eiusmodi Aduocatis peractas vel inde nobis constat, quod triginta dumtaxat equis non pluribus ad placitandum accedere debere Aduocatum definiatur; itaque, proceres isti, DEFENSORVM ECCLESIÆ insigniti titulis, plus authoritate pollebant quàm sermone; causasque, cæteroquin æquas, proprio vel natalium vel dignitatum pondere promouebant.

Addit illud idem donationis diploma, *quicquid placitando Aduocatus acquireret, tertiâ sibi parte retentâ, duas tantùm alias Abbati redditurum*: Sic igitur in quotam litis admittebatur, eamdemque vniuersis post-modum in Ratisbonensi Conuentu generaliter assignatam scribit, *x* vt *eo contenti honorario à molestandis abstinerent Ecclesiis.*

u Item statuimus, vt si Aduocatus placitare voluerit, quando vel qualiter, aut quottes hoc fiat, in Abbatis arbitrio pendeat, & ab eo disponatur, vt non cō pluribus quàm triginta equis ad placitandū veniat; & quidquid placitando ibidē acquirat, tertiâ parte sibi retentâ, duas Abbati reddat. *Lex. iur. in verb. feudal. Aduocatia.*

x *Enfin pour les entreprises que faisoient ordinairement les Aduoez on aduisa pour le mieux de taxer leurs gages & reuenus, comme il fut fait sous Henry III. enuiron l'an 1103. au Concile de Ratisbonne, recité par Conrad Escriuain de la vie des Euesques de Frisingen, ou entre autres choses est laissée aux Aduoez la troisiéme partie des bans & amandes.* Pithou liu. 1. des Comtes de Champ. & de Brie.

Ad instar Monasteriorum, Episcopales etiam Ecclesiæ suos habuerunt Aduocatos: Quapropter disciplina illius muneris, quod iam pluribus committebatur, diligentiùs cœpit institui: cautum itaque *ne Centenarij* y *Comitum* (Assessores erant) *Aduocatiam Episcopi, Abbatis, Comitis & Abbatissæ susciperent.* Cùm haud deceret vnam eamdemque personam & Iudicis & Defensoris seu Assertoris, simul & in eodem negotio partes agere; sed & statutum Aduocatos in causa suscepta, *z* iniquâ motos cupiditate, à conuentu honestorum iudiciorumque communione remouendos.

y Vt nullus Episcopus, nec Abbas, nec Comes, nec Abbatissa, Centenarium Comitis Aduocatum habeat. 4. *Capitular. 62.*

z Si Aduocatus in causa suscepta iniquâ cupiditate fuerit repertus, à conuentu honestorum, & à iudiciorum communione separetur; & videat ne Iudicis & Assertoris personam accipiat. 7. *Capitular.* 114.

Id munus nonnisi laïcis demandari solitum, nequaquam tamen ab Ecclesiasticis vendi poterat, ita vt quidquid de priscis Ecclesiarum Defensoribus statuissent Concilia, illud item de istiusmodi Aduocationibus Ecclesia *a* sanciuerit: Cæterùm, id summæ curæ

a Cur sancta Synodus Calcedonensis 630. Episcoporum Procuratorem vel Defensorem Ecclesiæ, vel quemquam Regulæ subiectum adeo per pecuniam ordinari prohibet; vt interuentores quoque tanti sceleris anathematizet, nisi quod eosdem simoniacos iudicet? *Et paulo post.* Nomine verò Procuratoris intelligit præfata Synodus quemlibet Ecclesiasticarum rerum administratorem, vt verbi gratiâ, Præpositum, Oeconomum, Vicedominum. Defensoris nomine; Aduocatum, siue Castaldum. *Vrban. II. Epist. 17. extat apud Baron. tom. II. anno 1099. num. 22. 23. & seqq. tom. 7. Concilio. gener. & 1. qu. 3. Can. Saluator.*

Patribus fuit, vt nonnisi *b* probi viri & recti ad id munus deligerentur, nedum ab Episcopis & Abbatibus, sed à cuncto etiam Clero; verebantur, quippe, *ne creditâ sibi authoritate abuterentur Aduocati, & non solùm laicis, quasi defensuri Ecclesias, sed ipsis tandem sacris domibus molesti euaderent*, quod tamen contra vota omnium aduenit; adeo vt necesse fuerit quamplurimis sanctionibus & penè censuris istiusmodi Aduocatos intra eius quam susceptissent defensionis metas restringere: Pictauiensis sanè Synodus, vetuit *c* eos sub anathematis vinculo quidquam è rebus Episcopi seu viuentis adhuc seu iam mortui sibi vindicare: Lucius *d* tertius, summus Pontifex iussit eos ab Ecclesiarum cessare grauaminibus, neque amplius fodrum, Albergarias, & similia extorquere iura à sacris domibus, sed antiquis & moderatis reditibus à locorum Episcopis dudum institutis contentos susceptum Aduocationis exercere officium, qui verò ampliùs exigerent, excommunicationis percuti fulmine.

At nondum satis, patet enim quosdam in tantam se erexisse insolentiam, vt difficultates ingererent, ne vacantibus prouideretur Ecclesiis, bona insuper Ecclesiarum dissiparent, quodque deterius, in necem Prælatorum non formidarent prorumpere; Lateranense igitur *e* Concilium iustâ districtione adhibitâ prohibuit eos plus vsurpare quàm reperiretur in iure permissum: vsurpatores, si qui essent, Canonicâ præcepit seueritate compesci; qui verò temerato ausu Clericos Ecclesiæ occidere vel mutilare præsumerent, nedum Aduocatiâ priuari sanxit, sed eorum insuper ad quartam vsque generationem hæredes neque Aduocationis officio, neque Clericali dignitate, neque regularis honore prælationis inclarescere posse declarauit.

Denique Honorius tertius *f* iustâ motus indignatione quod nequaquam ab oppressione Ecclesiarum istiusmodi cessarent Aduocati, rescripto suo ad Coloniensem Archiepiscorum eiusque Suffraganeos, iussit, Ecclesias ab Aduocatorum vexationibus Episcopali curâ & authoritate defendi: Aduocatias, insuper, quæ deinceps vacarent, cuiquam conferri inhibuit, pluresque in vna Ecclesia assumi Aduocatos, cùm nimis constaret Aduocatorum officium, ad Ecclesiarum tranquillitatem olim adhibitum, ad ipsarum demùm vexationem per eorum vsurpationes esse conuersum.

b V. sup. litt. *e*

c Vt nemo Aduocatus vel quęcumque persona res Episcopi in vita siue post mortem sibi vẽdicare præsumat, quod si fecerit, anathema sit. *Decreta Cõcilij Pictaui. ex Decreto Pascha. II. an. 1109. extant to. 7. Concil. general.*

d Electus est anno 1181. *Extat ipsius Decretum cap. praterea. 23. extr. de iure patronat.*

e Habitum sub Innocent. III. an. 1215. cap. 45. *Extat cap. in quibusdam 12. de pœnis.*

f Electus est anno 1216. XV. Kalen. Aug. cuius Epistola sic se habet. Cùm plerique Aduocati Ecclesiarum Aduocationis obsequium cõuertentes in dominationis abusum, Ecclesias ipsas opprimant & affligant, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus Ecclesias vestrarum Diœcesium humano amore ac mundano timore postpositis, ab Aduocatorum vexationibus taliter defendere studeatis, quòd per studium vestrum à suis possint angustiis respirare, nosque sollicitudinem vestram commendare meritò debeamus; Ad hæc si quas Aduocatias vacare contigerit, expresè inhibeatis Ecclesiis ad quas spectant, ne illas conferre præsumant, sed suis curent vsibus applicare; istud districtiùs inhibentes ne vna Ecclesia plures Aduocatos assumat; cùm ministerium Aduocatorum huiusmodi quod ad Ecclesiarum tranquillitatem noscitur fuisse prouisum, ad vexationem ipsarum per eorum vsurpationes constat esse conuersum. Dat. Lateran. Idib. Martij Pontificat. nostri anno quinto, id est, 1221. *Extat to. 1. Concilior. general.*

Verùm, neque de omnium locorum Aduocatiis prouiderat

Pontifex, neque de hæreditariis: Quapropter nil mirum si pluribus ab eo nedum annis, sed & sæculis videamus emissas iterum aduersus hosce Aduocatos querelas: nam Herbipolensis sub Honorio quarto Synodus *g* in eorum extorsiones gladium Canonicæ animaduersionis exeruit; neque in omnes liberos scindi Aduocatiam, sed ad vnum solum quem maior pars elegisset, iussit deuolui; altera quoque sesqui-sæculo post Salisburgi celebrata Synodus non remissiores *h* in eos interminauit Censuras; Frisingense verò *i* congregatum vicennio ab inde Concilium, & molestatores Aduocatos priuauit Aduocatiâ, & in eos insuper tamquam Ecclesiæ spoliatores animaduerti præcepit.

Quis denique huius-ce ministerii vltimus fuerit exitus, sat vnusquisque nostrûm valet coniicere, cùm iam pluribus retrò ab annis videamus istiusmodi Aduocatiarum excidisse memoriam; quapropter id vnum obseruatione dignum adiungam, scilicet, nonnumquam in iure Canonico Aduocatum sumi pro Patrono Ecclesiæ: Sic enim ea dictio vsurpata est passim in Lateranensis *l* Concilii capitulis, nec non in quodam *m* Lucii tertii rescripto, quæ singula in Decretalium volumine transcripta sunt.

g Habita anno 1287. V. sup. litt. *m.* Textus autē qui sequitur sic habet. Alioqui si negligentes in defendendo & manutenendo personas & iura ipsarū Ecclesiarum fuerint vel remissi, huiusmodi Aduocationis officio eos priuatos esse volumus ipso facto: & si quid vltra debitum ab ipsis Ecclesiis auferre cōtra huius nostræ constitutionis tenorem præsumpserint, nisi infra mensem Ecclesiis ipsis restituerint quod auferunt, vel emendauerint quod delinquunt, excommunicatos esse decernimus, & ad requisitionem personarum Ecclesiæ injuriam passæ excommunicatos mandamus denunciari omni mense. *Extat tom. 7. Concilior. general.*

h Habita anno 1420. V. sup. litt. *n* Textus autem qui sequitur, sic habet. Qui verò ab huiusmodi Ecclesiis, vltra debitum aliquid auferre præsumpserint, nisi infra mensem ablata restituerint, singulis mensibus debent excommunicati denunciari; *& cap. seq.* Excommunicati sunt laïci Aduocati Ecclesiarum, qui suis iuribus non contenti, inconsuetas & enormes nouitates in ipsas Ecclesias exercent & attentant, & vltra debita onera aggrauare non formidant. *Tom. 7. Concilior. general.*

i Habita anno 1440. V. sup. litt. *q* Sequitur textus, in hæc verba. Item si patronus plures filios aut hæredes reliquerit, omnes illi succedant in stirpem & in locum defuncti, ac nihil plus exigant, extorqueant, vel recipiant quàm ei debebatur in cuius locum & ius successerunt: & nihilominus sicut defunctus Ecclesiam defendere teneantur: Si quis verò in extorsione aut receptione iuris Aduocatiæ modum excesserit memoratum, aut patronatus occasione, iure suo priuetur, & nihilominus sicut raptor & spoliator Ecclesiæ puniatur. *Tom. 7. Concil. gener.*

l Habitum est anno 1179. sub Alexand. III. V. cap. quia Clerici 6. querimoniam 9. Extra de iure patronat.

m Cùm autem Aduocatus Clericum idoneum Episcopo præsentauerit, &c. *Extat tit. de iure patronat. cap. cùm autem 24. electus est Lucius anno 1181. & obiit ann. 1185.*

CAPVT XXXV.

Aduocatiæ Feudales.

TAm splendidus ab initio visus est Ecclesiarū Aduocatiæ titulus, faustéque adeò cuncta primùm in earum cessere vtilitatem, curâ & ope procerum, qui piam istam defensionem ambierant & susceperant, vt ciuitates præcipuæ *a* sibi quoque à Principibus constitui Aduocatos postulauerint & impetrarint; Horum autem, vt

a *Les autres estoient Aduoez des Villes Com-*

conjicere est, primarium munus extitit commissarum sibi vrbium illibata tutari iura, quibus honorarij loco nonnulla vrbicariorum prouentuum portio concessa est; sensim itidem, si Pithœo credimus, partes aliquas iudiciariæ potestatis assumpserunt; & quo honoratior concessæ sibi Aduocatiæ titulus exsurgeret, effecisse credendi sunt, vt à Principe demandatum munus, lege feudali & nomine retinerent.

Extat *b* in feudorum vsibus celebris illiusce Aduocationis mentio; in ea namque legali sanctione, quam secundùm Cujacium Ænobarbus Ratisbonæ tulit, cuiusque titulus est, *de pace tenenda & eius violatoribus*, aut iuxta nonnullos Codices, *de pace & treuga*, pro violatore pacis habetur quicumque ausu temerario Aduocatiam inuasisset, quâ iudiciario ordine fuisset exutus. At notandum, non quamlibet ob causam nec authoritate priuatâ istas Aduocatias auferri potuisse: Patet enim ex textu, vassallum seu clientem inordinatè tractasse Aduocatiam suam; tùm benignè à domino suo admonitum non resipuisse, imò in sua perdurasse insolentia; denique his omnibus iudiciario probatis ordine suo tamdem fuisse exutum Aduocatiæ beneficio, siue feudo.

Videre est, apud Pithœum, duo veterum diplomatum fragmenta in quibus *c* Berctholdus quidam Thugerici loci Aduocatus insignitur, alterum anno 1187. datum, alterum anno 1210. vocabantur istiusmodi Aduocati à majoribus nostris patriâ linguâ ADVOEZ: Denique hæc dum scriberem contigit habere me præ manibus vetera obsequij feudalis instrumenta *d*, è Monsmirellensis Baroniæ desumpta monimentis; in quorum altero Ogerius quidam dominus Thodi & Angluriarum, inscribitur EQVES, ET ADVOCATVS THERVANNÆ: In altero verò, Guillelmus quidam de Angluriis, eiusdem Thodi Dominus, se dicit THERVANNÆ ADVOCATVM. Prius datum est 24. Iulij 1384. posterius, 14. Ianuarij 1499. quo sanè vltimo tempore iamdudum fori nostri militibus priscum restitutum fuerat Aduocati nomen.

munautez ou païs, côme ceux que nous trouuōs par les Histoires estre appellez Aduoez d'Ausbourg, de Zurich, de Bethune, de Bergues, d'Arras, de Therouënne, S. Michel, Nomeni & autres lieux, de laquelle sorte d'Aduoez qui ne sēblent pas estre si anciens que les precedens desquels toutesfois ils ont pris leur origine, en reste encore quelques vns qui retiennent ce nom, lequel tous, ou la plus part de ceux qui ont pû tourner cette administration en domaine, ont depuis quitté; Et paulò post. *Ceux-cy donc estoient pareillement Gardes & Protecteurs de ces lieux, en recompense dequoy ils prenoiēt aussi quelque part és reuenus de la Ville, Communauté ou païs, & specialement és amandes, dautant qu'ils auoient aussi égard sur la Iustice, de laquelle ils estoient comme Administrateurs ou plutost Surintendans, & tenoient souuentesfois en fief ces gages ou reuenus.* Pithou liu. 1. des Comtes de Champ. & de Brie.

b Quicumque Aduocatiam suam vel aliquod aliud beneficium inordinatè tractauerit, & à Domino suo admonitus, non resipuerit, & in sua perdurans insolentia, ordine iudiciario tam Aduocatiâ quàm beneficio exutus fuerit, si postmodum ausu temerario Aduocatiam vel beneficium inuaserit, pro violatore habeatur. 2 feudo. 27. V. Cujac. 5. feudo. qui ait. Constitutio hæc est Friderici primi: Et paulo post. Edita hæc fuit Ratisbonæ, quantum, opinor, rebus pacatis inter Principes Germaniæ qui diu dimicarant inter se, ob Ducatum Saxoniæ & Bajoariæ ereptum Henrico superbo, à Conrado Imperatore: Putauerim ego, constitutionem hanc latam fuisse circa an. 1200. à præfato Friderico I. qui inauguratus fuerat anno 1187.

c Ego Berctholdus de Zeringen, Dux & Rector Burgundiæ, Dei & Imperiali gratiâ Thuregici loci legitimus Aduocatus, quod Kastuogt, dicitur, &c. Dat. anno ab Incarnat Do. 1187. ind. 5.

Berctholdus Dux Zuringiæ, Dei & Imperatorum dono iudex constitutus, & Aduocatus, qui vulgò *Kastuogt* dicitur, in omne Thuregium Imperialem Iurisdictionem tenens, &c. Actum in Burgundia, in Castello Burgdoff. anno Do. 1210. Imperij Ottonis Imp. anno primo. *Pithou liu. 1. des Comtes de Champ. & de Brie.*

d *Es Archiues de la Baronnie de Montmirail, au Sacq ethiqueté 85. concernant le fief du Thou mouuant*

mouuant en plein fief de ladite Baronnie. num. 1. *C'est ce que nous Ogiers, Sires d'Anglurre, Cheualiers, Aduoez de Theroanne, conneissons à tenir en fié de Monsieur Raoul de Coucy Seigneur de Montmirail, à cause dudit Montmirail, &c. Ce fut fait le xxiv. iour de Iuillet l'an mil ccc. iiij.xx. & quatre. Et au mesme Sacq.* num. 3. *A tous ceux qui ces presentes Lettres verront, & orront, salut; Comme ainsi soit que nous Guillaume d'Anglure Seigneur dudit lieu, du Thou en Brie, & Aduoé de Theroüenne, Cheualier, tenons & aduoüons tenir en fief de nostre tres-honnoré & douté Seigneur, Monsieur le Comte de Commercy, de Brienne & de Roussi, à cause de sa Baronie & Seigneurie de Montmiraïl en Brie, certaine portion de nostre Terre & Seigneurie dudit Thou, &c. Le quatorziéme iour de Ianuier l'an mil quatre cens quatre-vingt & dix-neuf.*

Desiit tamdem, nomine saltem tenus; istiusmodi Aduocatia, licèt patrimonialia effecta fuerint beneficia seu feuda, sub illo pridem collata titulo & obsequio.

CAPVT XXXVI.

Clamatores.

SEd iam enucleatis quæ de nouo isto Aduocatiarum nomine suboriri potuissent dubiis, ad nostrum reuertamur forum, & quâ fas erit sedulitate exquiramus, qui Causidici, quas-ue in eo partes susceperint & impleuerint.

Quamplurima sanè inuenimus *a* Tribunalia sæcularis etiam potestatis, nam Scabinei frequenter occurrunt, Aduocati, Præpositi *b*, Vicedomini, Vicarij, Missi Comitum, Centenarij, Decenarij, Comites ipsi, Missi Dominici; penes quos omnes, suo tamen quemque in placito, iudiciaria manebat authoritas. Sed & Palatini Comites ius reddebant, nec non aliquando Principes ipsi: Denique conuentus quoquo ferè anno legimus fieri solitos, in quibus an & quomodo se in officiis Iudices habuissent sedulò inquirebatur.

Ab his autem vniuersis potestatibus venalitiæ, *c* sordes iubebantur exulare, adeo-vt, nec vænirent iudicum officia, nec vllas à quoquo sportulas pro ferendis sententiis exigerent Magistratus: Aureum sanè vel inde sęculum, quod aurati mores, auro à prętoriis exule, instituerentur.

Denique, quod satis vmquam laudari non poterit, in quocumque ageretur placito, apud etiam Palatij Comitem imò & Principem,

a Volumus vt medio mense Maïo conueniât iidem Missi nostri; vnusquisque in sua legatione cum omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus, ac vassis nostris, Aduocatis nostris ac Vicedominis Abbatissarum, nec non eorum qui propter aliquam ineuitabilem necessitatem ipsi venire non possunt, ad locum vnum; *& paulo post,* Et habeat vnusquisque Comes, Vicarios & Centenarios suos secum; nec non & de primis Scabineis suis tres aut quatuor, &c. *2. Capitularium 28. vide in iisdem capitul. passim.*

b De Aduocatis, Vicedominis, Vicariis & Centenariis prauis, vt tollantur, & tales eligantur, quales & sciant & velint iustè causas discernere & iudicare. 3. *Capitular. 11.* Vt Iudices, Aduocati, Præpositi, Centenarij, Vicarij, Scabinei, quales meliores inueniri possint & Deum timentes constituantur ad sua ministeria exercenda. 3. *Capitular.* 56.

c Concil. Vernense. ann. 755. *Canon.* 25. Vt nec Episcopus, nec Abbas, nec vllus laïcus pro iustitia facienda sportulas contradictas accipiat: quia vbi dona intercurrunt, iustitia euacuatur. *Capitulare Aquisgra. ann,* 789. *cap.* 62. Vt quibus data est potestas iudicandi iustè iudicent, & non in muneribus; & caueat iudex ne declinet aut per adulationem &c. aut propter præmium à recto iudicio: rectum autem & honestum videtur, vt iudices ieiuni causas audiant & discernant: *Extat* 1. *Capitul.* 62. *Concil. Remense.* 2. *ann.* 813. *Cano.* 39. Vt nullus homo munera pro placito requirat,

aut accipere præsumat. *Turonense. 3. eod. ann. Can.* 35. Nullus Christianus pro quolibet placito vel iudicio, à qualibet persona munera exigere aut accipere debet. *Capitulare* 3. *Ludouici Pij. an.* 828. *cap.* 7. *num.* 4. De cætero omnibus Scabinis denuntietur, ne quis deinceps etiam iustum iudicium vendere præsumat. *Extat in Capitular. addit* 4. *cap.* 76. Vt Comites, & Vicarij & Centenarij de constitutione legis admoneantur, quâ iubetur, vt propter iustitiam peruertendam munera non accipiant. 4. *Capitular.* 64.

causæ pauperum, viduarum & orphanorum primæ *d* definiebantur, ipsaque sponsa Christi Ecclesia, nonnisi post miseris ius dictum, se postulabat audiri.

His ita præmissis, iam ad Causidicos accedamus: Hos peculiari nomine CLAMATORES dictos vterque Pithœus existimat, imò asserit *e*, formatâ scilicet dictione Latinâ à Germanica seu veteri Gallica CLAM, vel CLAIN, quæ actionem significabat; itaque quemadmodum majores nostri à patrio vocabulo, VOGT, Aduocati nomen deduxerant; sic & à patria illa voce CLAM, seu CLAIN, Latinam, *Clamoris* dictionem adstruxerant; à qua, CLAMATORES appellauerunt qui iudiciarias perorabant actiones. Cujacius tamen Proclamatorem interpretatur *f* actorem ipsum, non Patronum causæ, ad idque expressa habetur Ænobarbi Sanctio; à Comite etenim Proclamatori damnum iubet restitui; Nemo autem est qui nesciat damnum non Oratori seu causæ Patrono, sed litigatori ipsi, qui re verâ illud passus est, resarciendum. Quænam igitur hoc in biuio semita nos excipiet? Quæ-ue in isto dubio arripiet nos sententia?

d Concil. Vernense, ann. 755. *Cano.* 23. Vt Comites vel Iudices ad eorum placita primò viduarum, orphanorum, vel Ecclesiarũ causas audiant & definiant in eleemosina domini Regis, & postea alias causas cum iustitia rationabiliter iudicent.

De causis viduarum, pupillorum, orphanorum vel reliquorum pauperum, vt in primo Conuentu ante mediam diem illorum ratio vel querela audiatur & definiatur: Et post mediam causa Regia & Ecclesiarum vel potentum hominum; quia ipsi pauperes non habent facultatem vnde sustentare se possint, & ideò tantos *Clamores* faciunt ad aures nostras. 2. *Capitular.* 33. Nos in omni hebdomada vnum diem ad causas audiendas & iudicandas sedere volumus: Comites autem & Missi nostri magnum studium habeant, ne fortè propter eorum negligentiam pauperes crucientur: Et nos tædium propter eorum. *Clamores* patiamur. *Capitular.* 3. *Ludou. Pij. anno* 828. *cap.* 7. *nu.* 14. *extat addit.* 4. *cap.* 83. *V.* 3. *Capitular.* 77.

e Quant à ceux que nous appellons Aduocats, nos Anciens les ont appellez en leur Latin, Clamatores, *du nom de* Clamor, *ou* Clain, *qui signifie action*, *& en François Emparliers.* Pithou liu. 1. des Comtes de Champ. & Brie. V. Loysel, Dialogue des Aduocats. Confer. 1.

f Si autem Comes eamdem hæreditatem Regiæ potestati consignet, Proclamatori etiam damnum restituat. 2. *feudo.* 27. Ad quam constitutionem Cujacius 5. *feudor.* Proclamatorem, ait, vocat Actorem, nam & Germanis actio est clamor, & veteribus Gallis *Clain*, *ou Claim*, inde legibus Alamannorum, nemo, inquiunt, negligat ad placitum venire, vt in ipso placito, pauperes conclament causas suas.

Putauerim ego, æquiuocum illud fuisse vocabulum, modoque pro actore seu litigatore ipso, modo etiam pro Causidico & Oratore vsurpatum; & in primo quidem sensu clara est Frederici adducta constitutio; sed & pauperum apud tribunal stantium clamores passim in Capitularibus *g* notantur: Ad secundum verò sensum fa-

g De iustitiis Ecclesiarũ Dei, viduarum, orphanorum, & pupillorum præcipimus, vt in publicis iudiciis non despiciantur Clamantes, sed diligenter audiantur. 3. *Capitul.* 2. *Concilium apud Saponarias habitum an* 859. *Canon.* 15. Vt iustitiæ miserorum ad aures pietatis vestræ Clamantium, &c. *V.* 2. *Capitular.* 33 *addit.* 4. *cap.* 83. *sup. litt.* d

ciunt quæ legimus ſcripta *h* de Clamatoribus vel Cauſidicis qui Scabineorum iudicio nec acquieſcere volebant, nec blaſphemare, id eſt, improbare. Cauſidicorum tamen expreſſa etiam apud Agobardum habetur mentio: In ea enim quam ad Matfredum ſcripſit *i* deploratoria, hunc ſui temporis iniquorum refert ſermonem: SI QVERELA DE ME AD PALATIVM VENERIT, CAVSA AD CAVSIDICOS DIRIGETVR; Quo ex loco patet euidentiſſimè, priſcis etiam illis temporibus, forum noſtrum non vacaſſe Oratoribus ſeu Cauſidicis.

Ad iſta autem quæ de Clamatoribus vulgò dici ſolent, tertium adducam ſenſum, acceptos ſcilicet eos nonnumquam pro Appellantibus *l*. Sic in Metenſi Concilio cùm ſtatutum fuiſſet neminem ad Palatium venire pro cauſa ſua, qui anteá non egiſſet apud Comitem & Iudices, aut in placito legitimè definitam litem rurſus in Palatio promouere; attamen, additum eſt, ſi reclamauerit, quod legem ei non iudicaſſent, tunc licentiam habeat ad Palatium venire pro ipſa cauſa. Extat & aliud ea de re argumentum in Capitularibus; vt enim Clamatorum *m* in Palatio impedimentis obuiaretur, iubentur Miſſi ſeu ipſorum Comites, tranſmittere Miſſos in contra illos, vt loquitur textus, qui de mendacio conuincerent Clamatores: Miſſi quippe illi Iudicum, á quibus lata fuerat ſententia, obſeruabant Appellantes, num falſum quidpiam allegarent quo ſuam meliorem facerent cauſam, vnde forſan manauit priſca conſuetudo, iudices, à quibus appellatum fuerat, ad tribunal appellati ſtare iudicis. Denique *n* quò certiùs dignoſceret Imperator quomodo populis fierent iudicia, inter alia indicia quæ enumerat, Clamatores adducit, cùm ſcilicet, ex appellationibus præcipuè innoteſcat, an rectè, an perperam inferiores habuerint ſe Magiſtratus.

h De Clamatoribus vel Cauſidicis qui nec iudicio Scabineorũ acquieſcere, nec blaſphemare volũt, antiqua conſuetudo ſeruetur, id eſt, vt in cuſtodia recludantur, donec vnum è duobus faciant. 3. *Capitular.* 7.

i Quieuit timor Regum & legum in multis, adeo vt plerique in præſẽti neminem timendum putẽt, reputantes apud ſemetipſos & dicentes in cordibus ſuis: Si querela de me ad Palatium venerit, cauſa ad Cauſidicos dirigetur: Illic inueniam parentes vel amicos plures, per quos indubitáter fiet vt Regalem offenſionem nullam incurram, quia donum abſconditum extinguit iras. *Agobard. ad Matfredum Deplorato. extat to. 9. Bibliot. P P. pag. 1259. editio. 1624.*

l Vt omnes iuſtitias faciant, tam publici quàm Eccleſiaſtici; & ſi aliquis homo ad palatium venerit pro cauſa ſua, & antea Comiti non innotuerit in mallo ante Rachemburgios, aut ſi cauſa ſua ante Comitem in mallo fuit ante Rachemburgios, hoc ſuſtinere noluerit quod ipſi ei legitimè iudicauerint, ſi pro iſtis cauſis ad Palatium venerit, vapuletur: Et ſi major perſona fuerit; Regis arbitrium erit: & ſi reclamauerit quod legem ei non iudicaſſent: tunc licentiam habeat ad Palatium venire pro ipſa cauſa. *Concil. Met. ann. 753. Cano. 7. extat 5. Capitular. 14.*

Populo autem dicatur vt caueat de aliis cauſis ſe ad nos reclamare, niſi de quibus aut Miſſi noſtri, aut Comites eis iuſtitias facere noluerint. *Capitular. 3. Ludo. Pij. an. 828. cap. 7. nu. 14. extat add 4. cap. 83.*

Si ad Palatium pro hac re clamauerint & litteras detulerint, &c. 3. *Capitul.* 7.

m De Clamatoribus qui magnum impedimentum faciunt in Palatio ad aures Domini Imperatoris, vt Miſſi ſeu Comites illorum Miſſos tranſmittant in contra illos (*alencontre d'eux*) qui mentiendo vadunt, vt illos conuincant. 3. *Capitula.* 59.

n *Capitula. 2. Ludo. Pij. anno 823. cap. 12.* Et quoniam, ſicut diximus, vnuſquiſque veſtrûm partem miniſterij noſtri per partes habere denoſcitur, volumus ſtudere & per Clamatores & per alia quælibet certa indicia & per Miſſos noſtros quos ad hoc ordinauerimus, qualiter vnuſquiſque ad hoc certare ſtuduerit. *Extat 2. Capitular. 12.*

Addit tamdem Pithœus, quos Latinè majores noſtri appellabant Clamatores, Gallicè dictos fuiſſe, *o* EMPARLIERS, ſubjungitque

o V. Sup. litt. *e*

frater ipsius, CONTEVRS *p* PLAIDEVRS, ET QVELQVESFOIS DOCTEVRS OV CHEVALIERS DE LOY OV DE LOIX: Id est, Loquutores, Narratores, Placitatores, & nonnumquam legis seu legum Doctores & Equites. In quibus sanè nominibus nil deprehendi potest quod venerationem prisci sæculi de Causidicis non referat: Prima enim vox, EMPARLIERS, id est, Loquutores, *q* quid non augustum sonat, cùm Parlamenta nostra ab eadem appellata sint: Altera, CONTEVRS, id est, Narratores, itemque tertia, PLAIDEVRS, id est, Placitatores, nil refert infimum, imò quid strenuum, eorum quippe ministerium, ad quos spectabat in Placitis, Mallis, Conuentibus, Palatiis, Litigantium iura exponere, defensionem peragere. At cùm appellati recensentur legum Doctores & Equites, ad eam designati sunt spectare sortem in qua doctrinam nobilitas, doctrina nobilitatem præcipuo quodam iure sublimaret.

Vnum adhuc superest notandum, nequaquam scilicet impingendum in dictionem, quam dum de liberali vel capitali causa sermo factus est, titulus vsurpauit; cùm enim textus non Aduocatos habeat, sed Procuratores *r*: patet inscriptionem recentiùs concinnatam, Procuratorum nomen per Aduocatos perperam reddidisse.

p Lesquels on a depuis nommé Emparliers, Cōteurs, Plaideurs, & quelquesfois Docteurs ou Cheualiers de loy ou de loix. Pithou au Dialogue des Aduocats: Conference premiere és Oeuures de Loysel.

q Præcipimus vt quandocumque in mallum ante Comitem viduæ, pupilli & pauperes venerint, primò eorum causa audiatur & definiatur: & si testes per se ad causas suas querendas habere non potuerint, vel legem nescierint, Comes illos vel illas adiuuet, dando eis talem hominem qui rationem eorum teneat, vel pro eis loquatur. 4. Capitular. 16. *Et quand il veoit quelque chose à amander en la parole de ceux qui parloient pour autruy, luy mesme tout gratieusement de sa bouche les reprenoit. Ioinville en la vie de saint Loüis au commencement.*

r Quod in causa capitali vel in causa status non per Aduocatos, sed per ipsos agendum sit. Si quando in causa capitali vel in causa status interpellatum fuerit; non per Procuratores, sed per ipsos est agendum. *Hadriani capitula Angilrammo data, an. 785. cap. 44. extat 7. Capitul. 274. & in decreto 2. q. 6. Can. si quando.*

CAPVT XXXVII.

Quibusnam licuerit ad sæcularia venire placita.

CVm igitur iam constet in publicis Prætoriis seu Placitis non defuisse Causidicos, disquirendum nobis est quem præcipuè delectum majores nostri habuerint eorum qui ad Iuridicinam aspirarent. Mulieres autem ab eo seclusas officio Nannetense *a* declarat Concilium, suoque interserit Canoni quam Theodosius ea de re tulisset legem: Quapropter indubitatum manet, fori exercitium fuisse à majoribus nostris virile habitum & sancitum; sed & ciuile, adeo-ut mortui ciuiliter, quales Monachi, prohibiti fuerint

a Habitū paulò ante annum 900. Cano. 19. Mirum videtur quod quædam mulierculæ contra diuinas humanasque leges attritâ fronte impudenter agentes, placita generalia & publicos Conuentus indesinenter adeant, &c. Cùm indecens sit, & etiam inter barbaras gentes reprehensibile, mulieres virorum causas discutere, &c. Vnde quia diuinas leges, vt suprà monstratum est, hoc contradicunt, & humanæ nihilominùs idipsum prohibent, vt fœminæ nihil aliùd prosequantur in publico quam suam causam, ait enim lex Theodosiana: Nullâ ratione fœminæ amplius quam suas causas agendi habeant potestatem, nec alicuius causam à se nouerint persequendam: idcircò auctoritate canonicâ interdicimus, &c. *Extat tom. 3. Concilio. Gall. pag. 601. & sequ. Lex autem in eo canone citata extat Co. Theodo. l. 5. Co. de Cognitor. & Procurator.*

sæcularia placita frequentare, quâ de re tùm Aquisgranense *b* edictum potest consuli, tum binæ aliquantò post, altera quidem Francofordi *c*, altera verò Rhemis *d* Synodi celebratæ.

Tertio loco, quicumque extra fidem essent Catholicam, à fori remotos exercitiis mouemur asserere, quòd nec illis testimonium ferre *e* liceret: Cùm enim minus quid sit testem agere quàm Aduocatum, meritò ab Aduocatione repulsos asseremus, quos à dicendis testimoniis lex remouisset; vnde, secundùm idem principium, infames, *f* malefici, de se confessi *g* & similes abacti fuerint à foro, qui & ab accusatione & à testimonio prohibiti; sed & liberti *h* seu manumissi, indignum siquidem putauit Imperialis clementia, libertorum testimonia, ingenuis damna concutere, qua in re an Alexandro Seuero *i* prouidentior Ludouicus Pius fuerit, poterit qui volet inquirere.

Sed tamdem, quales ex ingenuis? Ebrij, *l* sanè disertis remouentur verbis: Cæterùm autem, vt vno verbo absoluam quod censeo, optimos quosque viros delectos existimo ad Causidicinæ exercitia quemadmodum & ad testimonia; *m* quinquaginta sanè solidis mulctatum *n* legimus, quicumque altercantem injustè, malâ fide in iudicio adiuuisset.

b Habitum an. 789. ca. 73. Et vt monachi ad sæcularia placita non vadant. *Extat. 1. capitul. 73.*

c Habita ann. 794. Cano. 11. Vt monachi ad sæcularia negotia, neque ad placita exercenda non exeant.

d Habita ann. 813. Cano. 29. Vt monachi ad placita sæcularia nullatenus vadant.

e Omnes qui in fide Christi vel Catholica suspecti sunt, in testimonio humano dubij habeantur: infirmari ergo oportet eorum testimonium qui in fide falsi docentur, nec eis esse credendum, qui veritatis fidem ignorant. 5. *Capitular. 183.*

f Homicidæ, malefici, fures, sacrilegi, raptores, venefici, adulteri, & qui raptum fecerint, vel falsum testimonium dixerint, seu qui ad sortilegos, magosque cucurrerint, nullatenùs erunt ad accusationem vel ad testimonium admittendi. 6. *Capitular. 298.*

g Placuit vt qui de se confessus est, super alium non credatur. 5. *Capitular. 161.*

h Libertus vel liberta in nullis negotiis contra quemquam testimonium dicere admittantur, excepto in aliquibus causis, vbi ingenuitas deesse dignoscitur, sicut permissum est de seruis, quia indignum nostra pensat clementia, vt libertorum testimonia ingenuis damna concutiant. Qui verò de eisdem fuerint progeniti, ad testimonium à tertia generatione admittantur. 6. *Capitular. 157.*

i V. sup. cap. 18. litt. *c*

l Vt nullus ebrius suam causam in mallo possit conquirere, nec testimonium dicere: Nec placitum Comes habeat nisi iejunus. 3. *Capitul* 38.

m Optimus quisque in pago vel ciuitate in testimonium assumatur: Et cui ille, contra quem testimoniare debet, nullum crimen possit indicere. 3. *Capitular. 32.*

n Si quis hominem in iudicio injustè contra alium altercantem adiuuare per malum ingenium præsumpserit, atque inde coram Iudicibus vel Comite increpatus fuerit, & negare non potuerit, solidis quindecim culpa iudicetur. 3. *Capitular. 27.*

Superest haud leuis quæstio: De Episcoois scilicet, Presbyteris & Clericis, an illis licitum fuerit apud sæculares iudices placitare? Papæ! Exclamabit aliquis; Episcopos agere Clamatores? Quæ melior dubij solutio, quàm Gregorij Pontificis in Basilium animaduersio? *o* Ne properes, quæso, quisquis sis; non putaui satis Clericos scribere, imò nec Presbyteros; Præsules & Episcopos sciens adiunxi, quin & prædixi: vt tamen ordine quodã singula discutiamus propositæ quæstionis capita; de Clericis quidem in vniuersum respondere possemus non minori in Gallicana Ecclesia libertate donatos quàm in Romana, ideoque iis, quas recensuimus, legibus potuisse apud sæculares etiam potestates forensia implere patrocinia; At

o V. sup. cap. 31. litt. *f*

Sup. cap. 31.

præter hanc generalem rationem, specialis etiam nobis subest ea de re apud Synodum Vernensem *p* definitio: Sed & in *q* Moguntiaco Parisiensique *r* Conciliis; quorum omnium authoritate & consensu sancitum est, Ministros altaris haud dedecere iudiciariam in foro sæculari viduarum, orphanorum, pauperum, Ecclesiarum, defensionem. Cautè igitur, intelligenda est quæcumque alia Synodus inhibeat *ſ* sacerdotes ad sæcularia accedere iudicia, vt scilicet eos tantùm vetet in propriis causis, contempto Episcopali placito, ad sæculares confugere Magistratus.

Quoad Episcopos, nouerint, ait Arelatense *t* Concilium, sibi curam populorum ac pauperum in protegendis ac defendendis impositam: Quomodo autem ista ab eis implenda esset cura in Cabilonensi *u* declaratur, postquam enim vetitus est Episcopus ad forum pergere, & vbi iudiciaria exercentur publicè negotia suis etiam causis suffragaturus accedere, nisi fortè, additur, vt pauperibus oppressis succurrat, aut viduis & orphanis tuitionem conferat; en in foro sæculari Episcopus, non propriam sed miserorum, sed oppressorum causam agens; hoc officium, hanc operam, quocumque appelles nomine, iam nil curo, partes siquidem Aduocati & suscipit & absoluit.

p Habitum an. 755. Cano. 16. Vt Clerici, &c. non habeant actiones sæculares, nisi pro causa Ecclesiarum, orphanorũ, vel viduarum ordinante Episcopo suo vel Abbate.

q Habit. anno 813. Canon. 14. Ministri autem altaris Domini vel monachi nobis placuit vt à negotiis sæcularibus omnino abstineant: multa sunt ergo negotia sæcularia, &c. Quidquid plus iusto appetit homo, turpe lucrum est, munera injusta accipere vel etiam dare, &c. In placitis sæcularibus disputare, exceptâ defensione orphanorum aut viduarum.

r Parisiense illud Concilium sextum est ordine, habitum anno 829. in cuius Can. 28. *totus penè Canon tertius* Calckedo. *Synodi refertur, quem V. sup. cap.* 31. *litt.* n.

ſ Capitulare Episcopor. anno 802. *Capitul.* 16. Nulli sacerdotum liceat fideiussorem esse: neque derelictâ propriâ lege, ad sæcularia iudicia audeat accedere. *Extat to.* 2. *Concil. Gall. pag.* 249.

t Sextum ordine habitum ann. 813. Canon.17. Vt vnusquisque Episcopus semel in anno circumeat Parrochiam suam. Nouerint sibi curam populorum & pauperum in protegendis ac defendendis impositam; ideoque dum conspiciunt Iudices ac potentes pauperum oppressores existere, prius eos sacerdotali admonitione redarguant, & si contempserint emendari, eorum insolentia Regis auribus intimetur. *Extat addit.* 3. *cap.* 65.

u Eod. an 813. Cano. 11. Vt Episcopus ad forum neque vbi publicè negotia iudiciaria exercentur non pergat suæ causæ suffragaturus: nisi fortè vt aut pauperibus oppressis succurrat, aut viduis & orphanis tuitionem conferat.

Sic igitur sensim & paulatim prodit se è latebris fori nostri antiqui disciplina & gloria, velutque aurora consurgens & rutilans, in diem desinit propriis fulgoribus luminosum. Ab eo strepitus armorum *x* exulat & arcetur; cuique patet; nec tamen angariatur vllus accedere, *y* ni vel propria deposcat causa vel aliena; aut testimonium exigat vel patrocinium. Gaudet in eo charitas ordinata piæ defensionis subire vices, strenuéque adeo & fortiter, vt quò periclitans miserior, eò clarior illi opituletur Defensor: iunguntur optimis laïcis, Clerici integerrimi; his, Sacerdotes; Presbyteris, Antistites, non eâ moti *z* cupiditate quæ obscurat aurum, colorem

Cant. 6. vers. 9.

x Vt nullus ad mallum vel placitum infra patriam, arma, id est, scutum & lanceam portet. 5. *Capitul.* 22.

y Vt nullus ad placitum banniatur, nisi qui causam suam quærit, aut si alter ei quærere debet. 3. *Capitul.* 40. Vt nullus alius de liberis hominibus ad placitum vel ad mallum venire cogatur, exceptis Scabineis, & vassis Comitum, nisi qui causam suam quærit, aut si alter ei quærere debet. *Ibid. cap.* 51.

z Concilium Parisiens. 6. habitum an. 829. lib. 1. *Cano.* 29. Presbyteri porrò qui non sui prælati imperio coacti, sed potius voluptatum suarum delectatione, imò auaritiæ æstuatione succensi

id facere præsumunt, perpendant necesse est quàm luctuosam descriptionem Hieremias Propheta Dei sub significatione auri eiusque coloris optimi lapidumque sanctuarij personam carnalium sacerdotum describat: Ait namque, *quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides Sanctuarij in capite omnium platearum?* Quod Beatus Gregorius in libro Pastorali ita exponit, &c. Aurum igitur obscuratur, cùm terrenis actibus sanctitatis vita polluitur: Color optimus commutatur, cùm quorumdam, qui degere Religiosè credebantur, æstimatio anteacta minuitur, &c. Sanctuarij quoque lapides in platea disperguntur, cùm causarum sæcularium foras lata itinera expetunt hi, qui ad ornamentum Ecclesiæ internis mysteriis quasi in secretis Sanctuarij vacare debuerunt.

optimum immutat, lapidesque Sanctuarij dispergit in omnium platearum capitibus; sed eâ pleni charitate, quæ alienis miseriis saluâ iustitiâ nouit compati, éque laborantium periculis, perennem exhibitæ defensionis fabricare coronam. Accedit infula, suâ sanctitate venerabilis; discedit è præstito viduis patrocinio laudabilis; imò sanctior recedit quam accesserit, completo, quod intenderat pietatis officio. Quàm dispar ergo nostrorum Antistitum & Basilij sors! illos certè non increpâsset Gregorius, imò laudâsset, in dissimili quippe ministerio occupatos: Militant in sæculo, non sæculo: foro dediti sunt, nec tamen diuisi à Deo: non turbantur circa plurima, sed vni necessario per illa plurima coniunguntur: Denique forum illud priscum altera mihi videtur extitisse palæstra charitatis, in cuius sublimi portæ fastigio potuit inscribi: *a* LIBAT DOMINO PROSPERA, QVI AB AFFLICTIS PELLIT ADVERSA.

a Hadriani Capitula Angilrâmo data anno 785. cap. 69.

Occurrere quisque fidelium ruinis miserorum debet subsidio quo valet, & ex releuatione alienæ vindictæ, à se Dei remouere vindictam: libat enim Domino prospera qui ab afflictis pellit aduersa. *Extat 6. Capitular. 250.*

CAPVT XXXVIII.

Gelberga a diuinitùs defensa.

PErseuerasse eamdem in foro claritatem per ea etiam tempora quibus ad Hugonis stirpem deuolutum est Francorum Imperium, vel inde conjicere moueor, quod iam in Senatus institutione Prælatos Proceribus Regalis adiunxerit Majestas, de sæcularibus etiam negotiis sacrâ vice cogGnituros; quò enim sanctior supremi tribunalis erectio, eò mihi videtur integrior forensis extitisse disciplina. At num saltem remissior inuenta est, cùm derelictæ fœminæ, afflictæ Augustæ, humiliatæ Reginæ defensionem non præsti-

a Ea fuit secūda Philippi Augusti vxor, cuius apud Authores varia hæcce nomina: Gelberga, Ingeberta, Vageburgis, Ingeburga, Botilda. *Baron. to. 12. ann.* 1193. *nu.* 27. Eodem anno Philippus Rex Francorum duxit vxorem Botildam filiam Regis Daniæ, eamdemque cognitam dimisit ob sanguinis propinquitatem. *Robert. Guaguinus. lib. 6.* Defunctâ quoque Ysabellâ optimâ Reginâ, in partu geminos enixâ, Philippus Stephano Nouiomensi Antistite ad Caïnum Dalmatarum Regem misso, Ingebertam sororem Regis vxorem duxit; quam Parisiis receptam paucis interactis diebus, dimisit, occasione sumptâ, quod eius consobrina esset. *D. Antoninus part. 2. tit. 17. cap. 9. §* 28. Circa illa tempora misit Rex Philippus Stephanum Nouiomensem Episcopum ad Canutum Regem Danorum, vt vnam de sororibus suis ei mitteret, quam ille reciperet in coniugium, quod ille gratanter accipiens Vageburgem, (alias Ingeburgam) ei tradidit; puellam sanctam.

& bonis moribus ornatam; hanc Rex apud Atrebatum in legitimam vxorem duxit, & in Reginam coronari fecit: Sed mox instigante diabolo, Rex ipse quibusdam, vt dicitur, maleficiis per Sortiarias impeditus, vxorem tamdiu cupitam exosam habere cœpit, nec multò post; consanguinitatis lineâ per Carolum Flandrensem Comitem ab Episcopis & Baronibus computatâ, matrimonium separari effecit. Regina tamen ad Danos redire nolens, in locis Galliæ Religiosis manere decreuit, malens coniugalem continentiam perpetuò seruare, quàm alij iuncta prima matrimonij fœdera violare.

tit? Luget infœlix mulier, sed innocens, trimestre vix conjugium *b* experta, cùm dimissa; durâque prorsus lege premitur, vt quæ iam dici nequeat vxor viro, sibi virgo, sponsa diuertenti, vidua superstiti. Accedit quid tristius; noua superinducitur mulier, natisque ex ea pignoribus, iam exspes fit abdicata recuperare virum, quem geminato dilectionis vinculo cara nomina sponsi & patris in alieno thalamo tenaciùs retinerent. Denique repudiata est, nec tamen soluta, quique eam vinculis vult esse connubialibus liberam, mox vt captiuam iubet *c* includi, adeo ut è lege pridem dimissa viri, teneatur tamen adhuc potestate Augusti. Agit Rex Danus *d* quantâcumque valet ope & industriâ, vt sorori subueniat; partes item suas sedulò & strenuè supremus interponit Pontifex; concurrunt Ecclesiæ Gallicanæ Antistites; anathemati iam decreto fulmina Regiæ potestatis opponit Philippus; placetque tamdem causam viri & mulieris, prolatis hinc inde rationibus in solemni conuentu definiri. Locus eligitur, dies condicitur, secura cuilibet pro repudiata muliere dicendi promulgatur facultas, Consessus denique instauratur, cui Philippus interest, mirâque facundiâ ab eius oratoribus exponuntur quas diuertendi legitimas habuisset rationes. At stupor hinc nascitur; nullus pro Gelberga comparet, & crebra tamen in indefensam verborum contorquentur iacula. Num duplex, & graue equidem, Aduocatio nostra ex eo probrum incurrit: Alterum quod miseræ & afflictæ patrocinari refugiat; alterum quod eamdem oratione iam superfluâ lacessat? Cur protectio laboranti denegatur? Cur derelictæ & captiuæ insultatur? Saltem si subtrahitur defensio, non ingeratur oppressio, nataque miseris subuenire facultas, non eos turbato humanitatis instituto affligat & deprimat.

b Paul. Æmyl. lib. 6. Rex mortuâ Elisâ vxore cælebs, Dani Regis sororem Gelbergam vxorem duxit: Eâdem intra tertium mensẽ per causam propinquitatis dimissâ, Mariam Ducis Morauiæ filiam superinduxit. Diu. Anton. part. 2. tit. 17. cap. 9. §. 28. Eodem anno 1196. Philippus Rex vxorẽ duxit Mariam nomine, filiam ducis Morauiæ & Bohemiæ Marchionisque Histriæ. Guaguin. lib. 6. In sequẽti Martio mense Philippus Mariam Ducis Bohemorum filiã matrimonio sibi iunxit.

c Idem Guag. ibi. Concessa Philippo à bello quiete, noua illi à Romano Legato afflictio consurgit, propter Ingebergam vxorem dimissam; nam Conuentu Prælatorum habito, ex eorum sententia Legatus Philippo & toti Regno sacris & Communione hominum interdixit, quamuis Romanum Pontificem Rex appellasset; quâ legis seueritate exasperatus Philippus, in Clerum sæuitiâ vsus est, pulsis è suis sedibus Pontificibus, quorum assensu hanc ignominiam accepisset: Itaque nec dignitatĩ nec Vicariatui pepercit, quin etiam plebeios sacerdotes rebus suis exutos extruderet: Quin & Ingebergam in arce Stampensi clausam tenuit. Diu. Anton. d. par. 2. tit. 17. cap. 9. §. 30. Ad cum illum etiam mali totius Vigeburgem vxorem eius sanctam omniumque suorum auxilio destitutam ad Stampas in castro clausit.

d Paul. Æmyl. d. l. 6. Dano Rege per Oratores apud Pontificem maximum agente, duo amplissimi ordinis patres in Galliam legati venere, Regique denunciauere, vt à consuetudine Mariæ temperaret. Dicto non parebat: Diuione Concilium Patrum habitum: Decretum vt Franciæ sacrificiis interdiceretur: orator Regis Pontificem maximum appellabat, nihilo secius illo summoto, sanctiore arcanoque Conuentu, Romanus Franciæ sacris de sententia Patrum interdicere se pronunciauit, cæterùm vetuit id decretum in vulgus edi ante vigesimum à natali Domini diem, quo tempore

pore procul ipse abiſſet, ne timere ſibi à Rege poſſet. Ei ſuccenſere tantùm animo potuit Rex: Patres qui & tunc aſſenſerant, & poſtea interdictum euulgarant, ſedibus primùm ab Rege exacti, deinde miteſcente Regis irâ, nouus legatus ex vrbe Octauianus affuit. Sueſſione Rex & Patres conuenere; nullus dum prodire audebat qui Regem accuſaret: Erant nimis multi qui diſertiſſimè copioſiſſiméque eius cauſam agerent; hi ſummo ſilentio ac prope aſſenſu audiebantur. Perorârant etiam cum nemo vocem contra mittebat. Quis tantâ ceruice foret qui præſentem Regem Auguſtum tanta in re oratione diſtringeret? Perdiu expectatione ſuſpenſi animi tenebantur.

Diſpar tamen & agentium & ſilentium mihi videtur ſubeſſe cauſa; illos enim quomodocumque tutatur impenſum Regi patrocinium, nec vnquam adſtanti obturatur os, eò tantum quod aduerſarius iudicium detrectarit: imò iudicantis intereſt non cæcam vel in refugum dicere ſententiam, ideoque præſentis debet rationes audire, iura intelligere; ſilentes verò nouitas rei perculit, fecitque dubios, quatenus & quo-vſque patrocinia deberent petentibus. Innocentia opprimenda ſit; nouit Aduocatio ſubſtrahere miniſterium, nullis enim negatiua ſanctio circumſcribi poteſt limitibus; non, ſi Princeps dicat, ſi Rex imperet, ſi Cæſar iubeat, non, inquam, ſuſcipiet Iuridicina quicquam illicitum; iugula præbebit, fundetque potius è deſectis ſanguinem ceruicibus, quàm ex ore maledico venenatum in inſontes eloquium: At poſtulet quiuis defendi periclitans, iam prudentis eſt inquirere an & quo-vſque dari patrocinium expediat; quid enim ſi aduerſus patrem, familiam, patriam aut Principem? Nulla defenſio eſt quæ petentem non arguat, agentem non perſtringat, experientem non corripiat. In præſtando igitur Gelbergæ patrocinio, quot occurrebant penſanda? Rex & quidem præſens, aduerſarius eſt; non licuiſſe tamen illi diuertere, vxoremque ducere alteram aſſerendum eſt & probandum. Quid! Dilecta viro mulier eripienda eſt, inuiſa ingerenda? Auferendi è ſinu patris liberi, conuellendus pignorum ſtatus, detrahendus imperanti fœminæ titulus, deturbanda teneriorum affectuum nomina, patris, mariti, vxoris, filij, probroſaque inurenda, adulteri, concubinæ, ſpurij? Et quibus inſuper verbis? Quâ oratione? Quo ſermone? Regem adſtantem accuſare, perſtringere, increpare, & ſi qua ipſi turpitudo ineſt, reuelare, proclamare, ſuggillare? Eſto, cùm ſubit forenſem aleam Princeps, incerto lubens committat ſe periculo, liceatque illi remotâ formidine dicere, Cur ita facis? Hoc nouit vel in inferiori iudicio Cauſidicina ſibi fas eſſe; at in præſenti, iam dubitat; Sacramentum quippe Regis ſi tacere bonum eſt, quantò melius flagitium abſcondere? *Tob. 12. Verſ. 7.*

Hæc, ni fallor, tenuit Aduocationem hæſitatio, nec immeritò equidem, cùm in anteactis tùm Græcorum tùm Romanorum ſæculis nil ſimile contigiſſet: Quid enim in Plinij aduerſus Cæſaris amicos defenſio ſuſcepta; quid in Tullij apud Cæſarem pro Dejotaro deprecatione peractâ; quid in eiuſdem contra Chryſogonum pro Roſcio tuitione impletâ, quod cum diſceptationis huiuſce majeſtatis & pondere conueniat? An ſuſcipienda, dubium; quomodo implenda ſi ſuſcipiatur, lubricum: An enim Baptiſtæ partes aſſumet Aduocatio? Auguſtus præterea, inter Auguſtas medius ſedet,

alteri reddendus, alteri detrahendus: inter majestates transeundum est; non alia suppetit via; Cautoque sermone opus est, ne quid minus excidat, ne quid nimis, cùm vel ex linguæ lubrico majestatis crimen exurgat; abest à me vecordia, ait Aduocatio; abest socordia; misericordiâ non careo; fortitudine non vaco, sed tantam non puto tenere me posse prudentiam, quantam expostulat huiusce defensionis exorta materia, necdum virtutis tam arduæ specimen patuit, exemplum prodiit Vera dicis; ô miserorum, prisca consolatio! Vera dicis, nec iam de tua dubitatur aut innocentia, aut iustitia; attamen quantùm debeas, quantùm audeas, Angelico *e* disce magisterio, tene ministerio.

e Paul. Æmy. lib. 6. Tamdem ex humili multitudine adolescens, ignotus, quis, vnde veniret, veniâ dicendi demississimè & ab Rege, & à Romano & à cætero consessu petitâ, externæ repudiatæque mulieris desertam ab omnibus causam, tam ornatè dilucidéque defendit, tam reuerenter de Rege verba faciens, vt in sui admirationem omnes converteret; fine dicendi facto se surripiens, nusquam deinceps comparuit: Sunt qui numini id tribuant, sed consilio & arte Danâ fieri potuit. *Ioan. Pineda, Ordin. Minorum, parte 3. de la Monarch. Ecclesiast lib. 21 cap. 13. §. 1. Auiendo disputado muchos dias el caso de su primero matrimonio, y auiendo hablado muchos por la parte del Rey, y no se atreuiendo alguno a hablar por la Reyna de miedo del Rey, salio vn mancebo de entre la gente, que auiendo pedido licentia a los legados y al Rey, hablo tam admirablemente por la causa de la Reyna, que los dexo a todos espantados y porque neguno le conocia, ni despues pudo ser hallado, creyo se ser Angel del cielo.* Ioan. Serræus inuentarij Francici author in Philippo Augusto rem fusè narrat; sed in eo lapsus, quòd Parisiis, non Suessione gestam existimet: Suggillatur autem à Paschasio apud Oisellium in Dialogo de Aduocatis Collat. 1. quasi fabellam anilem pro vera descripsisset historia: Verùm, num potius suggillandus seu Paschasius, seu Oiselius, seu vterque, qui Paulum Æmilium haud legisse visus est; accedit quid multo pejus. Cùm, sc. repudiatam à Philippo primo Bertham; pro Gelberga ab Augusto dimissa, & Bertradam Fulconis Andegauensis arreptam vxorem, pro Maria Morauiæ Ducis filia, ignoranter penè referat, Bertham, inquam, diuino prorsus iudicio, & secundum Diui Arnulphi Suessionensis Episcopi vaticinium, repudiatam, vt refert Baron. *tom.* 11. *anno* 1094. *num.* 8. Quæ quidem, dum discutiuntur à nobis, eò peruadunt, vt nonnisi tremuli scriptionibus euulgandis adhibeamus manum, oculatiores siquidem, & cæcutiisse & cæcutire nonnunquam deprehenduntur.

Perorauerant, vt diximus, apud Legatos & Antistites qui Philippi iura tuebantur, cùm inclusæ sub custodia ceu in petræ foraminibus columbæ gemitus exauditus est. Prodit ex humili multitudine adolescens quidam, nil tamen humile gerens in fronte, nil demissum in specie, nil infimum in corpore. Stupor apud omnes, eóque maior quò insperatus accederet & ignotus; At breui ex sermone cognitus est; veniam dicendi demississimè petit & quidem à Rege, vt vel ex hoc, scire se venerari Principem ostenderet, & quem vt Augustum reuereretur, iam moneret ab exordio, Majestate regnantis esse dignum legibus alligatum se fateri. Non potest non mirari vel Augustus, iuuenis impauidi modestiam, intrepidi prudentiam, strenui solertiam; veniam dat fandi, & si quæ non vellet auditurus; Tuncque summo ab vniuerso cœtu facto silentio, mellitum à iuuene tanta cum arte profertur eloquium, vt diffusa in labiis eius gratia, ab eo noscatur prodire Spiritu qui solus mittere potest aduocare languentes. At mirum; considentes Legati & Episcopi nec non vniuersi qui aderant, mouentur, aures quidem præbere disserenti, oculos verò in Regem conjicere, obseruant-

Psalm. 44. v. 3.

Sap. cap. 1. litt. [illegible]

que in Philippi vultu, Causidicum, qui mitem & humilem corde se
Luc. 24. v. 19. præbebat, potentem tamen sermone & opere inueniri. Viuus quippe fit sermo eius & efficax, omnique gladio ancipiti penetrabilior,
Heb. 4. v. 12. pertingit vsque ad diuisionem animæ Regis ac spiritus, ita vt discretor etiam cogitationum & intentionum cordis ipsius comprobe-
Cant. 4. vers. 11. tur. Id nec celare potest Augustus: Pallet, rubescit, infremit, nec tamen audet oratorem perstringere, sub cuius lingua, lac & mel, à cuius ore, veritas & iustitia. Oculos igitur tenet, seque à se ipso alterum sensim agnoscit fieri, potentius agente qui ad animam quàm qui ad aures sermo ferretur. Fine dicendi facto, summâque tenente omnes admiratione, Concilium ineunt *f* Patres, rectiúsque putant nil adhuc in ea definire sessione, arbitrati Regem tam facundâ oratione emollitum, saniora ex se capturum consilia; At cùm de oratore postmodum quæsitum fuisset anxiè & sollicitè, nec amplius à quoquo visum fuisse fides esset certissima, diuino Numini tributum est afflictæ Reginæ tam insperatò præstitum auxilium. Ab eo sanè die, non desiit Augustus solito tristior intra se quid audisset reuoluere, vnde cùm rursus conuenissent Episcopi sero tamdem iudicio superinductas damnaturi nuptias, præuenit Rex eorum sententiam receptâ secum Gelbergâ; at piissima illa Augusta cùm resciuit diuinitùs suam fuisse defensionem impletam, quid putamus eam in humilitate cordis cecinisse, nisi illud Apostoli.
Act. 12. vers. 11. *Nunc scio verè quia Dominus misit Angelum suum & liberauit me.*

f Nihil eâ constitutum actione. Ampliatione factâ Patres expectabant vt vltrò Rex Danam vxorem agnosceret; consuetudine Mariæ tenebatur, nec ab ea secubabat; labebatur longior dies, temporisque spatium illi dabatur si à pertinacia desisteret; sed publico Conuentu toties coacto, necesse erat iudicium aliquando facere: Rursus coguntur Patres; adest & Rex: tum liberior dolor voxque hominum, & magis apertus sensus erat, & præ se ferebant Patres quidnam ipsis necesse foret decernere: Tunc demum Rex necessitatem in virtutem vertit: &c. relictoque consessu in equum cùm insiluisset post se receptam Gelbergam in Regiam reduxit. *Paul. Æmyl. lib. 6.* Anno Domini 1201. Octauianus Ostiensis, & Ioannes Velitrensis Episcopus vt legatus in Franciæ venit. *Et paulò post.* Tunc conuocatum est Suessione Concilium ab ipso Octauiano & Ioanne Legatis, cui Rex Franciæ Philippus interfuit, cum Episcopis & Principibus suis, vbi per quindecim dies tractatum est de Vigeburgis Reginæ matrimonio confirmando vel separando: Post multas autem & varias Iurisperitorum disputationes, Rex longâ morâ tædioque affectus, cum Vigeburge vxore sua mane insalutatis ipsis recessit, mandans eis per nuncium quod vxorem suam, vt suam secum ducebat, nec ab ea separari tunc volebat. *D. Antonin. part. 2. tit. 17. cap. 9. §. 31.* ad quem locum Petrus Maturus refert textum Æmilij sup. litt. *e*

CAPVT XXXIX.

Guido Fulcodius; Yuo Trecorensis.

SEd nec ego putem de sterilitate sua forum nostrum indoluisse, quam cœlitùs illapsa ministratio tanta cum gloria compensasset; quinimò obscuriori hactenus fuerit sobole, nec tot proferre queat Heroas quot Atticum tulit, Romanum dedit; attamen vel ex isto, quem tenuit & meruit, tanto circumfunditur splendore majestatis, vt longo vtrumque illud superet interuallo, iamque non immeritò de Gallica nostra Aduocatione exclamari queat; Lætare *a* sterilis, quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis, steri-

a Lætare sterilis quæ non pa-

litas tua versa est in decorem, detractumque diuinitùs infœcunditatis tuæ opprobrium; vlteriùs adhuc feror dum suscitatos è calcata gressibus Angelicis palæstra suspicio Athletas, moueorque subjungere; Meliores filij desertæ & obscuræ, quam fertilis illius & illustris ethnicæ, seu Atticæ, seu Romanæ.

ris, erumpe & clama quæ non parturis, quia plures filij desertæ, magis quàm eius quæ habet virum. *Isa. 54. vers. 1. iuxta Septuag.*

Nec sanè qui mecum stare non gestiat, vllum existimo, dum vel è fori nostri cancellis Guido Fulcodius ad supremi Pontificatus *b* apicem euehitur; vir tumultuosos etiam inter litium fragores sæculariaque negotia, solicitudine non piger, feruens spiritu, clarus scientiâ, spe gaudens, fide potens integrâ, pace plenus Euangelicâ, paupertate diues Apostolicâ; talis demum quem redimire gestierit infula Antistitis, purpura Cardinalis, Thiara Pontificis. Gaude, Gallicanum forum & exulta; Romanum, equidem, dedit Ecclesiæ Præsulem, dedit Doctorem, sed *c* vtrumque è tuo susceptum solo; At tu abundantius & fœlicius es, cùm haud alienâ indigens terrâ, propriis natum in laribus, imbutum artibus, summo Pontificatus throno donatum aspicias.

b Electus est anno 1265. dictusque Clemẽs IV. antea Guido Fulcodius, Gallicè, *Guy Foucaud*, patriâ Narbonensis è villa S. Ægidij: Iurisprudentiæ laude clarissimus; mortuâ coniuge, quam prius habuerat, Podiensis, & paulò post Narbonensis Episcopus factus, ex Cardinale omnium acclamatione designatus est Pontifex. *Vita Clement. IV. tom. 7. Concilior. general. de eodem Platina sic scribit.* Is enim Iureconsultus totius Galliæ sine contentione primarius, in Curia Regia causas integerrimè agens, vxorem & liberos habuit: quâ mortuâ, primò Podiensis, deinde Narbonensis Episcopus, postremò Cardinalis, omnium consensu creatus est Pontifex.

c Ii fuere, Ambrosius Mediolan. & Germanus Antissiodorens. Epp.

At forsan post tantum virum nobis ereptum viluisse nostra credetur Aduocatio. Nil sanè minus; insurgit alter quasi è patrio Phœnix cinere, haudquaquam inferiore clarus gloriâ, ita vt diceres Guidonem è fori nostri puluere ad Ecclesiæ regimen igneo charitatis euectum curru, duplicem cum pallio Yuoni reliquisse spiritum; Yuoni *d*, dico, quem cùm nominaui satis laudaui; quid enim mihi amplius de illo, de cuius possessione dum viueret, Antistites, post fata, celeberrimi ordines decertârunt? At nemo, quod sciam, seu viuum seu mortuum auferre nobis ausus est. Intuere, quisquis es, Sacerdotem licèt, Pastorem, Iudicem, orphanorum tamen, viduarum & pauperum causas eum agentem, non remissâ sanctitate, sed auctâ; dumque eum per media sæculi negotia intemerato gressu ad Deum tendere cognoueris, ex diuiso *e* isto tantâ potentiâ Iordane fatearis necesse est, licèt Prophetarum filius sis; Requieuit spiritus Guidonis super Yuonem. Quid mirum ergo si sub habitu pauperis Angelum conuiuio exceperit, qui Angelicis in foro callibus inhærebat, muniis excellebat? Si dicamus sanatos ab eo infirmos, quin & fugatum dæmonem, numquid dignitatem Causidicinæ reuelabimus, cuius ministeriis, iam non sola Chrysostomi, sed & Yuonis sanctitas noscetur mancipata? Sed demùm quis tibi sermo cùm per flexuosos Iuridicinæ calles & colles didiceris virum Angelicum sedes conscendisse Angelicas? Stupor, forsan, verba tibi subtrahet? Nequaquam, puto; Quin potius mecum dices, nostram Aduocationem alteram Iacob scalam effectam, per illam siquidem Ange-

4. Reg. 2. v. 11.

d S. Yuo obiit 19. Maij anno 1303. annis natus 50. quo tempore igitur Guido Fulcodius foro cessit, nascebatur Yuo, qui Aduocationis officia exercere potuit paulò post Guidonem è viuis sublatũ, is quippe mortuus est anno 1268. quo Yuo annũ agebat decimũ sextum. *Cætera vide in vita D. Yuonis.*

e Percussitque aquas (Elisæus) & diuisæ sũt huc

lus sub forma hominis ad nos delapsus est, Yuo Angelicis functus ministeriis supra cœlos euectus est. O fortunata, si te tamen nouerint asseclæ, professio! Cuius officia hominem è terris ad cœlos prouehunt; Angelum è cœlis ad terras alliciunt.

atque illuc; & transiit Elisæus: videntes autem filij Prophetarũ qui erant in Iericho è contra dixerũt, requieuit spiritus Eliæ super Elisæum. 4. Reg. 2. vers. 14. 15.

At quem in scopulum, succlamabit aliquis, rudiores impegimus? Cur conscensoriam Yuonis scalam vel memorare, quæ pridem aduersus nos in prouerbium exiit & fabulam, imò in fabulam & in improperium? Quis enim non ex obscuris vulgi quisquiliis Yuonem cantat in cœlos euectum, post se traxisse scalam suam? O mira admodum & canentis simplicitas & succlamantis stupiditas! Non anilis hæc fabula est, sed veritas summa & æterna, nec ideò minus securi portum tenemus. Quid? Nescimus scalas queis cœlum conscenditur, virtutes esse *f* & bona opera, his siquidem certa cuiusque vocatio *g* efficitur, & quæ desunt passionum Christi in vnoquoque adimplentur *h*? An non sine operibus mortua *i*, fides, vana oratio, spes facta præsumptio? Facite, Agite, prima post Ioannem vox est Christi, & post Christum *l* Apostoli, ita vt quisquis ex fide est, audacter pronuntiet, NEQVE COGITATA, NEQVE DICTA, NEQVE SCRIPTA QVICQVAM PROSVNT NISI ACCEDANT ET FACTA. *m* Iam ergo scala Yuonis bona opera eius. At numquid iterum ex fide est, Opera illorum sequuntur illos? Suam traxit scalam, non ambigimus, nec inde aduersus nos improperium exurgit vllum, nisi vecordes adeo fuerimus, vt propriam fabricare immemores, non assequamur operum sanctificatione, quem subsequimur sæculorum ordine.

Deuter. 28. v. 37 Tob. 3. vers. 4.

f Fructus autẽ Spiritus est charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia, sanctificatio animæ & corporis, cordis afflictatio & contritio; eleemosyna, injuriarum obliuio: humanitas, vigiliæ sincera, de omnibus præcedentibus peccatis pœnitentia, compunctionis lachrymæ, luctus tum pro suis aliorumque peccatis, aliaque eiusdem generis. Quæ quidem tamquam gradus & scalæ inter se cohærentes, atque aliæ ab aliis suffultæ animum in cœlum subuehunt: En hæc quæ post Baptismum ampl ctiiubemur. *Ioan. Damascen. in vita Barlaam & Iosaphat: cap. 11. extat in vitis Patrum. lib. 1.* De vitiis nostris nobis scalam facimus si vitia ipsa calcamus. *Aug. sermo. 3. de Ascensio. quæ est 176. de tempore*

g Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. *2. Pet. 1. v. 10.*

h Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea. *Ad Coloss. 1. vers. 24.*

i Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est. *Episto. Iacob. cap 3. vers. vlt.*

l Scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur. *Epist. Iacob. cap. 1. vers. 3.*

m Amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos. *Apocalyps. 14. vers. 13.*

CAPVT XL.

Senatoriæ Aduocationes.

MOrs iusti, benedictio quem dilexit superstitis, charitate in patria cœlesti nequaquam extinctâ, sed potius auctâ; sublatis ergo è fori nostri limitibus Guidone & Yuone augustior togatæ militiæ cessit campus & patuit, quasi sortem illam in qua palmam gloriæ quamplurimis frondibus exornâssent, splendidiore impetrâssent solio decorari: Et sanè dum quæ mox Aduocationi

claritas affulsit recogito, audire mihi videor vtrumque illum exercitij nostri Athletam positum in extremis hæc aut similia spiritu dicere Prophetico: Amodò lætabitur *a* quæ hactenus deserta penè & inuia iacuit Regiis etiam in vrbibus Aduocationis palæstra; exultabit solitudo illa in frequentiorem conuersa cœtum, & tamdem quasi lilium florebit, liliatis scilicet honorata cancellis & sedibus liliatas inter ordinis amplissimi dignitates.

Et euentus quidem id probauit, nam *b* circa id temporis duplex Senatus fixas cæpit habere stationes, alter Parisiis, alter Rothomagi; quæque solis antea Regibus cesserat *c* Lutetiana Basilica, forensi demum patuit disciplinæ dum facta est Tribunal æquitatis, Sedes ciuilis sapientiæ, Thronus supremæ iustitiæ. O quis nobis ad hæc sermo! Lætare forum hactenus obscurum, infrequens, & humile: lætare, inquam; Augustus ille Senatus priscæ tuæ hortator virtutis, vindex ingenuitatis, libertatis assertor, disciplinæ moderator, Regium non soli sibi Palatium occupat, sed etiam tibi, vt in quo populis iudiciorum fundat oracula, gloriosas edere possis Patronatus actiones.

His autem in Senatoriis assurgens Aduocatio sedibus, clarius & accipere & fundere visa est lumen; cùm enim concupiuit Rex decorem ipsius, manuque admota *d* curauit efficere, vt tota pulchra inueniretur absque vlla prorsus ruga & macula; num lumen eius aduenisse constitit, regalemque prouidentiam, non secus ac gloriam domini, super ipsius exortam institutum? Cùm verò Senatoriis *e* paulò post fota curis, & strenua miseris exhibuit patrocinia; & iusta ignaris suggessit consilia; statosque ipsis etiam Regibus *f* Causi-

a Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. *Isa. 35. vers. 1.*

b Stabilitum Parisiis Senatũ seu Parlamentum nonnulli autumant ann. 1286. Philippo pulchro regnãte: alij nonnisi sub eius successore & filio Ludouico Hutino anno 1314.

c Pulcherrimũ erat magnificã exædificare Basilicam in insula Regiæ vrbis, vbi iudicia sine prouocatione fierent, ac velut è sinu Regis iura peterentur, idemque & Regum domiciliũ & iustitiæ tribunal foret, quod nulla dum præcipuæ dignationis vrbs delecta attributa-ue iuridicis Conuentibus fuerat, forumque longo interdum annorum interuallo in paucos admodum dies Iudicum, aliàs alibi agebatur, raris initio controuersiis, quod ciuitates suæ quæque præfecturæ iudiciis domesticis contentæ, turpe ducebant longinquum summumque auxilium appellatione implorare. Paulatim gliscente calumniâ, multitudineque caussarum increscente, primùm quotannis semel idque in paucos dies, postea & semel & iterum, sed alio quam proximè semper loco iurisdictio exercebatur; tamdem è re Franciæ vniuersæ visum, certas sedes summis iudiciis dari, easque & in Regia vrbe & ad ipsam Regiam; igitur atrium Philippo pulchro Rege magnificentissimè extructum adjectis conclauibus & aliis ædium partibus vbi frequenti Concilio decuriæ Iudicum postea cogi captæ. Guaguinus recentissimus rerum Francicarum Scriptor refert Hutino Philippi pulchri Regis filio primum institutum, vt quæ vaga fuerat antea iurisdictio, in Regia vrbe certis sedibus consisteret, ne litigatores peregrè semper ac incerti vexarentur; tamdem perparuo loci interuallo & prope veterem sancti Regis Regiam fisci quoque tabulario ac authoribus summarum locus attributus. Normani domi iura petere velle perseuerabant; Rothomagi quod ea sit vrbs regionis princeps quotannis vere ineunte ac autumno sexies, septenis in singula ea anni tempora diebus forum agebatur, si per bella alias-ue occupationes liceret quæ sæpe numero vel verè accidebant vel fando prætexebantur: eum Conuentum iuridicum Scacarium pro statario vocitabant. *Paul. Æmyl. lib. 8.*

d Philip. VI. ordinat. an. 1344. Tenentes Parlamentum pati non debent ab Aduocatis, Procuratoribus, vel partibus verbis injuriosis vituperari. Carol. V. an. 1364. *Tous les Aduocats & Procureurs soient au Conseil pour Dieu & miserables personnes qui plaident aux Requestes.*

e Primum Curiæ de Aduocatis statutum, emissum est anno 1363. Carolo V. Rege. Extat in stylo Parlam. *Part. 3. ordinat. Regia. tit. 15. §. 1. 2. 3. & seqq.*

f On ne peut faillir de luy donner la qualité d'Aduocat du Roy, puis qu'il defendoit la cause du Roy: Car il n'y auoit point encore d'Office d'Aduocat du Roy; mais on prenoit pour la defence & remonstrance des droits & causes du Roy, l'vn des Aduocats generaux de la Cour, selon que l'occasion s'en presentoit, ainsi que nous voyons aux Registres du Parlement du 18. Feurier 1411. où il

est parlé d'vn Maistre Iean Perrier, Chanoine de Chartres, qui parla comme Aduocat du Roy. Loysel, Dialogue des Aduocats. Conference premiere.

dicos dedit & Patronos, num quæso de ea dici potuit; *ambulabunt populi in lumine tuo, & ipsi etiam Reges in splendore ortus tui?* g

Vlteriùs feror, imò illa ipsa progreditur: leua enim quisquis es in circuitu oculos tuos, & vide quot iam ad sublimis fori cancellos veniant filij etiam de longè *h*: Ascendunt è Prouinciis qui causas agant, non rabulæ, sed illustres, sed Equites, sed Doctores Theologiam professi, certissimi haud se dedecere apud illud agere tribunal quod Clericalis simul & laïca dignitas impleret. Adsunt *i* crucis omnes notati signo, tamquam peculiari palæstræ, quàm decurrant, redimiti tesserâ, hosque inter, videre *l* est etiam Ecclesiarum Rectores, nec non Monachos, sublimi Doctoratus conspicuos laureâ, quos si quandoque audias sæculares appellari, nequaquam tamen, puto, moueberis, cùm vltima hæc nostra ætas ex Doctoris fœde nubentis indignata lasciuia, nonnisi deinceps Presbyteris gradum voluerit conferri Doctoratus. Sed quid dum Regem *m* Angliæ intueberis causas perorantem Lutetiæ? Iam vel in hoc nostra Aduocatio Romanam æquat, imò superat, cùm Cæsar & Titus nonnisi priuati foro dederint operam.

g Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum & gloria Domini super te orta est. *Isai. 60. vers. 1.* Et ambulabunt gentes in lumine tuo & Reges in splendore ortus tui. Leua in circuitu oculos tuos & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filij tui de longè venient. *Ibi. v. 4.*

h *Le droict écrit tant Ciuil que Canonique commençoit lors à prendre pied par la France, laquelle aussi consequemment commença lors à se peupler d'Aduocats, iusques là que les parties en amenoient ordinairement de leurs païs à Paris, par crainte de n'en trouuer pas de bien instruits & prests au Parlement, &c. Et est aussi à remarquer que la plus part des Aduocats, & gens de Loix de ce temps là prenoient volontiers d'autres qualitez que d'Aduocats, estant communement gens d'Eglise, personnages pourueus de dignitez & Benefices, &c. Mais pour retourner aux Aduocats de ce siecle là, il se trouuera que la plus part & les meilleurs d'iceux estoient, comme i'ay dit, personnes Ecclesiastiques, &c.* Loysel, Dialogue des Aduocats. Conference premiere.

i *Il se trouue dans vn Plaidoyé fait à la Cour, par Maistre Pierre Seguyer, lors Aduocat General du Roy au Parlement l'an 1554. qu'anciennement les Aduocats du Roy portoient tousiours la Croix blanche, parce qu'en toutes causes & matieres qui s'offrent & presentent contre le Roy par les priuez, ils font profession de soustenir & defendre les droits & authorité du Roy contre tous, mesmes contre leurs propres parens & amis; autrement les Aduocats des priuez portent communement la Croix rouge, dautant qu'en toutes causes & matieres concernans les droits du Roy; ils se presentent, soustiennent & defendent par tout contre les droits du Roy.* Miraumont, Parquet des Gens du Roy.

l *Le 8. Mars 1408. Maistre Iean Petit, dans la grande Salle de l'Hostel Royal de saint Paul, homme plus libre à parler qu'elegant en son discours, soustint l'assassin fait par le Duc de Bourgogne du Duc d'Orleans, son Theme fut,* radix malorum omnium cupiditas. *Vie de Charles VI. liu. 27. chap. 27.* Ioannes cognomine Paruus professione Minor, in cœtu procerum, Præside Rege causam Burgundionis egit. *Paul. Æmyl. lib. 10. Apres à vne autre iournée proposa Maistre Iean Petit, vn Docteur en Theologie, seculier, bien notable* Clerc. Des Vrsins. *L'an 1406. le 11. Septembre 1408. la Duchesse d'Orleans demanda Iustice & amena pour Orateur le Reuerend Abbé (de saint Denis) il deduisit tout au long le recit de cet horrible meurtre, &c.* Vie de Charles VI. liure 28. chap. 28. *En l'Histoire du Roy Loüis XI. il y a que le Roy de Portugal estant venu en France, en l'an 1476. & ayant assisté aux Plaidoyeries de la Grand' Chambre, M. François Halo, Aduocat & Archidiacre de Paris, plaida pour vn Regaliste, contre Maistre Pierre de Braban, aussi Aduocat & Curé de saint Eustache.* Loysel, Dialogue des Aduocats Conference premiere.

m Petrus Blesensis refert Richardum Angliæ Regem causas perorasse Lutetiæ. *Mornac. ad l. 6. §. apud vrbem Romam. Cod. de postulan.*

Philipp. de Co- At non deerunt, qui vel Cominæo teste forensem nobis expro-

brent spurcitiam. Verùm iam satis supra diluimus quæ solent è priuatorum vitiis ordini vniuerso imputari probra & tribui. Et sanè non remissiore viros gloriâ, Gallica etiam tulit Aduocatio quàm Romana & Attica. Recense, si potes, quot Purpuratos, quot Cancellarios, quot Infulatos dederit, tulerit, aluerit: Perplures adhuc hodie Senatorum ædes, auorum fulgent imaginibus, quos toga tenuit in principio tyrones, mox magistros, demum emeritos: nec vmquam (saltem speramus) obscurabitur Senatoriæ Aduocationis gloria, quam tanta maiorum virtus per flagitiosa etiam tempora conseruauit illibatam.

mineri liu. 6. chap. 6.

CAPVT XLI.

Aduocatus in causa duelli.

VLtimum quod tenuitati meæ, de prisci fori nostri exercitiis innotuit, duelli spectat ambages, cuius duplex à Scriptoribus memoratur institutio; & antiquior quidem à primæuis petitur Germanis, apud quos non iure, sed armis lites ambiguas definiri *a* mos inualuerat; recentior autem *b* Gundebaldo Burgundionum Regi tribuitur, qui promulgatâ etiam lege voluerat, non testium quotquot adessent iudicio, sed solo armorum fato si reus inficiaretur, disceptationes terminari. Dura lex, imò inhumana, vt pluribus Agobardus probat, quæ tamdem ipso humanitatis suggerente motu abrogata est. At altera, quomodocumque, vt putabatur, tolerabilior, diutiùs viguit: ita vt nedum *c* partes, sed & vtrinque testes *d* acciti quandocumque cogerentur dimicationis subire periculum, éque prælij euentu, testimonij veritas aut falsitas haberetur comprobata. Hinc in Capitularibus passim incurrit probationis illius mentio quæ campo vel cruce contendentibus Athletis perficiebatur, ita vt victi nedum iure controuerso caderent, sed dextræ etiam mutilatione plecterentur. Damnantibus autem hocce probationis genus Episcopis, Patribus, Conciliis, *e* tandem D.

a Solitæ armis decerni.

b Regnum à gente in gentẽ transfertur propter iniustitias, & iniurias & contumelias, & dolos, quia omnia plusquam in cæteris gentibus abundant inter Gundebados, apud quorum legem non licet discussione aut veraciũ testimonio causas terminare, eo quòd cui libuerit, armis comminari liceat, ne infirmior sua retinere aut reposcere audeat, tamquam veritas armis manifestari egeat. *Et paulò superius.* Propter legem quam dicunt Gundebadam, cuius author extitit homo hæreticus & fidei Catholicæ vehementer inimicus (cuius legis homines sunt perpauci) non possit super illum testificari alter etiam bonus Christianus; ex qua re oritur res valde absurda, vt si aliquis eorum in cœtum populi aut etiam in mercato publico commiserit aliquam prauitatem, non coarguatur testibus. *Agobardus ad Imperato. extat tom. 9. Biblioth. PP. editio. 1624. pag. 1217.*

c Si auctor venerit & rem intertiatam recipere renuerit, campo vel cruce contendant. 3. *Capitular.* 46.

d Quod si ambæ partes testium ita inter se dissenserint, vt nullatenus vna pars alteri cedere velit; eligantur duo ex ipsis, id est, ex vtraque parte vnus, qui cum scutis & fustibus in campo decertent, vtra pars falsitatem, vtra veritatem suo testimonio sequatur, & Campioni qui victus fuerit, propter periurium, quod ante pugnam commisit, dextera manus amputetur, cæteri verò eiusdem partis testes qui falsi apparuerunt, manus suas redimant. 4. *Capitular.* 23.

e Concil. Valenti 3. ann. 855. Cano. 12. Et quia ex huiusmodi iuramentorum imò periuriorum contentione, etiam vsque ad armorum certamina solet prorumpi, & crudelissimo spectaculo effunditur



DE ADVOCATO. LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

Infames ab Aduocatione summoueri.



ELATA nobis à Maioribus aperitur demùm hæreditas, fœlici prorſus nomine & omine, ſepoſitâ ſiquidem ratione natalium, opum, familiæ, ſanguinis, quiſquis per leges ſolidum capere poteſt, ſcriptus in tabulis reperitur, haud diſſimili ab Euangelici Codicis ſtimulo-ne, an titulo? QVI CAPERE POTEST, IS CAPIAT. Nil autem remiſſius à nobis expectare eſt quàm à quibuſcumque priſcis ſeu Romanis, ſeu Atticis; viriles enim ſolos Aduocatio noſtra ſpirat animos; ingenuos verò tanta cum plenitudine gerit, vt præ fœlicitate ſoli, & ſæculi ſeruiles nec ferat, nec videat, vixque quòd audiat; ſed & caſum vel cæcitatis, vel ſurditatis fruſtrà delibare eſt; nec enim minor eſt nobis quàm Romanis de veneratione Magiſtratuum ſollicitudo, imò Religio; itaque iam ad expungenda bina monſtra ferimur, quæ & infamia ſuſcitat, & ignorantia.

Matth. 20. v. 12.

At forſan auguſtior quantùm ad hoc, Ethnicæ Aduocationis quàm noſtræ conditio videbitur, vt quæ leges habuerit & edicta, quibus à ſuo cœtu ſegregarentur infames, & à quocumque cæno turpitudinis vindicaretur intacta. Verùm, exinde èconträ, ni aberrem, ſplendidior exurgit diſciplinæ noſtræ gloria; ſi enim è peccato lex, ideoque nulla iuſto poſita, vt qui viua ipſe lex cæteriſque legis norma, num auguſta prorſus Aduocatio noſtra euaſit, proprio nitore pura, candore munda, ſine lege, quia ſat ex ſe, à quo-

1. Timo. 1. v. 9.

libet infamiæ tuta accessu, secura halitu, tecta afflatu? Hic autem illi præcipuè debebatur honoris titulus: Christiana quippe, cælitus se nouit ortam, ab eaque diuina profectam sapientia cuius viæ, viæ pulchræ cuius thorus sine macula, cuius possessio gloria. Post hæc, ergo, iactet & efferat suas ære leges incisas Causidicina Gentilium; adducat & exaltet veneranda tabularum documenta & trophæa; silices proferat & lapides inuitâ sæculorum ingluuie fidissimos eloquij sibi crediti custodes, & in perpetuo disertos silentio; altiùs tamen se profert nostrorum Aduocatio temporum; non æra quippe, sed pectora; non marmora, sed viscera; non saxa, sed corda sibi delegit; in quibus non atramento, sed spiritu voluit exscribi quantùm abhorreret ab eo qui infami graditur viâ, sicque quotquot ingenuos haberet asseclas, viui quidam *a* libri, viuæque leges comperirentur; in quibus sciretur & legeretur ab omnibus, nusquam infames esse gressus eorum.

3. Prou. 17. Ibid. 37. Hier. 31. vers. 33. 2. Cor. 3. v. 3. 14. Prou. vers. 2. 2. Prou. vers. 15.

Nec nobis sanè deest, egregium tanta de re monumentum, imò trophæum; cui enim non nota est præfracta Mangotij *b* in Mosnerium anima *c*? Infœlix iste, quem Lutetiana ciuitas Propræfectum habuerat, proprio edoctus periculo, quia stultorum exaltatio ignominia est, post inustam sibi ob sordes nefandas, vltimam profligatissimæ vitæ infamiam, cancellos fori veritus attingere, ne vultus offenderet Iudicum, togam saltem putauerat sibi licitam, liberumque in prudentum cœtu fore locum. Nec recenti igitur Poyetij secessu motus & silentio, nec priscâ *d* Liciniani eruditus modestiâ, imò eâ tantùm fretus scientiâ quæ non ædificare valet, sed inflare, quemadmodum à iudiciali potestate pœnâ inflictâ didicerat, qualis pro tribunali sedere debuisset, sic & à togata integritate, rubore suffusus & dedecore, seriùs accepit, qualem toga desposceret & deceret. Ausus enim cum primoribus conuenire ordinis, de insigni controuerso negotio vnà cum illis deliberaturus, Mangotium, iuniorem equidem, sed maturo senem animo, expulsorem habuit & iudicem, éque ipsius ore, tamquam è sacro audiuit oraculo, NIL ADVOCATO CVM EXAVTHORATO; NIL CAVSIDICO CVM NOTATO; NIL IVRIDICINÆ CVM IGNOMINIA; NIL TOGÆ CVM INFAMIA. O pectus! quâcumque lege lapideâ augustius, æneâ sacratius, iamque in priuato negotio strenuos illos imò Re-

3. Prou. 35.

a Viui quidam libri viuæque leges effecti. *Chrysost. homil. 1. in Matth.*

b Iacobus Mãgotius tunc Patronus fisci, quẽ laudabit semper erudita posteritas; vitâ enim innocentissim⁹, ingenio florentissimus, proposito sanctissim⁹: tantis denique adornatus virtutibus, quantas perfecta & natura & industria mortalis conditionis recipit. *Mornac. ad l. 38. ff. de pactis.*

c Hoc vidit Lutetia per plures annos in Ioanne Mosnerio Propręfecto Parisiensi, quãdiu aduixit, postquam Senatusconsulto Parisiensi exauthoratus, exutusque omni suæ Præfecturæ Parisiensis munere, mulctatus est insuper gestatione tædæ ardentis, nudo capite & pedibus, detractâque omni veste vsque ad interulam atque etiam circumactione prominentis capitis ad numellam quæ in mediis mercium vænalium porticibus in modum turriculæ erecta est, ita vt numquam grauior infamiæ nota damnato inusta fuerit. Audiui propterea ex antiquioribus illustrissimæ famæ Patronis, cùm accitus ille aliquando fuisset cum Iacobo Mangotio viro clarissimo, præfractique animi Causidico, aliisque quibusdam primoribus Togatis, vt de insigni controuerso negotio responsum darent, surrexit Mangotius viso Mosnerio, inquiens sibi numquam fore cum infami ad responsa simul de Iure Gallico danda consortium. *Mornac. ad l. 7. ff. de recept. qui arbitr.*

d Audisti ne Valerium Licinianum in Sicilia profiteri? Nondum te puto audisse, est enim recens nuntius. Prætorius hic modo inter eloquentissimos causarum Actores habebatur; nunc eò decidit vt exul de Senatore, Rhetor de Oratore fieret, &c. Idem cum Græco pallio amictus intrasset, carent enim togæ iure quibus aquâ & igni interdictum est. *Plin. 4. Epistol. 11.*

gios voluens spiritus, quos in Senatorij patronatu fisci paulò *e* post emisit, toto Galliarum orbe stupente & gaudente. Quò non euasisset Catoniana illa grauitas, si vir iste in Deum pius & patriam, cuiusque an eruditio an facũdia maior esset iure dubitabatur, immaturè non excessisset sexto vixdum incœpto lustro? Sed vt redeamus ad propositum, quem his auditis putamus extitisse sensum Mosnerio? Gemens haud dubiè cessit & abiit, se necdum togæ dignum fassus exercitiis, quem infamiæ nota grauaret. Legem non petiit, decretum non poposcit, solâ, quam miratus est, integritate fori damnatus: Tu igitur, Candidate quisquis es, nil vltra poscas; serióque caueas, ne tuo periculo viua hactenus lex in pectore, scripta legatur in codice.

e Sed maximè omnium tristis, & non solùm amplissimo ordini, cuius magnum ornamẽtum erat, sed etiam cũctis Regni ordinibus, cuius bono natus videbatur, luctuosus Iacobi Mangoti Iulioduno in Pictonibus oriundi obitus fuit, qui verè in Deum & patriam pius, ad eximium Gallici nominis studium. Cùm Regij Fisci in Senatu Patronus esset generosos atque adeo Regios spiritus attulerat, profundâ eruditione an facundiâ maior incertum, ab omni ambitu & fuco alienus & supra omnem opum quas amplissimas possidebat, amorem positus. Nec erat in tanto viro tot raris ingenij dotibus à Deo cumulato, quod meritò desiderares nisi firmiorem valetudinem, quæ per se debilis assiduis pro salute ac Regni dignitate seriis cogitationibus ac studiis multùm debilitabatur eo minore sensu, quo maiore animo ad ea ferebatur; igitur cùm ex auxiliari exercitus aduentu spem concepisset, vt vel inuitis publicæ quietis perturbatoribus pax confici posset, vbi vidit Regem malè consultum tam malè occasione vti, ad infirmam valetudinem publico mœrore accedente, sub Autumnum in grauissimum morbum incidit, qui postremò illi lethalis fuit: & cùm tantum xxxvj. annos exegisset: vir longiore vitâ dignissimus patriæ ac suis immaturâ morte ac mihi quem ob studiorum & consiliorum coniunctionem diligebat semper deplorandâ ereptus est. *Thuan. Historiar. lib. 88. paulò post init. anno 1587.*

CAPVT II.

An illiteratis Aduocatio pateat?

Atque vtinam quæcumque alia forensis disciplinæ gloriam commendant, è solis adscriptorum ordini peti possent *a* moribus, deque illorum singulis dici & efferri; Vos litera *b* estis, manifestata & vera; non atramento scripta, sed spiritu, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus, quæ ab omnibus seu extraneis seu Collegis & scitur, & legitur. Verumtamen cùm impetitus nonnumquam fuerit Aduocationis honos, Senatum illa implorauit gloriæ suæ vindicem, priscæque integritati quâ floruerat, iudiciorum adiunxit se authoritas, ne quis amplius auderet de claritate ordinis vel contendere, vel ambigere. Id nostra hæc vltima ætas intuita est, dum supina inscitia litteratæ militiæ voluit inseri agminibus; quodque mirum, Patronos hoc monstrum vbique inuenit, qui paradoxi defensione susceptâ; illiteratos officia implere posse Aduocationis dum negarent, assererent.

a Oportuerat quidem nihil nos indigere auxilio litterarum, sed tam mũdam in omnibus exhibere vitam, vt librorum vice gratiâ Spiritus sancti vteremur. Et sicut atramento illi, ita corda nostra inscriberentur à spiritu. *Chrysost. Homil. 1. in Matth. in princip.*

b Epistola nostra vos estis scripta in cordibus nostris, quæ scitur & legitur ab omnibus hominibus: manifestata quod Epistola estis Christi ministrata à nobis & scripta non atramento, sed Spiritu Dei viui; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. 2. *Cor. 3. v. 2. & 3.*

Mos apud Andes pridem inualuit, vt iidem qui Aduocati, Cognitorum quoque valeant implere munia; Quidam igitur, solâ imbutus Formulariorum peritiâ, quam per quinque viginti annos propemodùm, à manu primùm publici libellionis, dein apud primarium in Andibus Tribunal Patroni didicerat, Aduocatum ambiuit agere, etsi ne rudi quidem & primâ Latinitate donatus; cùm autem propter supinam inscitiam, fœdam prorsus ab Andium Doctoribus, quos de cooptatione supplicârat, repulsam passus fuisset, indulgentiores nactus Pictonas, testimoniales ab iis codicillos emit, quibus instructus, Præsidialis Castriginterij sedis matriculæ dicto sacramento adscriptus est. Triennio in hacce quali quali Aduocatione impleto, maiores spirans animos, Lutetiam venit, Senatoriique Causidici seruatis de more solemnibus titulum adeptus, primarium in Andibus forum, quod summoperè ambierat, voluit frequentare; Intercedunt illiusce fori Togati omnes, expetuntque, vt antequam suo aggregetur Collegio, à primoribus, vt inueterati moris est, interrogetur. At Iudices, quibus is quomodocumque carus erat, à se solis interrogandum decernunt; dein exasperati quod appellasset Aduocatio Curiam, semotâ hacce prouocatione, acta elaborant, quibus notum faciunt, accitum à se intra secretiorem Basilicam tyronem, quamplures tùm iuris, tùm fori, tùm regiarum sanctionum propositas quæstiones, scitè omnino enodâsse; cúmque viginti & octo Iudices hisce subscripsissent actis, eâdem statuunt sessione, in proximo consessu publico Aduocatorum illum consortio aggregandum. Rumor præ nouitate rei per vrbem sparsus, incogitantes etiam adesse mouit spectaculo, tantaque omnis generis plebs ad Basilicam confluxit, vt cùm inter Aduocatos sedere iussus est Neophytus, murmur cachinni sibili-ue adinstar tumultuatim emissum, haud potuerit præ numerosiore turba vlli cuiquam imputari. Propræfectus tamen id arte & dolo Aduocatorum fabricatum existimans, quinquaginta libris Turonensibus Syndicum; binos verò è cancellis secedentes, tribus vnumquemque mulctat & afficit: Qua de re singuli Curiam appellant.

Nemine autem mulctas iure inflictas asserente, haud fuit difficilis remissionis illarum impetratio; at quoad alia, lis in Senatu creuit; Flexæa quippe Aduocatio, nec non Cænomana, partibus Andegauæ accesserunt, veritæ, ne si illi, & sibi quoque incumberet, supinâ, ne asininâ dicam, ignorantiâ deturpari; summatimque, vt moris est, delibato in Triumuirorum exhedra negotio, publicæ actionis diem expectabamus auidi, qui tamen ob cæptam, vt puto, longioris moræ controuersiam, nonnisi alterâ hebdomadâ cessit & datus est. Interim, ego, rei nondum explicatæ vix certus, viro, quem sola Togatorum inuidia lacessere dicebatur, congressus sum, nec non Arrestum, de quo Corbinus, suggessi: at extemplo ille disparitatem omnimodam mihi retulit, sinceroque fassus est pectore, ne Latinam quidem vnam callere se capere-ue dictionem.

Et sa: è qui illum postea, causa suo marte currente, tutatus est, eò controuersiam adegit, vt probatum semel ab ordine c, reprobari

c L. 9. ff. de negot. gest. vbi

non posse contenderet : Causatus quippe, Codicillos à magistris impetratos, quibus credendum ; diuturnam in Castrigunterij Præfectura absque vlla opinionis labe impletam Aduocationem ; sacramentum dictum in Curia, confectamque de more matriculam, contra cuius decretum nemo supplicaret ; Recens ac plus æquo sub triginta penè iudicibus peritiæ periculum ; Sæpius de eiusdem hominis admisso quæri vetitum in iure ; vniusque Medici *d* exceptionem, sat quid de Professoribus aliis æstimandum esset inculcâsse ; vnde & Senatum *e* probatos semel Aduocatos numquam iterato commisisse periculo.

Contrà tamen adducebatur vtilitas publica, quæ sicut in Medicis, sic & in Oratoribus & Grammaticis, *f* (quid ni Causidicis?) probationem repeti deposcebat ; fraus versuta illiterati, cui nusquam deberet prodesse dolus ; In Aduocatione Prouinciali latuisse potius quàm meruisse ; tamdemque ipsius Decreto *g* Curiæ inscius ille Togatus à quolibet Aduocationis officio abstinere iussus est, solâ illi Cognitoris functione permissâ, ita vt non perperam de ipso tamquam altero Marsya *h* dici potuerit : IN POENAM CECINIT ET CECIDIT.

vulg. Doctor. l. 6. §. 4. fin. ff. nautæ, caupon.

d L. 11. §. 5. ff. de munerib.

e *Arrests du 25. Ianuier 1610. dans Corbin, chap. 50. 3. Decembre 1637. pour vn nommé Iauernac, contre la Communauté des Aduocats du Siege du Dorat, & 18. Ianuier 1643.*

f L. 2. Cod. de Professorib. & Medic. latuit in dignitate. l. 3. ff. de off. Prætor.

g *Arrest du Mardy matin 14. Mars 1645. plaidans Hilaire pour la Communauté des Aduocats d'Angers, appellans comme d'abus, de l'octroy des Licences au nommé Robert Puisset, par les Docteurs de l'Vniuersité de Poictiers : Pucelle pour le Syndic, & les deux particuliers mulctez d'amande ; Rideo pour les Aduocats de la Fleche ; Richer pour les Aduocats du Mans interuenans, Chenuot pour ledit Puisset inthimé, conformement aux Conclusions de feu Monsieur l'Aduocat General Talon : Monsieur le premier President Molé prononçant.*

h Ita Marsyas in pœnam cecinit & cecidit. *Apulei. lib. 1. Florido. vers. med.*

CAPVT III.

Probrosa & nociua in quouis Aduocato supina inscitia.

AT quas Senatui grates cuiuscumque Aduocationis debitura sint Collegia, ob decretum illud vniuerso ordini gloriosum æquè ac necessarium, facilè cognoscet, qui & summum in quod fori splendor deuenerat periculum, & strenuum prouidentissimæ Curiæ de illo ipso arcendo studium obseruârit. Ignarus prodibat, redemptitio equidem Aduocati laruatus titulo, sed in Prouinciali tantùm, non in Senatorio, militaturus puluere ; Cognitor simul & Causidicus ; cæteroquin probatus à schola ; meritus in Præfectura ; Senatui ostentatus ; Magistratui acceptus ; inscius, fateor, sed non ignotus, imò vel ex hoc plus satis notus, nec futurus ideo cuiquam nociuus. Illiteratum autem Aduocationem implere posse contestatur glossa *a* ; quo ergo titulo huic deneganda, imò iam adepto, detrahenda?

Iterum ; si quâcumque ratione probabatur à Senatu ; litteratæ prorsus euacuabatur militiæ gloria ; ignarus quippe Decreto Curiæ in Aduocatione Præsidiali confirmatus, iam illiterato cuiuis ad in-

a Illiteratus potest habere peritiam & consuetudinem aduocandi, sicut etiam iudex in

dicandi. *Gloss. ad l. 1. §. 2. in verbo exponere. ff. de postulan.*

feriorum togam sedium viam sternebat; ad æqualium, locum parabat; ad supremarum, animos dabat; splendidaque inscitiæ capiti corona imponebatur Senatu ipso autore, probatore, laudatore. Vnde ergo fori nostri, Senatorij dico, stupor-ne, an otium, vt nullo modo intercederet, cùm tamen, ipsius etiam, tanti interesse nosceretur? Eius impetebatur gloria, nec repugnabat; lux offundebatur, nec reclamabat; claritas nutabat, nec se mouebat.

Et sanè quoad hoc vltimum, Talæo dicetur, & iure equidem, Senatoria Aduocatio nostra, sua credidisse iura; Talæo, inquam, profundæ eruditionis fonti purissimo, in quo non vnum dumtaxat, sed plures & egregios habuerat semper fori claritudo defensores, cuiusque vel ipsum nomen supinæ ignorantiæ nonnisi fatalissimum esse poterat; de sacro autem Curiæ arcano, sublimius quid moueor conjicere quàm quod è cancellis tunc eruperit.

Cogitauit etenim, ni fallor, ordo prouidentissimus simul & amplissimus propriæ suæ celsitudinis eminentiam, traduceque Majestate & gloriâ priscum in se manere corpus, cui splendidior disciplinæ fori claritas deberetur; pectus suum nouit Augustales seruans animos, eamdem scilicet de togata militia gerens sollicitudinem, quam tot Augusti, tot Principes dignati fuissent insumere, susceptamque implens prouidentiam, non minore quàm illi solertiâ, non inferiore gloriâ, non remissiore potentiâ. Dignum-ne igitur, suæ iudicasset ętati vel agere, vel fingere, quod prisca & proxima damnasset ætas? Interroga, quisquis es, patrem tuum & dicet tibi, Maiores tuos & annuntiabunt tibi, Aduocationem ex promiscuo olim amicitiæ officio ad peculiare tamdem fori translatam institutum, nonnisi exinde palmis quas litteræ protulissent viruisse: Augustalibus non patuisse libertis nisi litterarum eruditis notitiâ; Togatorum non cessisse liberis, ni iurato etiam Doctorum testimonio legum instructis, peritiâ comprobatis; Iuratosque posthac Causidicos, quinquennali antequam fori limen subirent agone literario contendisse. Addent insuper Academias iuris in Galliis institutas: Testimoniales ab illis assumi Codicillos; nec nisi iis instructos togam vsurpare posse. Quid? Latêre-ne possunt & sacræ Principum iussiones, & seuera Curiæ Decreta? Num *b* vel Turonis quemquam ad Patronatum admitti vetitum est, ni testimoniales adeptum litteras? Num & ad alias sedes postulante Ryantio *c*, iubente Senatu extensum scitum est? Num prohibitum gradus conferri in Academiis *d* nisi per statuta emeritis tempora? Num denique Codicillos dari nisi probatis *e* & subscribentibus recenti Decreto Curia vetuit? Quorsum autem tot curæ, tot prouidentiæ, ni vt supina à foro ignorantia arceretur? At nunc, in vanum ista hæc? Inscitia de Augustali sollicitudine, de principali regimine, de Senatoria lege, dum de scientia, triumphabit, non alio authore quàm Senatu ipso, conflabiturque in suprema etiam Curia Aduocatus, titulo non officio, nomine non munere, famâ non operâ, gradu non actu, qui veraciter dici queat, ET SVM, *f* ET NON SVM, maiori-ne incertum Causidicinæ opprobrio, an Philosophiæ ludi-

Deuter. 32. v. 7. l. 2. Cod. de postulan. L. 11. §. 1 Cod. de Aduoc. diuers. iudicio. Constit. ad Antecesso. §. 1. fine.

b *Aucun ne sera receu à estre Aduocat audit Siege, s'il ne fait le Serment en Iugemẽt & qu'il ne soit Licẽtié ou Bachelier en Vniuersité fameuse.* François I. à S. Iean d'Angely pour le siege de Tours art. 18.

c *Arrest du* 1. *Octobre* 1555. *rẽdu sur les Conclusions de Monsieur l'Aduocat General Ryant dans* Papon Liu. 6 tit. 2. Arrest 9. fine. tit. 4. arr. 1.

d *Ordonnance de Blois*, art. 85.

e *Arrest du* 7. *Septembre* 1661. V. infra cap. 6.

f Impossibile est idem simul esse & non esse. *Axiom. Philos.*

brio? Apage, glossator *g* fallax: quam adducis, claudicat parilitas; illiteratos agnoscit etiam Gallia Magistratus, sed Aduocatos respuit nec nostrorum claritas temporum patitur vt rudis inscitiæ pannus, veteri fori nostri, quâ sicut vestimento amictum est, gloriæ consuatur.

g V. sup. litt. a

Matth. 9. v. 16.

At, vt suprà dictum est, in Prouinciali tantùm egisset puluere. O versutia ne Prouinciali quidem condonanda viro! Quid ergo? Diuisus est Aduocati titulus? At des, quæso, quis tulerit iniquæ illius legem diuisionis, & è retro, si vales, temporibus erue, profer, exhibe; quinimò, imperialem de Prouinciali toga Sanctionem inuenies, quâ ruralis etiam fori commendatur eruditio: & meritò equidem, tenues enim homines & ignaros numquid profligare est, si imperito credas, inscio tradas? Vbi magis opus Medico quàm inter languidos, oculato quàm inter cæcos, duce tuto, quàm inter deuios? Esto, non tanta in Prouinciis requiratur facundia, quanta in Senatu; at eruditio forsan non minor deposcitur, difficultate plerumque litis non in quantitate rei, sed in qualitate facti positâ. Religio igitur fuit Senatui, Prouinciali etiam foro, ignarum adscribere Causidicum; quid enim aliud fuisset quàm cæcis cæcum præficere, sepulchrum putidum dealbare, sal infatuatum apponere, panem petentibus porrigere scorpionem, & non lucem in populis, sed in multorum ruinam pharum deceptricem & naufragam accendere? Apage, post hæc, è rurali etiam foro supina inscitia: haud te decet Aduocati titulus, ne lapis euadas offensionis & scandali, ruina-ue fias & laqueus habitantibus in pace, degentibus in lite.

Isai. 8. vers. 14.

Verùm, cui nociuus ille fuisset, supinâ suâ ignorantiâ nemini non notus? Addere deberes; & Senatu ipso proclamatore; vt iam inuerso rationis ordine, aut ex ipsius Apuleij commento, inscitia de scientia triumpharet, solique virtuti debitos suffurata honorum fructus, monstrari digito gestiret & dicier, HÆC EST. Sed ô stupor & socordia! qui latentem insectamur ignorantiam, patentem ne coronaremus? Ergo ipsa inscitia nequidem in occulto tuta, suâ demum fiet manifestatione salua, ostensione secura, pudoreque amoto imò calcato, qui gemit ignarus in abdito, exultabit in publico? Facessat etiam post hæc Apuleij commentum; nobis non deerunt haud ficti, sed veri, qui ad verbum, QVIRITES, loquelâ deficiant; haud infœlices equidem, si rosato quandocumque deuorato ferculo in alios quirent Apuleios inuerti.

Instari poterat, Cognitoris & Patroni conglutinata esse munia; Et id sanè Prouinciales fascinauerat Magistratus; at sagax mens Curiæ æquo prorsus iudicio lucem diuisit à tenebris: cùm enim Aduocati eruditio veluti lux quædam, obscurioribus debeat Cognitoris affulgere non offici muneribus, quid æquius statuisset Ordo amplissimus, de stupendo illo Cognitore-Causidico? En vel ipso teste lux eius non vera est; nec enim in tenebris lucere potest, sed sicut tenebræ eius, ita & lumen eius. Re ipsâ, Cognitorem pete, è voce audies, è manu nosces; at si Aduocatum compellas & con-

ſulas, vanum prorſus nomen erit; æs nempe ſonans, cymbalum tinniens, nil aliud edens quàm ſonum & crepitum; omiſſo igitur quantæ illius eſſent tenebræ, cuius ipſa lux tenebræ erant, iſtas ab illa Curia ſecreuit, Cognitorem nempe ab Aduocato, Formularium à Patrono; detractoque quo fulgere ille intenderat Cauſidici ſplendore & titulo, Cognitor tantùm pronuntiatus eſt.

CAPVT IV.

Academias Iuris laïca eſſe Collegia.

IAm verò cætera quæ non mouêre Senatum nec nos detineant. Mittamus ergo triennalem illam blaterationem potius quàm Aduocationem; Quid ab eo præſcriptum eſt, ſi nihil poſſeſſum? Finxit ſanè, non egit Cauſidicum, impletoque tempore, ſimiali *a* conſtrictus fato non alter inuentus eſt. Sileamus item arreptitiam foro Curiæ aſſignationem; non adeo tenax eſt ordinis ſententia, vt Iſaceæ adinſtar, fallacibus agglutinata pelliculis reuerti nequeat aut repeti; ſed dum ſubeſt cauſa, reuocatur, nec vmquam de comperta veritate dolus triumphat: vnde nec aduerſus matriculam ſupplicatum eſt, nec ipſius decreto interceſſum, nec de expunctione iudicatum. Denique taceamus ternam propè Magiſtratuum decadem pro coronanda iuratam inſcitia: Quodcumque illi fabricare tentauerunt, magnum impetu, exitu vanum fuit, ita vt ſeu Pharaonis Conſiliariis dicas eos fuiſſe ſimiles, ſeu vinum illorum aquâ mixtum, aut argentum verſum in ſcoriam referas, tamdem ab euentu conſtiterit, legem eos conflâſſe irritandam, & ADVOCATIONIS IGNORASSE NATALES: EGREGIVM PRORSVS, SI NIHIL ALIVD EX IMPACTO DISRVPTOQVE NAVIGIO TABVLATVM: Quod itaque nobis exagitandum ſupereſt, è probatione Doctorum confectoque ab illis teſtimoniali inſtrumento exſurgit & naſcitur; ab eius ſiquidem conceſſione tamquam ex abuſu, Andegauenſis Prouocauerat Aduocatio.

a Simia ſemper ſimia. *Prouerb.*

Geneſ. 27.

In eo, ſanè, difficultas fuit, an nomine abuſus admitteretur appellatio? Hæc enim non promiſcuè vſurpatur, ſed dumtaxat cùm aut ſacer Magiſtratus de prophana, aut laïcus de re ſacra diſruptis propriæ cuiuſque poteſtatis aggeribus iudicat & dirimit. An ergo Academię iuris ſacra dicentur eſſe Collegia, vt ſi quid perperam egerint, tamquam ab abuſu ſit appellandum? Negauit doctiſſimus Talæus, laïcaque dumtaxat probauit eſſe Collegia, exemplo ab ipſamet Pariſienſi Academia petito, quam prophanum eſſe Collegium Curia non ſemel declarauit: Cùm enim diu & anxiè quæſitum fuiſſet quo in patronatu ſacro-ne an laïco cenſendę eſſent Paſtorales Eccleſiæ, quibus ſacerdotes nominare Academiæ eſt, iterum atque iterum iudicatum eſt in prophano eas eſſe. Vulgatiora ſunt hac de re placita, *b* quàm vt iis opuſculum replere neceſſe ſit: itaque de Curiæ ſententia, abuſum non interueniſſe in conceſſione

Furet. Traitté de l'abus liu. 3. chap. 1. nomb. 3.

b Arreſts des 5 Septembre 1573.

Codicillorum

Codicillorum pronuntiatum est; sed sanè, quantùm ad tribunal dumtaxat, vt iam nemini non patet; spreto siquidem de peritia ignari Doctorum testimonio, quid fuit aliud quàm probatum à Magistris reprobare; adscriptum expungere; admissum expellere?

& 12. Aoust 1586 dans Chopin lib. 3. de Domanio. tit. 27. num. 12. Seruin. Plaidoyer 21. de la derniere Edition in folio.

CAPVT V.

Cuilibet ex ordine liberam intercessionem ne indignus admittatur.

Libuit autem singula ista hæc minutatim exponere, vt quiuis, licet ferè cæcutiens, in ipso fori nostri limine, Syrenem *a* exalatam, Marsyamque alligatum de suo temerario gementes ausu conspicatus, venerari discat adyta, nec intra penetralia gressus conferre præsumat, si se nouerit aut infamem aut ignarum. Gaudeat sanè nostra hæc ætas & gestiat, inaudito anteà claritatis facinore intrusam foro expulisse inscitiam, reptitioque, vt credebatur, tutam ingressu, securam gradu, palam tamen deturbasse, publicitùs expulisse; grates quidem, vt diximus, Senatui habendæ sunt, sed nec Andensi deesse potest Aduocationi sua laus, cuius fortitudo vicinæ *b* plus satis reparauit mollitiem, vniuersæ verò gloriam sustinuit & prouexit; discant ab ea, Prouinciales etiam, ignaros à suo cœtu depellere, posteraque à nobis ætas, sicut & nostra à Majoribus, acceptam ordinis foueat claritatem.

a Syrenes aliquando Musas in certamen cātus prouocarūt, sed victis, alas Musę quasprius habuerāt euulserunt. *Spondan. ad lib. 12. Odyss.*

b Castriguntteriensis nempe.

Si autem ignaros expellere, etiam intrusos, quantò magis eos vel è limine arcere ius nobis est? Vidit & hoc nostra hæc ætas, monstra, vt diceres, sicut enixa sic & exosa; illorumque, incertum, an ortu notior, an cæde nobilior: litium *c* quippe Instigator quidam nomine Meuuius, sat imò nimiùm in Palatina notus Basilica, vt qui ex eorum humiliori cœtu quibus incumbit apud Cognitores causarum explorare cursum & vrgere, Aduocatum ambiuit fieri, eâ, saltem putabat, radiaturus togâ, ad quam vt audierat, liberrimus cuique patuerat accessus. Testimoniales igitur mercatus Codicillos, seu præsens ipse (qui summus Doctorum pudor,) seu interpositâ, (quod quàm facillimum est) personâ, vestes parat, haudquaquam sollicitus de ea quæ illas ornaret scientia, nouoque vix noscendus sub amictu, foro assignatur, vt moris est, ab inscio prorsus quinam esset Aduocato. Eo die autem, sic Deo volente, aderat quidam senior Patronus in illa sede quæ apud nos palmatis cedit. Hic Meuuium sub vsurpata licèt latentem veste intuitus, haudque se illum posse ab ausu temerario reuocare animaduertens, cùm iam sublatâ dexterâ emissurus esset Tyrocinij sacramentum, queri tamdem palam de ipsius maluit audacia, quàm ignauo pati silentio disciplinæ labem inferri. Senatum igitur de supina nebulonis inscitia admonuit: Quâ protinus, ipsis penè contestantibus ædibus & cancellis, patefactâ; Recumbere in nouissimo suo loco iussus est, qui honoratum inter Togatos occupare ambie-

c Hilaire plaidant pour la cōmunauté des Aduocats d'Angers le iour susdit 14. Mars 1645. rapporta, Qu'vn nommé de Meunes Sollicíteur de procez & fort connu dans le Palais, ayāt obtenu des licēces, & estant presēté au Barreau pour faire le serment, auoit esté rebuté, sur la plainte qu'vn ancien Aduocat se trouuant fortuitement au Bareau en auoit faite l'ayant rex

rat ; O vir sanè, quisquis is fuit, (nomen enim eius me latet,) inter insigniores fori nostri numerandus Heroas! Quem tulit antiquitas pari vigilantiâ de candore ordinis sollicitum, de splendore fori prouidum? Non Antesignanum togæ expetiuit: non fisci Regij Patronum exciuit: ipse strenuo fortis pectore vtriusque voluens animos monstrum elisit vbi retexit: tantique factum est à Senatu, viri testimonium, vt non solùm nebulo fœdè repulsus, sed & Academiæ vetitæ fuerint, nisi præsentibus, probatis, & subscribentibus testimonia conferre. Porrò non inferius ætati nostræ debebatur virtutis specimen, ne quos fori splendor fatigat, ista hæc à nobis in eius posita limine, quasi minus vera lacesseret inscriptio: Foris infamia, foris inscitia.

connu ; ce qui auoit donné lieu à l'Arrest interuenu en 1637. contre les Vniuersités, au suiet de l'abus qui se commettoit en l'octroy des Licences.

CAPVT VI.

Quæ doctrina Candidato necessaria?

VÆ tamdem igitur coronæ superbiæ: ebriis illis Ephraïm quibus non sat sua confusio, ni & in alterius vertatur iniuriam *a*: ab immodica ambitione sua tamquam à vino absorpti sunt, errauerunt in ebrietate sua, videntemque rati decipere, impegerunt in iudicium. Ne tamen dum fori nostri portam adstruimus, angustam potius quàm augustam putemus eam efficere, sincero disquiramus pectore cuinam illa pateat, eodem semper duce Senatu & authore, quem summum disciplinæ nostræ vindicem agnoscimus.

a Væ coronæ iniuriæ mercenariis Ephraim. *Isai. 28. in prin.* iuxta Septuag. Nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino, errauerunt in ebrietate, nescierunt videntem; ignorauerũt iudicium. *Ibid. vers. 7. in vulg. lection.*

Multa autem super ea re extiterunt amplissimi ordinis iudicia, ob varias ad eius delatas solium è diuersis sedibus quæstiones: vnicum tamen missis aliis referam, tum ne prolixior intricatior-ue nascatur è singulis narratio, tum verò maximè, quia in illo, si vllo alio, mens tota Curiæ prodiit & nota est. Adolescens igitur quidam testimonialibus instructus litteris; cùm Præfecturæ Compendiensis Aduocationi aggregari postulasset, sedisque illius intercessissent Causidici; quocumque demum titulo, (nec enim quæ pars appellâsset enarratur) lis in Senatum deducta est. Vertebatur autem in eo solo difficultas, quod ne litteras quidem à limine salutasse diceretur, ideoque prorsus indignus esse qui litteratæ militiæ aggregaretur ordinibus; facti igitur non iuris disceptatio, quam propterea Senatus ad Bretij solius tunc Aduocati Regij narrationem diremit *b*; is enim longioris moræ non passus quæstionem reddi quæ verbo vel vno absolui poterat, se iuuenem interrogasse contestatus est, eâque præditum inuenisse peritiâ, quæ per assiduas fori culta exercitationes, illustrem aliquando absolueret Causidicum: non omnimodam in ingressu deposcendam à Tyronibus scientiam, alioquin qua in re vincerentur iuniores à senioribus? Castra sectare, artes percurre, claustra ipsa ingredere, nil in primordio sui perfectum inuenies, sed ipsâ etiam naturâ docente & agente, spei, vt ita dicas *c*, præludium, rei delibat periculum, experimentoque rudi-

b C'est l'Arrest du 25. Ianuier 1610. rapporté par Corbin en ses Arrests chap. 50.

c Nec quicquã est omniũ quod

mentum viam facit; Cur ergo non idem in foro quod in bello? In litibus quod in artibus? In Cancellis quod in claustris? An inscij quid agerẽt Maiores nostri qui Forense tyrocinium & impleuerunt, & statuerunt? At vnquam-ne extra forum illud consinges? Da si potes locum illum togæ nostræ extraneum. Si verò non inuenias, cur amoueri censes, nondum quidem perfectos, sed qui vt perficiantur & aspirant & accedunt.

possit inprimordio sui perfici: Sed in omnibus fermè ante est spei rudimentũ quam rei experimẽtum. *Apul. lib. 1. Florid. sub princip.*

O dignum consummato viro iudicium, speique fotricem linguam non abactricem. Meminerat, sanè, se ipsum à minimis conscendisse ad maxima, nec vlli vmquam dignitatis culmen accessurum, si à primo liminis appulsu deturbetur: Eia ergo, animam admoue, non perfectam quidem, sed saltem quæ perfici queat & absolui, iis scilicet institutam rudimentis, quibus præuiis & mediis consummatio exurgit & tenetur: Senatum authorem habes & susceptorem, qui iuuenem illum benigno tutatus est iudicio. Nota tamen Bretium vel ex tunc præsago penitus eructauisse pectore, illiteratum, si vmquam accederet, vtilitatis publicæ gratiâ remouendum.

CAPVT VII.

Studiorum tempus à Senatu definitum.

IAm tenes igitur quanti apud nos momenti sint Antecessorum testimonia, nilque amplius illorum Codicillis à Senatu dari, quàm Regiis quibus-ue diplomatibus, è prisca nempe *a* quæ viget adhuc formula, quæque nostro hoc æuo, iustitiâ & veritate sibi obuiantibus, promiscuè obtinuit. At cùm grauis inde querela exurgeret de Magistrorum sordibus, vtpote quorum præconisante auaritiâ muli doctorarentur & asini, probareturque cuiuslibet accedentis non peritia, sed pecunia; & econtra illi, interpositas personas, Codicillos redhibitos, nomina vsurpata causarentur & quererentur, adeo-ut sordes à se pellere, inque litteris munitos rejicere contenderent: è dignitate fuit Senatus vndecumque fraudes orirentur & sordes à cætu iudiciorum eliminare. Nulla autem ei via cautior visa est & tutior, quàm reprobatis *b* Academiarum haud publicarum testimoniis, studiorum insuper *c* aliquod definire tempus in publicis; ita vt nec à Magistris Discipulos, nec à Discipulis Magistros fas esset ignorari: Sicque nonnisi notis & probatis testimonia conferrentur. At mira prorsus æquitas prouidentiaque supremi ordinis, in illius temporis circumscribendo spatio; dum enim annale saltem, modo continuum, illud esse voluit; breuius improbauit, diutius tolerauit, longioresque à Iustiniano studiosis iuris impositas sub Antecessoribus moderata vigilias, respirare voluit fori cupidos à scholæ laboribus, vt citiùs togæ exercitiis manciparentur & incumberent.

a Ea formula est: si preces veritate nitantur.

b *Le Mardy matin 10. Avril 1646. fut ordonné que les Licẽces ne se prendroient qu'és Vniuersitez qui feroient exercice public: Et Monsieur le premier President Molé, dit aux Aduocats de la part de la Cour, qu'ils ne presentassent plus doresnauant de LicentieZ au Barreau, qui n'eussent pris leurs Licences esdites VniuersiteZ.*

c La Cour a ordonné & ordonne que les Arrests des 6. Feurier, 22. Aoust, & 27. Nouembre 1657.

seront executez, & ce faisant qu'aucun ne sera receu Licentié en droict ny Aduocat en ladite Cour, ny en aucun Siege du ressort d'icelle, qu'il n'ait estudié du moins vn an dans la Faculté où il sera Gradué, auant que de prendre ses Licences; Et seront tenus les Escoliers d'estudier pendant vne année entiere & continuë en Droict, & de s'inscrire de leur main en chaque Faculté de trois mois en trois mois, tant dans le Registre des Docteurs Regens de chaque Vniuersité que dans vne fueille & cahier separé, où ils écriront leur nom, surnom & Diocese, le temps & le nom des Professeurs, sous lesquels ils auront commencé & continuëront leurs Estudes, dont ils prendront vne attestation particuliere, signée des deux Docteurs Regens, sous lesquels ils auront estudié; lesquels registre & feüille, seront à la diligence desdits Docteurs signez & paraphez par les Substituts du Procureur general de chaque Ville où sont les Vniuersitez, à la fin des mois de Nouembre, Février & May de chaqu'année, & les feüilles de chaque quartier enuoyées par le Scribe de chaque Vniuersité audit Procureur general, quinzaine apres chacun desdits termes, & qu'elles auront esté paraphées par lesdits Substituts, & ne seront lesdits Licentiez receus au serment d'Aduocats, s'ils ne sont trouuez écrits dans les trois diuerses feüilles de laquelle seront emanées leurs lettres de Licence, desquelles ils feront apparoir audit Procureur general auec ladite Attestation d'estude, qui sera signée des deux Docteurs Regens, dont ils auront pris les Leçons, laquelle Attestation demeurera au Greffe de la Cour: A cet effet lesdits Docteurs Regens auront vn Registre relié & chiffré en toutes les pages, dans lequel d'vn costé sera faite ladite inscription par les Escoliers estudians, & dans l'autre costé du mesme Registre sera écrite la Reception au degré de Licence souscrite par lesdits Docteurs & Licenciez, & que conformement aux Arrests des 13. Aoust 1636. & 13. Avril 1641 la matricule d'vn Aduocat ne pourra estre deliurée par le Greffier, tant de ladite Cour que des autres Iurisdictions, esquelles lesdits Graduez entendent postuler, qu'au dos de leurs Lettres de Licence. Le tout à peine de nullité desdites Lettres & matricules, & de faux, mesme de restitution des Droicts perceus par lesdits Docteurs, Greffiers & leurs Commis & d'interdiction des Scribes de chaque Vniuersité & autres arbitraires, fait defences à tous Escoliers de porter des espées ny autres sortes d'armes, de s'assembler pour elire des Chefs de nation, ny d'exiger aucunes bien-venuës, à peine de punition corporelle. Fait en Parlement le 7. Septembre 1661. Signé, RADIGVES.

Quanta autem gratia de concesso residuo nobis facta fuerit, saeputo cognoscet, qui quadriennij remissi pensauerit molestias & ærumnas, nec tamen annale tempus arctiori reputabit circumscriptum termino, cùm è schola ad togam transitus fiat, non magisterij titulo sed Tyrocinij, solusque exercitiorum mutetur & modus & locus. At de his postea, vt cæptum de Curiæ prouidentia sermonem absoluamus.

Non satis enim illi fuit tempus circumscribere, at ne fraus aliqua vel à magistris fieret vel à discipulis, Codicem in vnaquaque asseruari iussit Academia, in eoque, trimestri quolibet, nec non in dissito libello, scholarium quemque propriâ scribere manu nomen, agnomen, diœcesim, quo-ue tempore, quibus-ue sub Antecessoribus palæstram decurrere inciperet, insisteret, desineret; tum Codicem & libellum trimestri eodem quolibet exacto à Regiis earum vrbium subscribi Procognitoribus, in quibus Academiæ institutæ sunt; exscriptaque omnia hæc quindecimo ab inde die ad ipsum Regium in Senatu mitti Procuratorem. Cætera minutatim in ipso Curiæ Decreto expressa iam omitto, vt verè Senatoriam de forensium eruditione mirer sollicitudinem, quâ nil augustius, nil vtilius, cùm è Togatorum vel peritia vel imperitia, haud modicum priuatis quibuslibet damnum accedat vel commodum. Haud rigida, dices, commendabit hoc decretum obseruantia. Verùm, quid inde? Senatus cauit & prouidit; caue tu de cætero ne dum prouidentiam illius elusisse putaueris, seueritatem probes, legem commendes.

CAPVT VIII.

Nostræ Aduocationis ingenuitas.

HActenus me dumtaxat prælusisse non eo inficias, decuit enim priusquam adyta Iuridicinæ penetraremus inquirere, quibusnam ingressus aut negaretur aut pateret, quo demum absoluto, iam limen subeundum est, si tamen nonnulla obseruatu dignissima, sedulo prorsus animo, imò summâ penitus veneratione attenderimus. Horum autem alterum est, ipsa nostræ Aduocationis Ingenuitas, non minore nostro hoc sæculo, quàm priore quo-uis integritate fulgescentis & claritate, quin etiam, saltem sic visa est, nonnihil plenioris assecutæ libertatis, ex quo ipsis-met Regni columnis; gemere sub tributo penè coactis, sola inconcussa perstiterit, venerationem etiam apud ipsos temeratores nacta. Hinc iam, vt opinor, sat quisquis es intelligis, vndenam illa petatur à nobis ingenuitas & commendetur; asseclas sanè haudquaquam intendimus, nouos vt plurimùm homines, plebeïos, obscuros, humiles. Gestit toga nostra Atticæ adinstar, suscipere quos imbuat, imbuere quos prodat, prodere quos euehat: cúmque, vt vidimus, diu non potuerit penes solos stare Patricios gloria patronatus, ita vt Romana plebs participato tamdem cum nobilibus honore & munere nituerit & fulserit; sic & fora nostratia plebeiis simul & claris hominibus peruia sunt, illustres sanè obscurioribus concessæ cunæ, vt vnaquæque ætas Heroas suos parere posset & gauderet. Non igitur, vt dixi, Togatos ipsos attendimus, dum togæ commendamus ingenuitatem, sed quòd sola sibi-met-ipsi relicta fuerit, permissaque primæuâ gaudere innocentiâ, inuitis nostrorum temporum sanguisugis, quarum sæuiente potentiâ totus Galliarum orbis se sibi venalem factum ingemiscens miratus est, nec Authore tamen alio quàm semet-ipso. Da, quæso, vel magistratum quem vel aurum non emerit, vel gratia non fecerit, vel Pauletta non pulsarit? Scorpiacum nouum tulit hæc ætas, plagę simul & medelæ mysterium, cui nil non venale fuit, vt è caduco perennitas nasceretur, semelque empta aut à patribus aut ab auis munia, amodò per partes & annos redempta, ad nepotes transirent & posteros. Legem autem non incusamus, absit; venerari nouimus Principes; sed inde nostra admiratio, quòd sola Aduocatio priuatorum, scorpionis ictus non senserit. Quid? Sanctior-ne ipsius quàm potestatum conditio; aut forsan, ideo-ne quia obscurior, seruata liberior? Sanè equidem, haud potest vllus ire inficias deteriorem quantùm ad hoc, Magistratuum conditionem ab ipsis ambientibus effectam & redditam; quis enim non nouit effrænes nostri sæculi de quibus-uis potestatibus vel obtinendis, vel retinendis cupedias? Exinanitus [a] ab ambitione honorum gradus non habuit quod præstaret, sed confingendi & conflandi fuere ti-

[a] Honorumq; exinanitus à te

tuli, quibus tamen necdum auiditati satisfactum est, ideas vixdum animo conceptas auro præsenti & plurimo deposcenti. Exulauit, fateor, ista hæc à foro nostro socordia, sed, addet aliquis, cur non eadem de Aduocatis, quæ saltem de Cognitoribus sanctio emersit? An non licuit statutos tantùm adscribi, hos verò vectigales fieri, vel si compacta quædam è prudentibus, Causidicis, Tyronibus testudo densa soluique inscia, suggestores deterruit: cùm in ea crate eadem prorsus pectora honoris plena, sordes exosa, libertatem spirantia vndequaque posita cognouissent? Et sanè, nec è tyrone Causidicus, nec è Causidico Consultus, momento turbinis potest fieri, non enim vt sedendi gradum, sic & pugnandi vires subitaria potest conferre pecunia; si ergo alter ab altero diuidi non nouit, nec qui-uis alterius implere partes, an non iusta satis fuit hæc ratio, vt immunitati suæ omnes relicti fuerint, nullâque prorsus labe pecuniariâ deminuti?

gradus non inuenit quod tibi præstet. *Zeno. Veron. Sermo. 1. de auaritia. extat Biblioth. Patr. tom. 2. editio. 1624.*

Verùm, vlteriùs ferimur; cùm enim non Senatorias dumtaxat, sed nec Prætorias, quodque amplius est, nec minimas in Prouinciis Aduocationes lues ista impetierit, tanta, haud dubiè, sacro Principis genio gratia referenda est, qui quod à retro sæculis audierat, futuris etiam post se testatum relinqui voluit, NON *b* PETI, SED PRÆSTARI, id est, non distrahi, sed permitti, non vænire, sed licere Aduocationis munia, idque litteratæ contemplatione militiæ, seruatâque studiorum reuerentiâ tam magno, tam necessario, tam sancto concedi officio. Hæc nostrę securitatis tabula, hoc nostræ immunitatis diploma, Regia in eo manus agnoscitur, nostrique ordinis illibata ingenuitas non inferioris dextræ quàm principalis & augustæ exurgit opus; præclarum sanè futuris quibuslibet sæculis quanti nostra ætas togatam fecerit militiam monumentum.

b Optimus Princeps Hadrianus cùm ab eo viri Prætorij peterēt vt sibi liceret respōdere; rescripsit eis: hoc non peti, sed præstari solere. *l. 2. §. vlt. ff. de orig. iur.*

Iam ergo, vt concludamus, si quidquid *c* aut emitur aut distrahitur, liberum non est, cùm illud sui non sit, sed præmij; quid à contrario magis esse potest ingenuum quàm omnis expers commercij professio? Cogita quas inter res id referri soleat, quod extra pretium est; hæc sors nos tenet, hic gradus noster est, hoc togæ præcipuum. Non dominatur *d* equidem, sed non seruit; non fulgescit imperio, sed nō vilescit obsequio: non fit sublimior, at nec remissior; quod præcellit in ea supremum non est, at alienum non est; legibus non imperat, at nec sibi famulatur; denique singulari beneficio Principis, non redemptitiâ superbit purpurâ; non transmissâ à Maioribus; non à Principibus impetratâ; sed primæuâ suâ nobilitate gaudet, SOLAQVE SVIS DEBET NATALIBVS QVOD INGENVA; LABORIBVS, QVOD CLARA.

c Quidquid aut emitur aut distrahitur, liberū non est. *Zeno Veronen. serm. 1. de auarit.*

d Hoc ipso perniciosior est ambitio, quod blanda quædam est conciliatricula dignitatū; & sæpe, quos vitia nulla deflectunt, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia subruere, facit ambitio criminosos; habet enim forensem gratiam, domesticum periculum: Et vt dominetur imperio aliis, prius seruit: curuatur obsequio vt honore donetur, & dum vult esse sublimior, fit remissior, cum in ipsa potestate, quod præcellit alienum fit, legibus enim imperat, sibi seruit. *Ambros. lib. 2. in Lucam cap. 4.*

CAPVT IX.

Quid Clericis in foro?

INgenuitati Aduocationis alterum accedit præcipuum, sacrâ scilicet æquè ac prophanâ nitere togâ, duasque veluti gentes in suo gestare vtero, non tamen ita collidentes inuicem vt matrem pigeat de conceptu; at econtra choros castrorum exhibentes, haud diuerso nempe sacramento adactas, signo adscriptas. Id vt iam vidimus, introduxere Maiores, quibus Aduocationis munia sacris initiatorum dignitati haudquaquam detrahere visa sunt; nos verò acceptam à Maioribus disciplinam competenti decore seruauimus, honoratâ Clericis permissâ togâ, viliore vetitâ. Quis enim nescit solemni Curiæ decreto prohibitum *a* ne alienarum litium procurationem gererent Clerici, neque prophanæ controuersiæ agerent Institores? Quis item non callet alterum Regij Patroni officium *b* ab vxoratis obiri nequiuisse, ni impetratâ à Principe veniâ, eo quòd Clericale sit è suo instituto? Res vulgatior est quàm probari exigat, quique arbitrarentur Clericos priuatorum Aduocatos haud posse agere; Senatus forum nequidem è limine salutâsse deprehenderentur.

Ne putes igitur occasione forsan è nostro sumptâ Mornacio *c*, id adeo peculiare Parisiensis Ecclesiæ extare Canonicis, vt cæteris non liceat; fatemur equidem rariores iam Presbyteros, à sæculo saltem, foro vacâsse, sicut & pridem antea, Senatui Præsules; at vtriusque rei illius haud altera occurrit ratio, nisi & Episcopos à Curia, & Sacerdotes à foro secessisse, cùm litium aucto supra modum numero, laïci tamdem eruditione clari & litteris, pares euasissent obeundis & iudiciorum & patronatuum muneribus; extunc enim tum Antistites, tum Sacerdotes laïcis renuntiare visi sunt; Non est æquum derelinquere nos verbum Dei, & ministrare controuersiis; sed eligite è vobis boni testimonij viros qui super hoc opus constituantur. *Act. 6. vers. 2.* Æmulati igitur illi meliora charismata, nullatenus sortem nostram quasi Clericali indignam respuerunt, quinimò, quoties charitas vrgeret; haud minus lubenter accederent quàm recesserunt.

At, dices forsan, quidquid studeamus adducere, nequaquam pari cum priscis contendere nos posse gloriâ, vt qui Nouatorum deturpemur consortio; Mornacius *d* sanè silentium sibi-met ipsi imposuisse videtur, istamque prudens detrectâsse materiam; at ego illam nullatenus nobis probrosam duco; iniquitas quippe ista hæc temporum, nobis geminatæ pietatis exercitium suggerit, vt qui nitorem vel ex spurcitia colligere edocti, personam amemus, sectam execremur, ne charitati desimus aut fidei.

a Exhinc celebri Senatuscõsulto prohibitũ est, ne Clerici alienarum litium procurationem gerãt, seque forenses præbeant prophanæ controuersiæ institores: postridie Idus Sextiles (id est, 14. Augusti) 1551 *Chop. de sacra polit. lib. 2. tit. 7. num. 27.*

b Miraumont du Parquet és années 1534. 1540. 1550. 1554.

c Iure autẽ singulari ac priuilegio postulant Ecclesiæ Parisiensis Canonici in Senatu, in quo propterea patroni ferè sẽper ex tãto Collegio in hunc diem visi sunt. *Mornac. ad l. 17. Co. de Episcop. & Cleric.*

d Mornacius nil prorsus notauit ad l. 15. Cod. de Episc. audient. quæ ponitur etiam vlt. Cod. de postulando.

CAPVT X.

Nostram Aduocationem Honoratis non officere.

VLtimum quod occurrit prænotandum, intima virtus est, quâ quælibet accedentis aut etiam ingressi dignitas illæsa seruatur & integra, non inscia equidem incrementi, at decrementi prorsus ignara. Vide quot atauo clari sanguine togam aut sumant, aut retineant immaculato genere, intemerato stemmate, indeminuto nomine. Non fuit satis de isto Iuridicinæ præcipuo Recuperatorum sententia; accessit ad temeratorum, pœnam-ne an monitum? Mulcta confirmantis eam Senatus *a*, & ne quis vlteriùs Togatam præsumeret lacessere claritatem quasi scutato vel equestri nociuam ordini, ipsa-met Armoricorum Prouincia, seu tota potius eius occasione Gallia didicit ab arcano Principis consilio, *b* nostram Aduocationem, Honoratis, seu, vt aiunt, Nobilibus non officere. Hoc autem generatim esse verum nemo iam ambigit, nec enim qui agunt apud inferiores Iudices Aduocati, natalibus, si Scutarij sunt vel Equestres, quicquam indignum exercere suprema Vectigalium Curia declarauit, *c* adeo-ut nec vllo hodie restitutorio Principis egeant auxilio.

a *Arrest du 1. Février 1545. confirmatif auec amande & despens de la Sentence des Requestes du Palais du 29. Septembre 1543. au profit de Maistre Anne de Terrieres, Escuyer Seigneur de Chappes : cōtre Monsieur de Longueil, President aux Enquestes, Seigneur de Maisons.* Rapporté par du Luc, liu. 5. chap. 1. art. 1 Papon liu. 5. tit. 11. Arrest 22.

b *Arrest du* Conseil *d'Estat, le 4. Mars 1547. en faueur des Nobles de Bretagne, qui faisoient la profession d'Aduocat mesme és Cours & Iurisdictions inferieures.* Pithou sur la Coust. de Troyes. art. 1. *in verbo,* Noble. Choppin, *de Priuileg. Rustico. lib. 3. part. 3. cap. 1. num. 4.* Bacquet traité des Francs-fiefs. chap. 10. nomb. 10. le datte du 4. Mars 1543.

c *Arrests de la Cour des Aydes des 2. Ianuier 1508. & 6. Iuillet 1525. par lesquels en entherinant les Lettres obtenuës par Aduocats nobles de Race, postulans és Sieges inferieurs, ils sont declarez ne deroger à noblesse; de sorte que lesdites Lettres n'estoient necessaires.* Bacquet des Francs-fiefs chap. 10. nomb. 10.

Iam ergo ex ista constat disciplina non minus in foro nostro quàm in Romano dici veraciter; Nequaquam illorum honori detrahi, qui standi necessitatem eligunt & contemnunt ius sedendi. At, dices haud dubiè, quis credet vllum per venalia quæ modò delibauimus tempora, ius sedendi respuisse ni marsupio vel parcentem vel carentem? Tu verò, quis quæso es, qui talia nobis aut suggeras aut exprobres, quo-ue potissimum vitio laboras, vel inscitiâ, vel inuidiâ? Si scis, at inuides; æqua te pœna manet ac culpa: Si verò inscius es; culpâ equidem vacas; at non pœnâ, in propria quippe domo lamia cæcutiens. Quo fato enim te fugere potuit Arnaldum illum *d*, non tam Marionio clarum socero, quàm partâ illustrem gloriâ, Consistorianam detrectasse Comitiuam, vt in

d Antoine Arnaud. *Il aima mieux demeurer au Palais en qualité d'Aduocat, que de prendre la Charge d'Aduocat general, de Monsieur Marion son beaupere, & vne place dans le Conseil du Roy, l'vne & l'autre luy ayant esté offertes.* Voyez la liste

liste des Aduocats de l'année 1599. audit nom; Antoine Arnaud dans les Opuscules de Loysel pag. 592. de l'Edition de 1656.

forensi puluere senesceret? Quomodo te latere Martillerium *e* Senatoriis, & socero & liberis ceu radiante cinctum coronâ, palmis quas legerat, in sanctiore Consilio Principis sedendi ius adjecisse, tanto tamen ornamento fori, vt delato sibi contentus titulo, inter Togatos stare maluerit quàm inter Comites assidere, sicque cùm strenuus Principum in Senatu Patronus fuisset, eorumdem in Consistorio socium agere humiliter aspernatus, post fata meruerit Patronorum Principem appellari? Quo pacto te nescire Gallandium *f* in sacrum licet Principis Consistorium adlectum, Togæ non detrectasse munia, sed in suscepto patronatu clarum, palmis obumbrari selegisse quàm liliis insidere? O fœlicem virum si saltem æquè sana fuisset ei de veritate fidei, ac de fori claritate sententia! Quo tamdem casu Magistrum *g*, seu vt quidam malunt Mæstræum ignorare, foro licèt & Consistorio simul adscriptum, Causidicinæ tamen vacasse soli, Comitiuâ si non spretâ, saltem relictâ? Agentem non noueris; stantem non obseruâris; orantem non audieris; at potuit-ne oculos tuos vel publica fugere pagella, quæ latentem licèt & obscurum nulli non prodidit, tantis sanè coruscantem luminibus, vt ex illius tenebris nemo lucem exortam inficias ire queat? Quis tibi igitur, post hæc sensus? Cæcutiisse intelligis, impegisse agnoscis, errasse fateris, veniam deprecaris? At licèt hoc satis, non tamen nobis, quos maior gloria nedum expectat, sed iam coronat.

e Pierre de la Martilliere. *Vn des plus celebres Aduocats du Parlement, & qui sur la fin de ses iours fut fait Cōseiller d'Estat demeurant tousjours au Palais dans la fonction d'Aduocat, &c. L'Epitaphe que fit l'Vniuersité de Paris, dont il auoit defēdu vigoureusemēt les droits en diuerses rencontres finit par ce Vers.* Princeps Patronorum & Patronus Principum. *En la liste susdite, pag. 606. 607.*

f Auguste Galland. *Outre les grands talens que cet homme docte auoit pour le Palais, il fut encore doüé de beaucoup d'adresse pour manier les affaires d'Estat, esquelles il fut employé par le Roy Loüis XIII. auprés des Rochelois, lors des dernieres guerres contre ceux de la Religion Pretenduë Reformée, dont il faisoit profession, & pour cela il fut fait Conseiller d'Estat, demeurant pourtant au Palais dans sa vocation d'Aduocat.* Ibid. pag. 610.

g Antoine le Maistre. *Ses Plaidoyers ont enfin esté imprimez.*

Contemnere etenim ius sedendi nondum quæsitum, nondum possessum, ea potuit antiquitas quam Principalis benignitas & Maiestas hortabatur: clarum itidem expletâ administratione reuertentem Causidicum, forum admittere debuit, toga suscipere, sed finito, vt notauimus, officio, exacto ministerio; hunc igitur dumtaxat binum honoris gradum Aduocatio Romana tenuit, sublimiorem non nouit; at nostra nonne splendidior, quæ non tantummodò speratum, sed quæsitum; non iam expletum, sed perpetuum ius sedendi, Principe non solùm non exhortante, sed nec cogitante, contemni vidit, imò deseri, vt in laboriosis militiæ suæ functionibus *g* & staretur, & certaretur? Quis non miratus est Bricquetium, adlecto in augustius Regni Secretarium socero suo, Senatoriâ relictâ sellâ, spretâ exhedrâ, in forensem descendisse palæstram, Regiique susceptis in Senatu Aduocati partibus, iis iudicibus adstitisse, quos inter plenus honore consederat? Vidimus in eo

g *I'ay apris que feu Monsieur Bignon Aduocat General, voyant que Monsieur le*

Cardinal de Richelieu vouloit le tirer du Parlemẽt & le mettre au Conseil d'Estat, tâcha de prendre pretexte sur la Charge qui sortiroit de sa famille : à quoy Monsieur le Cardinal ayant aucunement paré, luy proposant Monsieur Bricquet son gendre lors Conseiller en Parlement, personne tres-capable de remplir cette Charge: Il acquiesça enfin : prit place au Conseil, & Monsieur Bricquet exerça la Charge d'Aduocat General; deuenant neanmoins le dernier; car Monsieur Talon suiuant l'ordre monta au degré d'ancien : de sorte que quand ie vins au Barreau en 1643. Monsieur Bricquet estoit le second Aduocat general ; or son deceds estant arriué pendant les Vacations du Parlement de 1645. Monsieur Bignon reprit sa Charge à l'ouuerture du Parlement suiuant ; sçauoir à la saint Martin de la mesme année: mais il ne voulut iamais reprendre la place de premier, quoy qu'à luy instamment offerte par Monsieur Talon, lequel en la remonstrance qu'il nous fit comme ancien à ladite ouuerture, n'oublia pas de releuer la memoire de feu Monsieur Bricquet : Et dit entre autres choses, qu'il auoit glorieusement acheué son cours dans vn âge, auquel auparauant luy personne ne l'auoit commencé.

Mangotium alterum, animam verè Regiam sub onerosa tanti Patronatus mole ægrè trahentem, demum efflantem; eâ præcipuâ (post Talæum loquor) sorte conspicuum & dote, quod suum in ea ætate cursum implesset, in qua nulli antea contigisset incipere. Quot in illius occasu sideris micauere fulgores, nec in ortu, nec in vertice quamplurium radiare soliti?

Habuit & aliud occasus ille adeo fulgidus præcipuum, quod scilicet maiorem non offuderit lucem, sed excitarit, cui etiam veluti præfulsisse visus est, vt virtute nequidem notâ maioribus, nostra ditaretur ætas, anteactisque, quantùm ad hoc, sæculis superior, solam futuris relinqueret imitationem, vincere nimirum nata, vinci nescia; Bricquetij etenim socer illustris, nulli non notus virtute & nomine; Bignonius, inquam, sacro, vt dictum est, aggregatus Consilio Principis, extinctum immaturè generum, vacuumque simul in foro locum olim à se occupatum & videt, & dolet, & inuidet; sedere equidem sibi concessum cogitat in ipso Regis Consistorio, stare tamen iterum in Senatu Togatos inter suspirat & exoptat; Cuinam de palmato viro cedet victoria, potentatui an patronatui, Comitiuæ an Causidicinæ, Magistratui ad Aduocationi, Consistorio, an foro? Referat nostra hæc ætas & gestiat; audiat futura & stupeat; superius forum euadit, totoque conclamante Galliarum Imperio, Bignonij nil detrahitur honori, sed supra fidem ingeritur, dum standi necessitatem eligit, iure sedendi contempto. At nondum satis; eumdem quem in palæstra laborum habuerat socium, eruditissimum dico Talæum, gradu inuenit, vt moris est, primario, è discessu nempe senioris factum primanum; conflictus inde exoritur non ambitionis, sed humilitatis; summoque iure inter vtrumque contenditur de loco, non primo sed vltimo; & Talæus equidem adducere, sibi quondam præfulsisse Bignonium, cui Consistoriana delata dignitas nequaquam offuisset. Hic econtra, se dudum libentem & volentem loco cessisse, gradu excidisse, & ad obeundum munus, nouum prorsus hominem accedere non primanum; tantâque egit constantiâ, vt humilitate iudice superârit, & è standi necessitate selecta conspicuus, ex vltimo tamdem arrepto gradu, nulli secundus euaserit. O! virum sedere vel inter Principes dignissimum, cuius tamen splendori toga nil offuit, sed profuit; nil detraxit, sed ingessit; nil abstulit, sed contulit: In co-

que vel fabuloso clariorem Hercule, quod cunarum præludia, vrnam delibauerint, vrnæ verò spolia, cunas coronauerint, SVO NEMPE TAMDEM ET OBRVTVM TROPHÆO, ET SEPVLTVM TRIVMPHO.

En igitur, quisquis es, quod appositus ferebat titulus omnimodè impletum, ADVOCATIONEM SCILICET NOSTRAM HONORATIS NON OFFICERE; accede post hæc nil dubitans, quantâcumque claritate emineas; nil tibi detrahet patronatus; nil standi necessitas; stare equidem in foro laboriosum est, sed iampridem tot præuiis Heroïbus gloriosum.

CAPVT XI.

In forum deductio.

SEnatui vago quondam & obambulo, non alios quam Prouincialium sedium adstitisse Aduocatos vel inde conjicere est, quòd Regiam licèt Parisiis sortito Basilicam, litigatores adhuc è Prouinciis Causidicos adducerent, ne sibi deessent in Curia. Sensim tamen supremi fori illius claritudo tot tantosque ad se allexit, vt non iam Prouinciæ Senatui subministrârint Aduocatos, sed ipsæmet econtra, frequentiores ab eo acceperint: maximè cùm amplissimæ sedis illius matricula, quaslibet inferiorum eminentiâ includere, dignitate etiam præcedere nosceretur; hinc, prisca Aduocationum tempora, Senatoriæ *a* emergentes concluserunt, quarum amodò tyrocinia auspicabimur, seorsim tamen adjecturi si quid in inferioribus aliis-ue supremis etiam sedibus obseruetur, quod forensem disciplinam vel commendet, vel illustret.

a V. supra lib. 1. cap. 40.

Toga igitur sumenda est. Quo tamen animo? An diis vel præsentibus vel saltem accitis? At fugiat à nobis tristior de Christiano viro sententia, quem secius agentem, vel recens Ethnici *b* memoria, erudiret imò confunderet, quantò magis eruta è sacratioribus cuius-vis æui delubris & adytis togæ sanctitas & gloria? Prosequor, igitur, non institutorem agens, sed quem saltem non respuebant ipsi ad aras sacra facientes Gentilium Presbyteri, HOC AGE scilicet, tremulo succlamantem pectore.

b V. supra lib. 1. cap. 14.

Togâ sumptâ, forum petendum est; limen autem vt vidimus, frugi cuiuis patet & litterato: Attamen nullus debet irrumpere, sed induci solet vnusquisque & produci, pulcherrimum *c* enim Aduocationis adytum summâ etiamnum veneratione colitur, plusque satis adducta docuerunt nos exempla, dici non posse nostro hoc sæculo: *Refractis pudoris & reuerentiæ claustris, omnia nemini non patere*. Fœlicior insuper, quantum ad hoc, nostra videtur Aduocatio quàm Romana antiquior; non Consulares viros exquirimus, qui phaleratâ iuuenes deducant pompâ; non circuimus mare & aridam vt vnum faciamus Proselytum; ad manum est quod sat est; ipsi Palmati, ipsi Emeriti, ipsi Togati candidatos producunt &

c At herculè, ante memoriã meam (maiores natu ita solebant dicere) ne nobilissimis quidem adolescentibus locus erat, nisi aliquo Consulari producente tantâ

ostendunt; indignum arbitratis maioribus, alios tyronibus assignari patres quam ex ipso-met ordine, ne sibi-met forum deesse, alienoque indigere patrocinio nosceretur; pulchrum sanè, imò pulcherrimum institutum, ex eo siquidem præmonentur iuuenes venerari antiquos, totum quidquid sunt & erunt ad eos referre, nec alios expectare patres doctrinæ, quam quos habuerunt togæ. Sed & vicissim ipsi Palmati inuitantur diligere Tyrones, suum in illis opus agnoscere & perficere, nec alios forensis doctrinæ & gloriæ expectare heredes; denique totus ordo sacris quibusdam conglutinatur titulis & vinculis, dùm membra singula nil sibi minus inuicem debere sciunt & dicunt, quàm venerationem & amorem. Ne quæso igitur, vllus queratur de immenso Tyronum numero: forum non secus ac natura in nepotes gestit; & iam vtrique nil aliud videtur extare filius, quàm voto paterno superstes nomen; tradux persona; perpetuata memoria.

veneratione pulcherrimum opus colebatur. Nunc refractis pudoris & reuerentiæ claustris omnia patent omnibus, nec inducuntur, sed irrumpunt. *Plin. 2. Epist. 14.*

His autem ducibus & authoribus mox discant Tyrones cuius-nam iuris euasuri sint, publici nimirum non priuati: Triumuirorum ea de re aditur exhedra, vt eis testimoniales de peritia litteræ exhibeantur: tanto tamen vtrinque decore seruato, vt maiestatem-ne an benignitatem in Triumuiris; venerationem-ne an grauitatem in Patronis admirari debeas, incertus sis. Plena cæteroquin Patronis habetur de Codicillis fides, ita vt dum se illos dicunt vidisse, sit exhibuisse. Tamdem, consessu instaurato, reseratisque foribus intra cancellorum aream iuuenes se recipiunt, & quantum fieri potest, ad illud repagulum, è quo appellantes solent agere: tuncque Patroni, suo quique seruato gradu, ostendunt Curiæ quos postulent emisso tyrocinij sacramento, Aduocatorum consortio aggregari.

CAPVT XII.

Cur iuretur?

SAcramenti forensis primus, vt superiore libro visum est, Iustinianus [a] author fuit; vnde, quid miremur magis incertum est; aut per tot anteacta sæcula iniuratam perstitisse Aduocationem; aut post illa ipso-met iuratam demum euasisse; Collegia etenim, iuramento nondum adhibito, non remissiore tenebantur disciplina, & vnaquæque [b] sedes propriam tutata matriculam, nec vagos admittebat Causidicos, nec vltra statutum peregrinatos terminum retinebat. Attamen quia plurimùm sanctitatis togæ accedebat ex emissione sacramenti, vniuersi ferè populi, qui iuris & æqui amantiores inuenti sunt, iniuratam respuerunt Aduocationem, nostrique Maiores tanto illam execrati sunt odio, vt concepto vetustioris instituti capitulo [c], vetuerint vllum Patronatus obire munia ni sacramento adstrictum, albo adscriptum.

At, quæ sacramenti illius emittendi arcana ratio? An quia con-

[a] Vid. supra lib. 1. cap. 29.

[b] Vid. sup. lib. 1. cap. 28.

[c] Et est sciendũ quod nullus Aduocatus ad patrocinandũ se-

stitutus *d* ille semper viuens ad interpellandum pro nobis, nec sine iuramento promissus, factus, & datus est; Quinimò, *e* duplicato etiam, vt notat Apostolus, fidei titulo, tenacitatis vinculo, dum immobilitati consilij & promissi iusjurandum accessit? An, inquam, ea maiorum pia fuit sententia, vt adinstar diuinæ, terrena demum exurgeret Aduocatio, & ad eius quam promittit confirmationem operæ emitteret iuramentum? Pulcherrimum sanè, si ita est institutum, imò sanctissimum iam mysterium, vt quæ sunt sursum quærere & sapere incitati, stantem in cœlis intueamur Aduocatum *f* illum quem præcipuo titulo scriptura iustum appellat. Et talis *g* equidem decebat vt nobis esset iustus & innocens, quem iurisjurandi eructatus post legem sermo æternum & perfectum constituerat: nos verò sub lege carnis infirmitatem habentes, ad tenendam *h* propositam spem, sacramento velut anchorâ vtimur, donec ad interiora prouecti velaminis vbi præcursor ille nobis est, eam impleamus *i* quam tota cœlestis aula subire gestit Aduocationem.

cipietur, nisi sit iuratus & in rotulo nominũ Aduocatorũ scriptus, & prohibet Curia ne ipsi ingerant se ad patrocinandũ nisi sint iurati. *Styl. Parlam. part. 3. tit. 15. §. 2. fine. extat inter opera Molin. to. 2. & inter opuscula Loysellij edit. 1656. pag. 567.*

d Et quantum est, non sine iurejurando (alij quidem sine iurejurando sacerdotes facti sunt, hic autem cum iurejurando per eum qui dixit ad illum; Iurauit Dominus & non pœnitebit eum; tu es Sacerdos in æternum) in tantum melioris testamenti sponsor factus est Iesus. *Et paulò post.* Vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per semet-ipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis. *Hebraeor. 7. vers. 20. & seqq.*

e In quo abundantiùs volens Deus ostendere pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui interposuit iusjurandum, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus. *Hebraeor. 6. vers. 17.*

f Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum. 1. *Ioan. cap. 2. vers. 1.*

g Talis enim decebat vt nobis esset Pontifex: sanctus, innocens. *Et paulò post.* Lex enim constituit sacerdotes infirmitatem habentes, sermo autem iurisjurandi, qui post legem est, filium in æternum perfectum. *Hebraeor. 7. vers. 26. 28.*

h Qui confugimus ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis, vbi præcursor introiuit pro nobis. *Hebr. 6. vers. 18. & seqq.*

i Vide supra lib. 1. cap. 42.

Si verò sublimior ea tibi videtur instituti iuramenti ratio; num vel ista tibi probabitur, quòd publici muneris susceptorem, semetipso saltem fidejussore deceat adstringi? Si enim qui fidem exigit *l*, debet & fidem adstruere, quo meliore modo à Iudicibus & clientibus fidem Aduocatus exiget, quàm illam iisdem ipsis adstruendo? At prorsus honorificum vel inde nobis est iuramentum in ipso fori emissum limine, sponsio siquidem quò simplicior, eò illustriores facit & nanciscitur fidei debitores. Adstas, fili, sed iam solus; deductus es, fateor, productus, ostensus, sed post hæc tibi soli solus relictus es, te solum de te solo Præses alloquitur, teque solo sponsore & quasi iudice, publicæ fidei suscipis depositum. Quidni, tamen? Quid enim magis tuum est quàm tu? Si autem tibi de te non creditur, cui credetur? Sed id etiam suscepti muneris exigit ingenuitas. Polliceris itaque, & in te speratur; de futuro spondes, & quod nondum extat iam tamen tenetur; fides, vt diuina, sic & humana rerum sperandarum substantia fit, nondumque apparentium euadit argumentum; caue de cætero, ne perperam à te eua-

l Morale est omnibus hominibus vt qui fidem exigunt, fidem adstruant.

cuetur: Humana enim non secus ac diuina sine operibus mortua est: quapropter sic te habeas necesse est, vt è viuis operibus, viua illa & probetur & ostendatur.

CAPVT XIII.

Quid iuretur.

HOc age; sed aduerte sedulò num conglobato tibi adsint agmine *a* veritas, iudicium, & iustitia. Papæ! Exclamabis, nunc dumtaxat me monere! Numquid antea præscisse oportuisset? At nostri sanè, quæ culpa est? Præscire equidem debuisti, cur tamen ignorasti? Necdum, ergo scires, ni à nobis vel reprehensus vel monitus, tam flocci fit à te sicut & ferè ab omnibus iuramentum? Quid *b* iurabis autem nisi falsum, si veritas: Quid nisi incautum, si iudicium; Quid nisi iniquum si iustitia tibi defuerit? Et de hoc quidem vltimo nec nobis, nec tibi sollicitudo debet ingeri; Quid enim illicitum continere posset iusjurandum ad ipsiusmet iustitiæ ordinatum disciplinam? Ne igitur in aliorum pecces alterutro, debes quid iuraturus sis & sedulò attendere, & seriò intendere.

a Et iurabis. Viuit Dominus in veritate, & in iudicio & in iustitia. *Hierem. 4. vers. 2.* Animaduertendũ quod iusjurandũ hos habeat comites: veritatem, iudicium atque iustitiam, si ista defuerint, non erit iuramentũ, sed perjurium. *Hieronym. ibid. extat 22. quæst. 2. Canon. Animaduertendum.*

b Iuramentum non est bonum nisi ei qui benè vtitur iuramento: ad bonum autem vsum iuramenti duo requiruntur: Primò quidem quod aliquis non leuiter, sed ex necessaria causa, & discretè iuret; & quantùm ad hoc requiritur iudicium, scilicet discretionis ex parte iurantis: Secundò quantum ad id quod per iuramentum confirmatur, vt scilicet neque sit falsum; neque sit aliquid illicitum: Et quantùm ad hoc requiritur veritas, per quam aliquis confirmat quod verum est, & iustitia per quam confirmat quod licitum est: Iudicio autem caret iuramentum incautum; veritate autem iuramentum mendax; iustitiâ autem iuramentum iniquum siue illicitum. *D. Thom. 2. 2. qu. 89. art. 3.*

De sacramenti à Iustiniano instituti formula nonnihil superiore *c* libro attigimus; siue autem post dissipatum Romanum Imperium, ipsius se adstringi noluerint legibus qui suscitati sunt Principes: siue non minorem sibi esse in suo quemque Regno de fori disciplina prouidentiam ostendere voluerint, quàm Romanis fuisset Imperatoribus; sedulò ab iis cautum est de eo quod emitterent Aduocati sacramento. Sic Innocentius *d*, haud indignum Pontificiâ existimauit curâ formulam peculiarem iuramenti concipere, quo Ro-

c Vide supra lib. 1. cap. 19.

d In nomine Domini. Amen. Ego N. Aduocatus, iuro quod ab hac hora in antea, placita vel negotia Romanorum in quibus Aduocatus ero vel Patronus, Romanos malitiosè non impugnabo vel defendam, sed pro conscientia à Deo mihi præstita secundùm constitutiones & leges ac bonos mores ea tractabo; & postquam iustitia de iisdem causis à me cognita fuerit, si requisitus fuero, iudicibus patefaciam & eis in ipso iudicio assensum adhibebo; pretium exinde non accipiam, nec per me nec per interpositam personam suscipi permittam, & si susceptum fuerit, postquam sciuero infra 16. dies, illud reddi faciam, & patrocinium meum alicui habenti causam, si ab eo rogatus fuero malo studio non negabo, saluis beneficiis quæ habemus ab Ecclesiis vel aliis: & exceptis sententiis valentibus duodecim denarios quæ gratis & sine exactione nobis offeruntur. Hæc omnia obseruabo bonâ fide, sine fraude & malo ingenio; quamdiu Papa Innocentius vel successores sui censum centum libras valentem denariorum Papalium nobis Aduocatis & Iudicibus annis singulis soluere perseuerabunt. *Extat apud Baron. tom. 12. anno 1143. num. 16.*

manæ vrbis constituti Aduocati, fidem publicam adstruerent; sic apud Londinum *e* celebrata Synodus, quid iurarent Aduocati priuatorum disertis præscripsit verbis; Sic in Lugdunensi *f* Concilio Gregorius qua de re cauerent Aduocati sacramento interposito, piâ sollicitudine definiuit: Sic denique Maiores nostri sacrum adeo sanctumque forensis tyrocinij & officij credidere iuramentum, vt quibus de rebus adhiberetur, publicâ tabellâ prouiderint.

e Statuimus, vt qui Aduocati officium voluerit generaliter promereri apud diœcesanum cuius origine vel domicilio iurisdictionis extitit, præbeat iuramentum quod in causis quarum Patronus extiterit patrocinium fidele præstabit non ad differendam vel auferendam alterius parti iustitiam, sed ad causam clientuli legibus defendendo & rationibus. *Concil. Londinen. anno 1237. vers. fin. to. 7. Concilior. General.*

f Statuimus vt omnes & singuli Aduocationis officium in foro Ecclesiastico siue apud Sedem Apostolicam, siue alibi exercentes præstent tactis sacrosanctis Euangeliis iuramentum, quòd in omnibus causis Ecclesiasticis & aliis in eodem foro tractandis, quorum assumpserunt patrocinium vel assument, omni virtute suâ omnique ope id quod verum & iustum existimauerint, suis clientibus inferre procurent; nihil in hoc studij quod eis sit possibile relinquentes: quódque in quacumque parte iudicij eis innotuerit improbam fore causam quam in sua fide receperant, amplius non patrocinabuntur eidem, imò omnino ab ea recedent à communione illius se penitus separantes. *Gregor. X. in generali Concil. Lugdun. cap. 19. de postulando. Habitum est anno 1274. extat. tom. 7. Concil. general.*

Quia tamen prolixior esset iurisjurandi emissio, si conceptis verbis illa omnia nuncuparentur à iurantibus, placuit Aduocatos non secus ac Magistratus, breuissimâ adstringi formulâ quæ in leges, vulgò appellatur; ita vt totum his verbis paucissimis absoluatur iuramentum, interrogante nimirum Præside, IVRAS IN LEGES? Respondente verò Tyrone; IVRO.

Sed ne tibi vel iuraturo vel iurato suffundatur rubor, si forsan vel vnicâ de Aduocatis postulatâ lege, obmutesceres: Accipe quæ Maiores globatim aceruauerunt capita, donec tibi liceat per otium maximam eorum partem in Regum inuenire Sanctionibus. Sic autem se habent.

Ordinationes g Aduocatos & Consiliarios in Parlamento tangentes.

g Voy ces Ordon. Styl. Parl part. 3. tit. 15. §. 1. & 2. & encore entre les Opuscules de Loysel pag. 566. & 567. de l'Editiō de 1656. d'où ie les ay tirées: car audit Style elles sont vn peu autrement.

Aduocati istius Curiæ iurabunt articulos qui sequuntur: Videlicet;

Quòd diligenter & fideliter istud officium exercebunt.

Quòd causarum iniustarum patrocinium scienter non recipient.

Quòd etsi non ab initio, ex post facto tamen viderint causam esse iniustam, statim eam dimittent.

Quòd si in causis quas fouebunt viderint tangi Regem *h*, ipsi de hoc Curiam aduisabunt.

h Hodie in quibuslibet sedibus tam supremis quam inferioribus fiscus habet suos Aduocatos.

Quod causâ placitatâ & factis negatis, ipsi de recenti infra biduum vel triduum facient, & Curiæ tradent articulos suos, nisi ex causa de licentia Curiæ vlteriùs differrent.

Quòd impertinentes articulos scienter non facient.

Quòd consuetudines *i* quas veras esse non crediderint, non proponent, nec sustinebunt.

i Hodie consuetudines nostræ in scriptis extant.

Quòd causas quas suscipient, citò expedient pro posse suo.

Quòd in eis dilationes & subterfugia malitiosè non quærent.

Quòd pro salario suo, quantùmcumque sit magna causa, vltra triginta *l* libras Turonenses non recipient, nec etiam aliquid vltra in salarij maioris fraudem; minus tamen recipere possunt.

l *In Stylo Parlam.* Non triginta, sed decē dumtaxat: attamen neutra sūma iampridem spectata est, vt liquet è taxatis Marescalio ab ipso Senatu sexaginta libris Parisiensibus pro saluationibus quas confecerat. *Molin. ad Reg. de verisimili notitia, num. 53.*

Quòd pro mediocri minus; & pro minori causa multo minus recipient secundùm quantitatem causæ & conditiones personarum.

Item quòd non paciscentur de quota parte litis.

Hoc idem iuramentum præstabunt illi qui Aduocatis proponentibus vt Consiliarij assistent.

Religio fuit venerandam illorum temporum fucare canitiem, sermonis dico simplicitatem, in qua mira morum ingenuitas, ornatiori stylo reddere. Vtere, fruere, & aduerte priuatorum Aduocatos, qui perorarent vel consulerent, Generales nonnumquam appellari, eo quòd non vnius dumtaxat personæ, vt Regius Principis, sed quorumlibet promiscuè negotia susciperent & curarent.

CAPVT XVI.

Stando iuratur.

STas autem; & mirum sanè. Cur enim non supplex, non pronus, non flexo, vt aiunt, poplite, sed erectus in pedes & stans sub ipsa purpura Præsidum Tyro sistitur & ostenditur? An futuri specimen agonis ipsa-met edunt atria, nec nisi stantes forum suscipit, in quo nisi militans nullus incedit? Et forsan id ita constituere Maiores, vt castrensis adinstar, forensis itidem militiæ tyrocinium exurgeret, fixo scilicet gradu, supino vultu, compto procinctu.

Iterum ad aras statur dum sacerdotium initur, aut sacrificium offertur. Æquius-ne igitur visum est Maioribus stare Tyrones assignatos, vt quod-nam inirent munus, quid-ue agerent, vel ex ipso situ monerentur? Sacerdotes enim tunc inaugurantur iustitiæ, suique ipsius oblatione spontaneâ, sanctissimæ ciuilis sapientiæ sacra quodammodò delibant & inchoant.

Denique non rependo, non iacendo, initur fœdus sed stando; seu corpore mentis præmonstrante rectitudinem; seu iam vtroque sapientium in ea propemodùm conditione posito, quæ vacua & periculi & doli, solam vt inter æquales fidem emittat & promat. En & coram Numine, percussisse fœdus pius *a* Iosias perhibetur, non supplex, sed stans; non pronus, sed erectus; non incuruus, sed supinus; ipsique *b* Augusti sacramento se adstricturi stetisse ante tribunal memorantur. Num igitur Tyrones in augusto Iustitiæ templo, fœdus publicum solemni iuramento percussuros stare placuit,

a Stetitque Rex super gradum & fœdus percussit corā Domino. 4 *Reg. 23. vers. 3.*

b Perfunctus magistratu (Au-

cuit, vt se quidem sisti sub purpura Iudicum, sed coram insuper Numinis omniscij Majestate docerentur?

a Ezech v. 1. Iam verò; *sta super pedes tuos, & loquar tecum*: sta, inquam, & quodcumque ex his libuerit, imò singula reuolue & attende. Si castrensium adinstar Tyronum stas in pedes fori sacramentum emissurus, memento quàm religiosa fuerit *c* militibus conceptâ formulâ iurata fides; & amodò obserua Maiorum in huiusce instituto disciplinæ mentem persanctam, STATVR enim ex illorum sententia VT IVRETVR; IVRATVR VERO VT SEMPER STETVR.

Si cogitare malueris te stare ad aras, dignitatem attende sacerdotij, integritatem explora sacrificij. Iustitiæ *d* namque cultor inauguraris; boni & æqui notitiæ professor; non simulatæ sed veræ Philosophiæ sectator; nil ibi demissum repit; nil humile iacet; nil abiectum languet aut serpit; omnia stantem imò constantem deposcunt animum, flagitant virum. Sed nec graueris exta rimari, inspicere, consulere. Non istam damnat sacra pagella diuinationem *e*, imo laudat & approbat; HOC AGE, sincero animo, HOC AGE, ne fortè qui stas in pedes, non tamen super te stare, sed infra te iacere comproberis.

Denique si tibi magis arridet fœderis, quod publicitùs initur, maiestas & sanctitas, audi quod Syracides præmoneat & intonet. STA IN *f* PACTO TVO, IN FOEDERE TVO; IN SACRAMENTO TVO, IN TESTAMENTO TVO. Sis in illo assiduus, sis constans, sis firmus; propositionis *g* ea tibi sors est, in qua si steteris, ibis in partes sæculi sancti. Ausculta itidem succlamantem Apostolum *h*, QVI STAT, VIDEAT NE CADAT; cúmque ingenuum munus ineas, sta *i* & noli vel iugo vel spiritu abduci seruitutis. O stantium sors fortunata! Deum *l* enim non solùm hortatorem habet; sed præmiatorem & comitem.

gustus] iuramentum patrio more præstitit. *Dio. Cass. lib. 53. in princip.* Imperator ergo, & Cæsar & Augustus Pontifex maximus, stetit ante gremium Consulis, seditque Cõsul Principe ante se stãte, & sedit inturbatus, interritus & tamquam ita fieri soleret, quin etiam sedes prębuit iuramentũ & ille iurauit, expressit explanauitque verba, quibus caput suum, domum suam si scienter fefellisset, deorum iræ consecraret. *Plin. in Panegyr. Traia.*

c Militare iuramentũ, quod omnium maximè Imperatoribus seruant Romani. *Dionys. Halic. lib. 11. antiq. Rom.*

d Ius est ars boni & æqui, cuius merito quis nos sacerdotes appellet; iustitiam namque colimus, & boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes; bonum non solum metu pœnarum, verumetiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes, veram, (nisi fallor) Philosophiam non simulatam affectantes. *l. 1. ff. de iustit. & iur.*

e Interrogauit idola; exta consuluit. *Ezech. 21. vers. 21.*

f Sta in testamento tuo, & in illo colloquere; & in opere mandatorum tuorum veterasce. *Ecclesiast. 11. vers. 21.*

g Sta in sorte propositionis. *Eccles. cap. 17. vers. 2.* In partes vade sæculi sancti. *Ibid. vers. 25.*

h Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. 1. *Corinthior. 10. vers. 12.*

i State & nolite iterum iugo seruitutis contineri. 5. *Galat. vers. 1.*

l Stabisque mecum supra verticem montis. *Exod. 34. vers. 2* Stetit Moyses cum eo. *Ib. vers. 5.* Nullum peccatorum stantem legimus, sed ad sanctos dicitur, state ergo succincti lumbos vestros. *Hieronym. ad Ezech. cap. 2. vers. 2.*

CAPVT XV.

Manus leuatur.

MOx iuberis à Præside leuare manum, quasi prius ad opera quàm ad verba, depulsoque quod imminet, dum lingua præcurrit mentem, periculo, linguam ipsam factis antecedere compelli videaris. Nequaquam tamen, manus *a* enim quæ rationis & sapientiæ ministra est, quomodo vel suo motu, elinguis licèt, verbosa non inueniretur & facunda? En, prior in infantulis arcana mentis illa exerit quàm vlla loquutio; in mutis itidem, diuersique labij populis, sola vices sustinet eloquij; & quantâcumque *b* polleat os facundiâ, si manus locutio non accedit, & trunca iacet *c* actio, & debilis repit oratio; In summa quasi non *d* satis in lingua Prophetæ verbum Domini eructatum videretur, in manu eiusdem commemoratur loquutum. Hinc, puto, ipsâ naturâ suggerente, quotiescumque enixa animi sententia promenda fuit, oris officio, manus quoque ministerium adiunctum est; ita vt apud quascumque gentes colligatam vtriusque organi videre sit actionem in orando & iurando, quasi cunctis innotuerit, hisce in religionis actibus non ore-tenus dumtaxat, sed ex arcana agendum sententia, ideoque oris manui, quæ lingua est, linguam pectoris, quæ manus est, coniungendam.

Sola autem pars hæc corporis deposcitur, vt quæ intimam animæ virtutem mysticè, vnicè, & abundè significet; Hinc in sacris, *e* non iam à pedibus ad manus necesse est aquam adhiberi; symbolum operationis *f* manus est, quâ mundâ, non indiget qui lotus est vt pedes lauet, sed est mundus totus. Cùm autem, si credamus Origeni *g*, manus eadem animæ sit actus & fortitudo; peculiaris scilicet, ea virtus quâ tenere potest aliquid & constringere, sola, & meritò, in emissione iuramenti requiritur, vt tota noscatur anima in promissa ferri, & iis adstringi. *Ioan. 13. vers. 10.*

a Quid dicam de manibus rationis ac sapientiæ ministris? *Lactant. de opific. Dei cap. 10.*

b Rectè statuitur manus esse propriũ quoddam naturæ loquendi facultate præditæ instrumentum, hunc potissimũ ad finem factas vt earum operâ expeditior in nobis sermonis esset vsus. *Greg. Nyss. de opific. Dei cap. 8. vers. finem.*

c Manus verò sine quibus trũca esset actio ac debilis, vix dici potest quot motus habeant, cũ penè ipsam verborum copiam prosequantur; nam cęteræ partes loquentem adiuuant: hæ (prope est vt dicam) ipsæ loquuntur. An non his poscimus, &c. *Quintilia. 11. institut. 5.*

d Iuxta verbum Domini quod loquutus fuerat in manu Eliæ. *3. Reg. 17. vers. 16.*

e Prætermittitur enim pedum ablutio, & seruatur ablutio manuum; quia potest fieri magis in promptu, & quæ sufficit ad significandam perfectam mundationem; cùm enim manus sit organum organorum omnia opera attribuuntur manibus. *D. Thom. 3. quæst. 83. art. 5. ad 1.*

f Dicimus manum plerumque operationum notam esse. *Origen. in cap. 13. Ioan. vers.* Erat autem vnus ex discipulis Iesu recumbens, &c.

g Manus est animæ virtus quâ tenere aliquid & constringere potest, velut si dicamus, actus eius & fortitudo. *Origen. hom. in Exod. vers. finem.*

At varius licèt fuerit apud populos illiusce organi in conceptione sacramenti institutus motus, Maiores tamen nostros solam eleuationem admisisse putauerim, tum quod sacrosanctum Euangeliorum codicem ab omnibus simul & tumultuatim tangi immode-

ſtum, ſucceſſiuè, importunum iudicâſſent; tum quòd ſimplicior ille ritus nonnihil ſanctitatis à priſca ſua inſtitutione traheret. Sic enim *h* pater fidei leuatâ ad excelſum manu ſacramento ſe adſtrinxit; ſic ipſi *i* nonnumquam Angeli, ſublatis ad cœlum palmis, per viuentem in ſæcula iurauere; Sic denique maiorem, per quem iuret *l*, non habens, leuaturum ſe in cœlum manum ſuam, perque ſemetipſum iuraturum & edixit & minatus eſt.

Agedum, igitur; eleua manum tuam, ſemotoque quod agitant *m* Philoſophi an prudentia manui, an manus prudentiæ acceſſerit; cogita nonniſi ratione prædito *n* manum datam, vt rationabile ipſius fieret obſequium. Stas quidem, vt vidimus, in atriis, in domo, in Senatus templo; Eleua *o* manum, ait Præſes; quo verò fine, niſi vt viuentem in ſæcula teſtem aduoces eius quod prolaturus es verbi? Eleua igitur manum tuam, ſed in *p* ſancto, non in prophano; loquatur manus, quia iurantis eſt, imò in manu loquatur *q* verbum, ſed Dei, ſed Domini: NAM IVRANS ET PROPHETA VENTVRA SPECTANT, ET VTRVMQVE DECET NEC FALLI NEC FALLERE.

Cæterùm prima equidem manus hodie accedit, vltima verò ſeu extrema quandonam adhibenda ſit, non dicitur. Nulla quippe muneri quod ſuſcipis præfinita eſt hactenus perfectionis meta; pietatis *r* eſt officium; miſericordiæ exercitium; patientiæ miniſterium. Agedum, interim; intende, ſuſcipe, abſolue; prima, inquam, manus, ſic in foro admoueatur, vt extrema quandoque in cœlo apponatur.

i Leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum poſſeſſorẽ cœli & terræ. *Geneſ.* 14. *verſ.* 22.

l Cùm eleuaſſet dexteram & ſiniſtram ſuam in cœlum, & iuraſſet per viuentem in æternũ. *Daniel.* 12. *verſ.* 7. Et Angelus quem vidi ſtantem ſuper mare & ſuper terram, leuauit manum ſuam ad cœlum, & iurauit per viuentem in ſæcula. *Apocalyp.* 10. *verſ.* 5.

m Leuabo ad cœlum manum meam, & dicã, viuo ego in æternum. *Deut.* 32. *verſ.* 40.

n Anaxagoras igitur hominem prudentiſſimum omnium animalium eſſe ait, quoniam vnus omnium manus obtinet, ſed recta ratio exigit vt quoniam prudentiſſimus omnium eſt, ideo manus receperit. *Ariſtotel. lib.* 4. *de partib. animal. cap.* 10.

o Solus homo quoniam ratione vtitur & in eum artes cadunt, à Deo manibus donatus eſt. *Nemeſ. de motu cap.* 27. *extat to.* 2. *Biblioth. G. L. editio.* 1624. Ita vt proprium quoddam rationalis naturæ manus ſint. *Cæſarius Dialog.* 3. *extat to.* 1. *Bibl. PP. G. L. dictæ editionis.*

p Eleuare manus, hoc eſt opera & actus eleuare ad Deum, & non habere actus deorſum deiectos & humi iacentes, ſed Deo placitos & ad cœlum erectos. *Origen. Homil.* 11. *in Exod.*

q Sic leuate manus vt in ſancto leuetis, hoc eſt, vt confiteamini Chriſtum, & quidquid facitis, pro Chriſto faciatis, pro Chriſto faciatis; virtutes pro qualitate facientis diuerſæ ſunt. *Hieronym. in Pſal.* 133. *verſ.* 3.

r Factus eſt ſermo Domini in manu Aggæi; ſermo factus eſt in manu Heremiæ Prophetæ: vtique ſermo Domini non fit in manu, ſed in ore fit; ſed videte ſcripturæ myſterium, Deus non venit ad ſermonem ſine opere bono. *Hieronym. ibid.*

ſ Vide ſupra lib. 1. cap. 2.

CAPVT XIV.

Dextera & quidem nuda attollitur.

SVfficere exiſtimaſſem manum dixiſſe, ni quondam ipſemet in Senatu occluſis foribus Parem Franciæ obſeruaſſem, in emittendo pro noua quam auſpicabatur dignitate ſacramento, ſuſtuliſſe

læuam, nec, nisi monitum, dextram exeruisse. Conquiescant autem altoque gaudeant otio *a* Xenophontis dogmata, nec non Platonis *b*; liberè, inquam, iniquè se postponi dexteræ læua queratur, æquandam se petat; præferendam dicat, idque scribentis etiam impetitæ manus dispendio; Denique iactetur ingenuo prorsus eloquio, DEXTRA *c* HOMINIS, LÆVA NVMINIS, nil prorsus ex his per me non licet, qui sepositâ pro diuersitate gentium vtriusque membri illius dignitate variâ, Maiorum dumtaxat instituta refero; Tyronem moneo, ipsum-me doceo.

Dextra ergo sola petitur, quæ *d* quamuis à læua positurâ solùm differat non naturâ, præstare tamen apud nos creditur, quia sic à *c* patribus acceptum est; vtque nec in hacce sacramenti particula tibi desit quid mysticè attendas, supplantatorem fratris cogita, colluctatorem Angeli, claudum pede, auctum nomine, proprioque quantum polleret dextera edoctum periculo, dextræ tamen præcipuum, quod à patribus acceperat, posteris explicantem. Caligant eius oculi, sed manus vident; & licèt sub dextera *e* maior natu positus iustos primogenij honores ambiat & expectet; minoratur tamen à sinistra. Instat pater pueri, factumque stupens, manus commutantem quasi errantem admonet; sed scire dexteram quid ageret Israël contestatur; tandemque *f*, vt Hebræi volunt, MANVS SVAS Patriarcha tantus INTELLIGERE FECIT DVM COMMVTAVIT. Inde ne autem sumptum fuerit quod inter *g* sacra postmodum adagia relatum est, non affirmarim; Attamen certum est cor sapientis viri illius in eius extitisse dextera, dum prophetico mota spiritu, minorem natu tetigit, non maiorem.

a Cyrus conuiuas suos quos honoratiore loco excipere volebat, ad sinistrā collocare solebat, eamq; partem velut cordi viciniorem digniorem dixit. *Xenoph. in Cyripæd. lib. 8. ca. 2.*

b Quòd dextra & sinistra in nobis differant ad ipsos vsus in singulis actionibus; quantùm quidem ad manus pertinet; nā quantùm ad pedes & inferiora mēbra spectat; non videtur hęc quidem in ipsis laborum administrationibus discrepare; Matrum autem nutricumq; ignorantiâ, manuum ipsarum operâ & ministerio veluti claudi euasimus. Cùm enim natura ad vtriusque membri facultatem eiusdem sit penè momenti & potestatis, nos prauâ quâdam consuetudine inoletâ, discrimen inter vtramque manum constituimus. *Plato. 7. de legib. paulò post initium.*

c In sacris tantum (vt diximus) sinistra priorem sibi vindicat locum, quod (vt aiunt) sinistra nostra, dextra Numinis, quæ præcipuè attendi debeat, habeatur. *Baron. to. 2 an. 213. num. 6.*

d Perinde atque dextrâ manu in nomine Christi eos signamus, qui sigillo tali indigent, eo quòd præstare sinistræ putetur, quamuis positurâ & non naturâ illa differat. *Iustin. lib. qu. q. 118.*

e Nulli autem dubium est dexteram vel totius corporis præclariorem portionem hoc officij gerere, vt diurna alimenta suo corpori subministret, & prouidentiâ quâdam ad fruendam vitam mēbra cætera pascat ac nutriat. *D. Ambros. sermo. 27. recent. edit. 8. veter.*

f Et posuit Ephraïm ad dexteram suam, id est, ad sinistram Israël: Manassen verò in sinistra sua, ad dexteram scilicet patris, applicuitque ambos ad eum; qui extendens manum dexteram, posuit super caput Ephraïm, minoris fratris; sinistram autem super caput Manasse qui maior natu erat, commutans manus; benedixitque Iacob filiis Ioseph. *Et paulò post.* Videns autem Ioseph quòd posuisset pater suus dexteram manum super caput Ephraïm, grauiter accepit; & apprehensam manum patris leuare conatus est de capite Ephraïm, & transferre super caput Manasse, dixitque ad patrem: Non ita conuenit pater; quia hic est primogenitus, pone dexteram tuam super caput eius; qui renuens ait: Scio, fili mi, scio. *Et paulò post.* Constituitque Ephraïm ante Manassen; *Genes. 48. vers. 13. & seqq.*

g *Commutans manus.* Hebræi verò legunt, *Fecit intelligere manus suas.*

h Cor Sapientis in dextera eius. *Ecclesiastis 10. vers. 2.*

Agedum, amodò; manus deposcitur, sed videns, sed intelligens, sed sensata, sed cordata. Cor Sapientis in dextra illius; quid ni & iurantis, ni decipientis aut desipientis? Absit *i* autem à nobis dexte-

i Dextera corū,

ſam iniquitatis in quolibet ominari; quid agat hic dextera *l*, neſcire læuam vt optamus ſic & credimus, dextræ quippe filius iuramentum exurgit; dextræ, inquam, ideoque ſolatij, licèt è funere matris ſuſceptus partus; Spontanea ſiquidem voluntas, ſine quâ ſacramentum euacuatur, pereat neceſſe eſt ceu Rachel altera, vt tamquam Benjamin alter iurata oriatur neceſſitas; ſed ſacra prorſus illa neceſſitas, (quam pietas adducit, ſanctitas imponit, religio adſtringit,) tanto matris obitum compenſat ſolatio, vt dum manum attollimus, manu *m* etiam conſolari nos-met-ipſos comprobemur.

Geneſ. 35. v. 18.

dextera iniquitatis. Pſal. 143. verſ. 9.

l Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua. *Matth. 6. verſ 3*

m Exaltate vocem, leuate manum. *Iſai. 13. verſ. 2.* pro quo Septuag. Cõſolamini manu.

Ne tamen ad dexteram *n* declines Sapiens exclamat, ideoque infirmitatem vt noſcas tuam, nuda manus exeritur; ni dicere malueris, fucatam reſpui dexteram, nudamque promi, quaſi ſinceræ ſymbolum animæ quæ à iurante depoſcitur. O! ſi è purpura *o* velut ex ardenti rubo, vox quædam intonans dextram illam in ſinum cordis non veſtis iuberet immitti, leproſa-ne retraheretur ad miraculum an ad opprobrium? Pura manus equidem nitet; ſed qualis mens intus, qualis ſpiritus, qualis animus? Non aridam eſſe dexteram vel motus indicat; at num torpeſcit intus anima, num langueſcit, num areſcit? Stas foris, num iaces intus, dextramque an iurans an minitans ſurſum effers & attollis? At de his poſtea, ſi Deus nobis dederit, te alloqui vel agentem in foro, vel ſcribentem in domo. Memento interim illius, non quam *p* ab aratro, vt Glaucus Caryſtius, ſed quam à publico ſacramento commendâris.

n Ne declines ad dexteram. *Prouerb. 4. v. 27.* Declinat ad dexteram qui de ſuis viribus præſumit. *Hier. ibid.*

o Dixitque Dominus rurſum; Mitte manum tuam in ſinum tuum, quam cũ miſiſſet in ſinũ protulit leproſam. *4. Exod. verſ. 6.*

p Pater huic fuit Caryſtius Demylus. In agro verò colendo à puero verſatum tradunt, cúmque fortè refixum vomerem, manu pro malleo vſus reſtituiſſet in priſtinum aratri locum, patrem cùm id animaduertiſſet, puerum in Olympicum pugilatum deduxiſſe; vbi cùm Glaucus ab aduerſariis malè mulctaretur, quippe qui prorſus erat artis eius imperitus, cúmque congreſſus cum eo cui extrema obtigerat ſors certaminis, vulneribus iam propè confectus, ſuccumberet: inclamaſſe dicitur pater, illam, fili, ab aratro. Eâ itaque voce puerum excitatum, acriore plagâ aduerſario perculſo mox victorem iudicatum. *Pauſan. lib. 6.*

CAPVT XVII.

Sponſio.

TAmdem ſpondendum eſt; alteraque vox Præſidis, IVRAS IN LEGES, conceptam expectat ſacramenti formulam, quæ verbo abſoluitur, & quidem hoc vnico, IVRO. Stat manus exerta & erecta, cum ſenſu *a* enim, iuxta veteres, & incipit & deſinit; vtque ſermonis vires ſuſtinet, ſic linguæ expectatur officium, quæ manus implens miniſteria animam ipſam aut in vano *b* capiat aut in vero. Mirum dictu, in Deo, & verbum manus, & manus verbum eſt; verbo quippe facit, manu loquitur, & quo alterutro ſacra vtatur potentia, veritas exurgit conſummata. Vis linguam agentem? *Ipſe dixit & facta ſunt*; Vis manum loquentem? *Opera manuum illius iudicium & veritas, & in dextra eius non eſt*

Pſalm. 148. v. 5

Pſalm. 110. v. 7.

a Hic veteres artifices illud rectè adiecerunt, vt manus cum ſenſu inciperet & deponeret. *Quintil. 11. inſtit. cap. 5.*

b Qui non accepit in vano

animam suam. *Psal.23. vers.4.* Illud aliqui detorquent ad iuramentum, vt sequens particula sit explicatio superioris. *Bellarmin. ibid.*

c Et quorum repletæ, & consecratæ manus. *Num.3.vers.3.*

d Qui consummatas habet manus. *Leuit. 21. v. 10. iuxt. Origenem homil.12. in Leuit.*

e Iuraturus debet omnes rei circumstantias diligenter perspicere, quanta sit, quàm vera, quàm benè à se percepta, tum se ipsum considerare num purus sit animâ, corpore, linguâ; illa ab iniquitatibus hoc à piaculis, hac à maledicētia. *Philo. Iuda. de Decalog. vers. medium.*

mendacium. At in homine, etsi vtrumque concurrat, vox, inquam, & dextera, exurgat, tamen veritas nec-ne, non scitur, sed putatur. Ergo iam tui-ipsius ipsemet constitutus arbiter, dicere potes & quidem veraciter, *in manibus meis*, lingua scilicet & dextera, *sortes sunt meæ.* An autem impletæ *c* sunt illæ manus? An consummatæ, *d* an consecratæ oleo dexteræ, vel eâ saltem myrrhâ quam sponsæ manus distillant? Hoc age, hoc age, testem aduocas & linguâ & manu viuentem in sæcula; id saltem redde *e* Numini, quod peteres tibi. Quid verò si leuans in te calcaneum suum, si te exosus, si te execratus, testem cieret, dextrâ vocaret? De congruo loquor, & tibi loquor; me tenet Petri cathedra & dextera, Nouatoresque nec probo, nec fero; bonum opus peccatorem non grauat. Esto, sit mortuum; at mortiferum dici fides non patitur, nec de sacramento forensi quærendum est an viuorum sit, an mortuorum; nil polo quantùm ad hoc & foro; nil Papiniano & Paulo; nomen idem sed res multiplex; At vt iterum de congruo loquar, cur non id saltem reddis Numini quod peteres tibi? Vestes parasti & tersisti, at nonne anima plus est quàm Toga? Manum lauisti & mundasti; at nonne iterum anima plus est quàm dextera? Oportuit quidem illa facere, sed istam cur negligere? Quid non ad nos vel Ethnici, qui, vt diximus, Togam sumere ni diis præsentibus nefas duxerunt? Nonne sicut Niniuitæ consurgent in iudicio aduersus nos, qui viuentem in sæcula credimus; si tamen nobis credendum est, accitumque nihilominus sacramenti testem nec cogitamus, nec honoramus? Dic quare tot cadunt qui in iuramento stare visi sunt? Non anchora fuit illis iurisjurandi Religio, sed catena, quâ torpentes iam antea, irretitæ demum eorum animæ, impedimenta, non adiumenta è sacramento traxerunt; steterunt, igitur, iurauerunt, obligati sunt, & ceciderunt. O quantò fœliciores, qui cum Psalte Regio humiliter possunt incinere: *Nos autem surreximus & erecti sumus!* At quinam illi nisi quorum pedibus lucerna, quorum semitis illuminatio verbum Domini fuerit? Hi enim in lumine ducti & tuti, gnari quid facerent, docti quid iurarent, certi quid promitterent, cum *f* authoritate etiamnum valent dicere; *Iuraui & statui custodire, nedum iustitiam, sed iudicia etiam ipsius iustitiæ.*

Psal.19. vers. 9.

Psal.118 v.105.

f Vox ambulantis in lumine est cum auctoritate dicere, iuraui & statui. Qui enim statuit, non mouetur: non metuit ne cadat, quia plus est statuere quàm stare. *Et paulò post.* Nemo benè iurat, nisi qui potest scire quod iurat. Iurare, igitur, indicium scientiæ, testimonium conscientiæ est; Et benè iurat qui ad lucernam verbi pedes suos dirigit, qui lucem in semitis suis cernit; lux tibi præeat, si iurare dęmonis, id est, cognitio veritatis præcedat, vt vinculum sacramenti tibi non possit nocere; vbi religio sanctior, ibi fides veritatis est plenior. *Ambros. in Psalm. 118. vers. 106.*

CAPVT VII.

Quantùm dignitatis è sacramento præstito Aduocationi accedat?

QVantàm autem Aduocationi dignitatem ex emissione sacramenti voluerint accedere Maiores, nil non adhuc hodie nobis succlamat; Non enim in secretario, vt minores *a* Prouinciarum Magistratus; sed in consessu publico iuramentum Aduocati dicunt, qui mos seruatur etiam dum Subpræfecti Prouinciarum sacramento in leges emisso, imperij sibi commissi obtinent potestatem. Quis, quæso, instituti illius finis esse potuit, vt auspicatio Iuridicinæ maiorum Magistratuum inaugurationem æquaret, minorum vinceret? Si dicamus Aduocatos Subpræfectis coæquandos, fallimur; hi enim *b* peculiarem in subselliis locum habent & gradum, quem Aduocati vsurpare vetantur.

a Il y a trois sortes d'Examen des Iuges au Parlement. Le moindre, pour les moindres Iuges, comme Preuosts, Conseillers des Presidiaux, Aduocats & Procureurs du Roy, qui est renuoyé en l'vne des Chambres des Enquestes. Le mediocre, pour les Lieutenans de Prouince, qui se fait en la Grand'Chambre, où aussi se fait leur reception en pleine Audience, combien que celle des autres moindres Officiers se fasse à huis clos; Et finalement le grand Examen pour les Officiers du Corps du Parlement, comme Maistres des Requestes & Conseillers d'iceluy, qui se fait toutes les Chambres assemblées. Loyseau des Offices liu. 1. chap. 4. nomb. 47.

b Sedere non præsumant (Aduocati) in primo scamno, in quo Aduocati, Procurator Regius, Balliui, Seneschalli, & alij potentiores & nobiliores esse debent, ac sedere consueuerunt. *Styl. Parlam. part. 3. tit. 15. §. 6. inter opera Molin. to. 2.*

Iterum, vt diximus, non in promiscuo forensis areæ campo sacramentum dicitur; ex appellantium suggestu, qui & Parium, assignantur iuuenes, hi verò illustratum gressibus heroïcis gradum & terunt & calcant. Quid? Quæ Pares Franciæ, quæ Polemarchos, quæ Thalassiarchos, quæ præcipuos Regni Ministros, nasci vidit, nascentes tulit, natos emisit area; Aduocatos eadem & nascituros expectat & enatos ostentat? Quæ, quæso, sententia Maiorum esse potuit, vt è promiscuo puluere & Heroes ascenderent, & Aduocati surgerent?

Fallor, sanè, ni posteris testatum relinqui voluerint, quanti fecissent Aduocationem, cui illustres adeo natales concessissent. Accendi quippe in publico lucernas illas oportuit, quæ non celandæ sub modio, sed super candelabrum destinantur eleuandæ omnibus qui in foro sunt eruditi luminis diffusuræ fulgores; assignatos verò monstrorum excidio, cunas decuit sortiri Herculeas, generosos spiritus, vel è calcato suscitandos puluere excepturos. Et sanè num Hydræ præludium *c* iam agnoscere est, elisos, inquam, venenati angues pectoris in ea quam diximus, emissi sacramenti religione & fide? O præclarum dextræ facinus ad sublimiora natæ! Macte animo, quisquis es, nostris initiatus muniis; macte animo, inquam, & tam fœlici obfirmatus auspicio, nil deinceps vel age vel

c Gemina cristati caput angues ferebant ora, quos contra obuius reptauit infans.

patere quod iuramento tuo vel detrahat vel imponat. Hoc veritatis circumdatus clypeo, monstra subiges quæ nec claua depulit; tibique tandem non deerunt illustriora Herculeis & spolia & trophæa; sed serua depositum, sacramenti dico, custodi fidem; sancta est, tantâque religione conspicua, vt nil illâ sacratius quo in posterum adstringi debeas, Senatus *d* credat & censeat.

igneos serpentium oculos remisso pectore ac placido intuens arctos serenis vultibus nodos tulit, & tumida tenera guttura elidens manu prælusit Hydræ. *Senec. in Hercu'. furent. act. 2. paulò à princip.*

d Item iniungit illis Curia in vim sacramenti. *Paßim in Stylo Parl. par. 3.*

CAPVT XIX.

Annua a *in Senatu sacramenti iteratio.*

QVidni autem id putet & censeat, siquidem quotannis ex Maiorum instituto illud ipsum iterari curat sacramentum in sui-ipsius gremio, solemniori pompâ, auctiori purpurâ? Et quamuis aliena videri ea possit à suscepta de Tyrocinij auspicatione materia, non tamen, opinor, inidoneo censebitur inseri loco; inceptus enim de sacramento forensi sermo, id deposcit & postulat, ne rursus & pluries de re eadem nobis agere necesse sit.

Quotannis igitur postridie Martinalium, ni Dominica obfuerit, totus in purpuris adest Senatus. Tot Reges dicere quot Senatores, haud sat putarem, eà siquidem potius *b* deorum videtur exurgere Synagoga, in qua supremi Numinis authoritas, nedum stetisse, sed ipsos etiam Deos diiudicare perhibetur. Peractis ad Missam solemnibus, consessuque instaurato, euocantur è Catalogo iuxta matriculæ gradum singuli post singulos Aduocati, non Tyrones tamen, sed soli Emeriti, qui-ue actionum frequentiâ constantem in ordine perseuerandi sententiam demonstrarunt. Quàm pulchrum, quàm augustum, quam Senatoriâ maiestate dignum cernere, canos prudentiâ; claros facundiâ, palmatos gloriâ, incessu præ veneratione ferè tremulo, ad Senatus ascendere Principem, flexoque poplite, dextrâ tabellæ impositâ, linguâ quò submissiore eò saniore susceptæ professionis iterare sacramentum! Quis non agnoscat illos & in lingua & in dextra cor habere, præuiâque de sanctitate iuramenti cogitatione perfusos, quo puriore valent animo viuentem aram tenere, viuificam testationem emittere? Scribat Euripides *c* & dicat, iusjurandum fidem esse non modicam; nos maximam & persanctam esse vel ex isto demonstramus instituto; in quo simul concurrentibus maiestate cœtus, sanctitate ritus incertum manet, an corona splendidior, an fides sacratior primæua illustrauerit sæcula.

Sed iam haud leuis nobis mouetur quæstio; Ritum enim hunc priscis institutum temporibus, dum scilicet, annalis dumtaxat esset Senatus authoritas, nonnulli seruatum & vsque ad nos traductum autumant è *d* nimia eorum simplicitate, qui quotannis etiam hodie nouum

a Huiusmodi quoque iuramẽtum tam Aduocati quàm Procuratores in foro, in quo idem assumpserũt officium, teneãtur annis singulis iterare. *Greg. X. in Concil. Lugdun. V. sup. cap. 19. litt.* f

b Deus stetit in Synagoga deorum, in medio autem Deos dijudicat. *Psal. 81. v. 1.* Pronuntiat sanctus Propheta, Deum semper adesse cũ iudices sententias ferunt, &c. *Bellarmin. ibid.*

c πίστις οὐ μικρά. *Eurip. in Hypp.* Est enim iusjurandum non exiguum negotium, tametsi contẽnitur propter consuetudinẽ, videlicet testimonium Dei de rebus dubiis. *Phil. Iud. lib. de Decalogo. vers. med.*

d *Et ce qu'au*

nouum inſtitui Senatum crediderunt, ideoque nouam illi deberi fidem, vtpote euacuata quæ diſſoluto iurata fuerat Religione. Non poſſumus, ſanè, ire inficias Parlamentum olim quotannis conflari ſolitum ex iis, quos Principes ſacra ſua vice cognituros delegiſſent proceribus, dumque è noua illa ſingulis annis inſtauratione conſeſſus, ſacramentum itidem quotannis à Togata militia rogatum addiſcimus; mouemur agnoſcere quantâ maiores noſtri ſollicitudine & prouidentiâ forenſem coluerint diſciplinam, abacta ſiquidem vt ſcrupuloſa nimium iuramenti qualibet, in cauſa dictione nouis tamen magiſtratibus fidem adſtrui voluerunt, edocti nempe vniuerſos milites, quorum adinſtar habent ſe Cauſidici, dimiſſo ſemel exercitu, ſuo ſolutos ſacramento, altero adigendos ſi nouus delectus fiat. Cur ergo, aiunt præfati, nunc quotannis iterare iuſiurandum Senatu non amplius mutato, ſed ex iiſdem perennato iudicibus? Ego ſanè, quidquid hinc inde afferri poſſet, eò recurrere cogor, bono penitus noſtro ſeruatum illum iterandi ſacramenti ritum, vt, ſi non in quacumque cauſa, ſemel ſaltem quolibet anno repetiti iuramenti Religio fidei toties ſancitæ obſeruantiores nos redderet. Ecquid? Nonne ipſi viri Angelici, hoſtiæ viuentes, victimæ placentes Deo, ſegregati licet à ſæculi moleſtiis, quotannis tamen renouari ſpiritu mentis ſuæ impigro ſtudent animo, ne vinculis quæ ſibi met-ipſi iniecerunt, cor ſuum acediari contingat? Nonne & Senatus ipſe ſecretiores per interualla habet conſeſſus, ne ſuprema iudiciorum diſciplina tantillùm labans deprehendatur, deprehenſaque nec reformata, diſſipetur? Si id ergo beati viri, ſi id Iudices integerrimi factitant, quis non laudauerit Maiorum ſapientiam, dum infirmitati noſtræ, quantumcumque adhiberi poterat ſubſidium, prouidâ diſpoſuerunt diſciplinâ? Sacramentum equidem in ingreſſu ſtatuerunt emittendum, iis moti rationibus quas pro tenuitate mea tibi ſuggeſſi; At cùm inter ſæculi & fori tempeſtates, noſtri præuiderent anchoram propoſiti ſæpiſſimè commouendam, ne eâ tamdem auulsâ iacturam nauigij pateremur, iterandam quotannis fidem, quaſi nouam rudentem eamque præualidam demandarunt. O! ſancta, admodum, ſi te tamen aſſeclæ benè nouerint & tenuerint, Aduocationis diſciplina, à cuius inſtituto vitiorum monſtra exulare iubentur, concepta in ingreſſu, iterata in progreſſu, & religionis fide, & fidei religione.

Parlement tant les Iuges que les Aduocats reïterent le ſerment tous les ans, prouient de la fauſſe opinion qu'on auoit anciennemẽt que la puiſſance du Parlemẽt ne fut qu'ãnuelle ou meſme Semeſtre de Parlement en Parlement. Loyſeau des Offices liu. 1. chap. 4. nomb. 82.

At, dices forſan, cur ergo Dominicarum Aduocati Sedium, tam pio, tam ſancto inſtituto gaudere non ſinuntur? Ratio ſanè quæ probabilior nobis occurrit è prima ipſius emiſſione ſacramenti deduci poſſet; hodie enim maior pars Aduocatorum etiam Prouincialium Senatorio albo adſcripti ſunt; quos prorſus incongruum eſſet apud Iudices non Regios dicere ſacramentum. Hac quali quali ratione meliorem ſi attuleris lubens admittam; ſed interim quid obſtabit quominus & Tyrones in Senatu, & Prouinciales in ſuis militantes ſedibus, priuatim, apud ſe, intra ſe, anno quolibet recurrente eam fidei teſtationem iterent, quam in emiſſo tyrocinij

Ee

ſacramento adſtruxerunt ? Iniecimus palam totoque circumſtante foro pedem noſtrum in compedes illius, & in torques eius ceruicem noſtram; at forſan, parum cauti, parum gnari, parum iuſti; Decor, interea, vitæ noſtræ in illa eſt, & alligatura ſalutaris in eius vinculis nobis paratur; cur ergo vincula illa, non derumpere, quod abſit, ſed potius adſtringere negligemus ? Hoc age, quiſquis es, ſeu Tyro ſeu militans; erunt tibi compedes iſtæ in protectionem fortitudinis, in baſim virtutis, in ſcutum iuſtitiæ; neruus verò ceruici tuæ injectus, in torquem commutabitur gloriæ, in ſtolam decoris, in bullam honoris.

CAPVT XX.

Aggregatio, & adſcriptio.

SEd iam, vt opinor, plus ſatis patet quàm noſtræ pretioſa ſint Aduocationis limina, ab iis ſiquidem infamiâ & inſcitiâ depulſis, nil inſuper excipitur quod ſacramenti Religio non expiârit. Iactet ſe gentilis antiquitas nonniſi bonum virum *a* Oratoris exornaſſe titulo; efferat & euehat non tam viri vocem quàm oraculi bonitatem in Oratore depoſcentis; fingere potuit non facere; obumbrare non informare; ſuſpicere non perficere quem exoptabat hominem, vmbraque veluti futurorum extitit, dum concupiuit & defecit. Quantò ſublimior Chriſtiani noſtri ſæculi Aduocatio quæ vel à cunis Religioſam probitatis fidem nedum depoſcit, ſed & adſtruit; hanc ſanè priſca illa ſapientia *b* nequidem votis æquauit ſuis, minuſque eſt quod illa abſoluit, quàm quod hæc incipit.

a Vidi lib. 1. cap. 16. litt. *a*

b Magnus planè vir & multarum virtutum clarus inſignibus, quem votis ſuis Philoſophia non potuit æquare; denique minus eſt quod illa finxit quàm quod iſte geſſit. maiorque ambitioſo eloquẽtiæ mendacio ſimplex veritatis fides. *D. Ambroſ. lib. 1. de Abraham. cap. 2. in princip.*

At dum in hæc accenſo feror ſpiritu, non aduerto noſtri rogatâ fide & acceptâ otioſos amodò in atriis iacere pedes; huic ergo quem locum deinceps habeat, ſedulâ Præſes aſſignat curâ; ſeu linguâ monens, ſeu manu innuens, vt intra fori ſepta ſe conferat, iamque aggregatum illi ſe ſciat ordini, qui ex inſtituto Maiorum ſolis ſuis vindicat athletis honoratas cancellorum & partes, & ſedes; Licebit inferiùs extraneos inuaſores de ſua compellere proteruia, nunc autem aduerte, quiſquis es, quàm benigno aggregeris conſortio; nemo tibi locum inuidet, imò non facit; ſeu enim inferius, ſeu ſuperius ſeptum occupes, primo, qui patet loco, frueris, ſatiſque eſt dum à ſuggeſtu orantium ſeniorumque ſedibus abſtineas.

Tamdem aggregationis illius tuæ ſolemne conficitur inſtrumentum. In poſteriori igitur litterarum parte ſcribit Patronus quâ die te foro aſſignârit, propriâque ſchedam obſignat ſyngraphâ. Tum ea defertur ad Actuarium, qui illicò iurati nomen in album refert ordinis, & matriculæ exſcribit authenticum. Nonnulla Scribæ exſoluitur pecunia; ſed quantula hæc ? Grates ſanè immenſas Principi referat Aduocatio neceſſe eſt, cui nequidem pro ingreſſu fit ve-

ctigalis. Pars nummorum cedit Actuario titulo mercedis, pro ea quam impendit opera; pars altera eaque maior in corbonam mittitur, non enim pretium ſanguinis eſt; circaque tum ſacra, tum pauperes abſumitur; quid ſanctius Maiores inſtituere potuiſſent? Dextra ſacramento conſecrata, porrigitur ad ſolamen inopum, pietatique ſoli tributum exſoluit profeſſio, quam fidei iuratæ initiat Religio.

Porrò, quod mirentur etiam exteri, Patronum inter & Tyronem peragitur officium. Hic grates agit, ille grates refert. Hic ſe adoptatum gratulatur, ille, quod adoptaturus electus fuerit congratulatur; Tyro venerationem & promittit & exhibet; Patronus dilectionem & edit & ſpondet; hic ſe quod foro datus fuerit illo aſſignante gloriatur; ille quod athletam foro dederit huic ſe debere conteſtatur; ſordes ab vtroque exulant; ſola pietatis & honoris contentio naſcitur; vterque vtrumque vincere vellet, neuter vinci ab altero, dumque in eo tenaciter perſtat vterque propoſito *c*, incertum manere diceres quis maiora vel dederit, vel receperit.

c Propoſita eſt inter parentes ac liberos honeſta contentio; dederint maiora an receperint. *Seneca. 3. de benef. 36. fine.*

CAPVT XXI.

Quæ ſedes Aduocationi Senatoriæ peruiæ ſint?

SIquidem de ſupremi Tribunalis Aduocatione ſermo inſtitutus eſt, è re videtur noſtra diſquirere quænam illi ſedes peruiæ ſint; id eſt, quaſnam adire Togati valeant, qui Senatorio aggregati ſunt Collegio, non alio quàm quod dixerunt in Senatu emiſſo ſacramento. Et quidem, quoad inferiora Tribunalia intra ipſius Senatus conſtituta limites, nemo iam non ſcit, Senatoriis ea patere Cauſidicis, ita vt illis ſufficiat *a* matriculæ ſuæ, quæ generalis eſt, ſyngrapham exhibere; Has tamen ſedes excipimus, in quibus iure quodam præcipuo licita ſunt Aduocatis Cognitorum officia; ſed de his inferiùs. Supremam Vectigalium Curiam nobis patêre is forſan ignorat, qui nec limina Lutetianæ Baſilicæ ſalutauit; cæterùm, qui vel intra, pedes tulit, potuit obſeruare nil aliud ad id requiri, quàm ex inferiori ad ſuperiorem aream aſcendere.

Apud Regiarum Præfectos rationum, Pretoriani Præfectos Conſilij, ſanctius Principis Tribunal, Principemque ipſum, indicto, quoties occurrit, peroramus ſacramento; fide quam Senatui dedimus, ſat de nobis apud eas cauente poteſtates. Peroramus, inquam, vt qui-uis ne noſtrum munus ſegregare noſcat ab eorum officio, qui licèt in Senatu Aduocati ſint; apud tamen ſacratius Principis Tribunal non Oratorum implent munus, ſed Cognitorum, titulumque Aduocati retinent honoris ergo non muneris.

a Le Mardy 9. Février 1555. fut vuidée vne cauſe de deux Aduocats de Senlis pour la preeminence & prerogatiue de ſeoir l'vn deuãt l'autre: fut ordonné par Arreſt que le premier receu en la Cour de Parlement precederoit au Siege de Senlis, iaçoit que l'Inthimé fuſt premier receu & immatriculé à Senlis, &c. Et fut dit par les Gens du Roy, que les Aduocats du Parlement eſtoient generaux, & n'eſtoient tenus ſe faire immatriculer aux autres Sieges. Par Arreſt du 22. Iuin 1587. donné en l'Audience a eſté iugé que les Aduocats receus en la Cour venans par apres às'habituer en quelques Sieges inferieurs, y auroient ſeance du iour de leur reception, ores qu'ils n'euſſent iamais plaidé en icelle.

plaidans Pichonnat pour l'appellant & Petit pour l'inthimé; Guenois. Conferen. des Ordonnanc. liu. 2. tit. 5. num. 11. Voy ce dernier Arrest dans Chenu. des Offices. to. 1. tit. 32. chap. 194. Mornac. ad l. 4. §. vlt. Co. de Aduo. diuerso. iudicum. adde infr. cap. 27. litt. *f*

Sola igitur superest difficultas, an idem nobis liceat in cæteris Galliarum Senatibus, quos vulgari nomine dicimus PARLAMENTA? Vsus in contrarium inualuisse creditur, eaque de re videre est Burdegalensis Curiæ placitum inter posteriora Canutij *b* de Officiis opuscula, quo quidem, sacramento rogatus est, eoque emisso aggregatus eiusdem Curiæ Aduocationi, qui Parisiensis, Tholosanæ, Rothomagensis & Aquensis matriculæ, seruatis solemnibus gradum habuerat. Immunis tantùm eodem placito pronuntiatus ab iis iuribus, quæ solent Tyrones pro ingressu exsoluere.

b *Arrest du Parlement de Bordeaux du 15. Iuin 1607. dans Chenu; second liure ou recueil des Offices. Tit. 31. chap. 3.*

Moueor tamen vsum hunc in dubium reuocare ex iis, quæ non ita pridem Bluetio nostro apud Aquenses diuersanti acciderunt. Cùm enim illustris cuiusdam negotij arcana & intima penetrare rogatus esset vnà cum primoribus Senatus illius Patronis, vt communi consilio mouenda-ne esset controuersia an relinquenda statueretur; Primores illi cœtu facto, diligentique adhibitâ ratione inuenerunt, sic obseruatum à patribus, vt quoties Parisienses Aduocati apud se inissent consilia, illis semper, matriculâ licèt posterioribus, primæ partes fuissent delatæ. Itaque apud ipsum Bluetium tamquam seniorem, licèt re verâ recentiorem, conuenerunt, ipsique primum in cœtu dederunt locum, contestati illud honoris præcipuum Parisiensi deberi matriculæ, in aliorum etiam Senatuum limitibus.

Constat autem cuiusque inferioris sedis, seu Præsidialis, seu Prætorianæ limitatas esse matriculas; ita vt extra iurisdictionis terminos Aduocatio non extendatur.

CAPVT XXII.

Laudatio vel actio tyrocinium auspicantium.

NVnc paululùm extra Senatum exspatiandum nobis est, vt si quid alicubi præter ea quæ diximus, in auspicatione tyrocinij seruetur, sedulò referamus.

Et primùm Expilius *a* nobis author est, deductos in forum apud Delphinates palam laudari solitos, dummodò lauream adeptos Doctoratus. Videre est eiusmodi laudationem inter illius opera, quam ipse-met in Senatu dixit, tunc Patroni Regij implens officium, idque, vt refert, à Maioribus eò loci institutum fuit, vt à laudatione publica, velut acriori stimulo, maiores animos Tyrones caperent & agerent; laudata siquidem virtus, teste *b* Ouidio, eiusdem status nescia est, sed crescere gestit & æstuat, immenso calcari gloriæ & honoris indesinenter excitata.

a *Expilly. Plaidoyer 14.*

b Excitat auditor studium laudataque virtus. Crescit & immensum gloria calcar habet. *Ouid.*

Alicubi ipsi-met initiandi perorant, & in ipso rudimenti primor-

dio, quoddam experimenti edunt præludium, vt non omnino imparatos ad palæstram se accedere ostendant, quamque de sua industria concipi velint expectationem, egregio foueant auspicio. Item alibi Latinè, alibi Gallicè perorare solent iuuenes, prout vsus inualuit; & Ambiani quidem nec-non Sezannæ in Bria Latino per totum idiomate peroratio illa absoluitur; Castilioni verò ad Matronam Gallico. Taceo sedes alias de quibus haud mihi compertum est.

Sezanne en Brie. Chastillon sur Marne. Chasteau-Thierry.

Mos ille non ita pridem Castro-Theodorici vigebat adhuc, qui tamdem ea de causa sublatus est; Cùm enim quidam adolescens Senatorio adscriptus albo, locum in eo foro postulaturus esset, quamque elaborârat orationem prolaturus, celebriore forsan cœtu attonitus, vel, quod nemini non accidit aliquando, in ipsis initiis factus timidior, obriguit prorsus & obmutuit, tantamque de suo illo casu tulit molestiam, vt foro extunc vale dixerit, spretis tenaciter tum amicorum, tum agnatorum, tum Magistratuum etiam, quorum nonnullis percarus erat, & monitis & precibus. Is casus, igitur, Magistratus exinde mouit, morem à patribus acceptum abrogare, ne quosquam in posterum præclaræ spei iuuenes tam infœliciter in ipso fori limine naufragari contingeret.

CAPVT XXIII.

Aduocati-Cognitores.

NOnnihil iam suprà attigimus de iis Prouincialium Sedium matriculis quæ promiscuo iungunt officio, & Cognitoris partes & Aduocati; Andes Cænomani, & Ambaquienses Causidici eo sanè gaudent seu priuilegio, seu potius more & vsu; quod quidem priuilegium, si ita id mauis appellare; an sedibus aliis communicatum fuerit, sequenti dicemus capitulo.

Andensis autem Aduocatio, cui sanè laudem deberi iam scripsimus, ob depulsam à suo cœtu supinam inscitiam, hocce gaudet præcipuo, vt quicumque eius inseri Collegio exoptat, probationis periculum subeat necesse sit, licèt Codicillaribus in Academia impetratis obnitatur, Senatoriæque etiam adscriptus sit Aduocationi. Memini ea de re Talæum Fisci Regij Patronum illiusce matriculæ Aduocatos, Auguralibus apud Romanos comparasse Sacerdotibus, in *a* quorum Collegio nemo nisi cœtui vniuerso amicus; nemo vel vlli inimicus poterat admitti, sic enim & illi, çùm probandi etiam probatos priuilegio gaudeant, in eoque seruati fuerint, vel aduersus Præfecturæ suæ Magistratus è decreto quod retulimus, quis vel omnibus vel vni offensus, se eorum cœtui præsumeret aggregandum? An autem cæteræ quas recensuimus eâdem authoritate polleant, nondum comperi; saltem Castriguntería segniùs se habuerat in eo admittendo, quem Andensis, probatore postmodùm Senatu, iure eximio repulisse comprobata est.

a In quo Collegio non modò amicitiam violari apud Maiores nostros fas non erat; sed ne cooptari quidẽ sacerdotem licebat qui cuiquã ex Collegio esset inimicus. *Ci-*

cer. 3. Epistolar. familiar. 10.

Dubium iam oritur, quod & à nostris Scriptoribus exagitatum est, quinam in hocce promiscuo Cognitoris & Aduocati munere, titulus præualeat? An scilicet Aduocatus à Cognitore deprimatur; an potius Cognitor ab Aduocato sublimetur? Et equidem vetustæ Pictonum Consuetudinis Interpres Ratus *b*, luculenter censuit Cognitoris munus Aduocati officere ministerio, adeo-vt mixti illi è duobus titulis Togati, honoratis derogent natalibus, quasi nimirum eorum professio & desiderium inuicem pugnare videantur. Choppinus *c* verò de Priuilegiis Rusticorum agens, in bina ista concurrenti functione præstantiorem digniоremque præualere existimat, & allatis probat rationibus. Incertum tamen vsque in hunc diem extitit cuiusnam vtriusque Authoris illius potior sit opinio.

b Rat. ad art. 221. antiq. Consuetud. Pictauiens.

c Chopp. de Priuilegiis Rusticor. lib. 3. part. 3. cap. 1. num. 4.

Porrò notandum est Cognitores hos-ce Causidicos, etsi iuratos in Senatu, nouum tamen apud eam quam deligunt sedem dicere sacramentum, eo quod Cognitoris munus si spectes, iniurati fuerint.

CAPVT XXIV.

An Aduocatis liceat vbique Cognitorum obire munia?

At vnde-nam præcipuum illud, si tamen præcipuum est, curue Sedium aliquarum matriculæ non omnium? Constat sesqui ante-hac sæculo Cognitorum munus nondum in titulum euasisse, quapropter in plerisque Prouinciarum Tribunalibus ipsi-met Aduocati nedum Causidicinæ, sed Cognitoriæ etiam industriæ professionem implebant, nullo prorsus intercedente. Cùm autem erecta *a* fuissent in Prouinciis eorum Magistratuum imperia, qui à nobis *Præsidiales* nuncupantur, iamque delectus faciendus esset virorum qui apud nouas eorum sedes Cognitores agerent, Andensis Prouinciæ Aduocationes anno altero impetrauerunt *b* à Principe postulationis, quâ priscis gaudebant temporibus, non immutari formam; & quasi haud modicum litigantibus accederet subsidium è bina illa coniuncta functione, Aurelianensi *c* demum Edicto data est omnibus Aduocatis licentia, agendi Cognitores. Attamen duodennio post, quasi eumdem Principem illius-ce pœnituisset Edicti quod ab ipsomet promulgatum fuerat, *d* interdicta sunt quodammodo Aduocatis Cognitorum officia, idque quò facilior fieret Cognitorij muneris in titulum erectio; siquidem Causidicis

a *Et en outre pour le soulagement de nos sujets, &c. Et auant que de receuoir aucuns d'iceux Procureurs par lesdits Iuges, sera examiné & approuué tant en probité que sçauoir, trouué & iugé suffisant par ceux dudit Siege ou la plusspart d'entr'eux, & faudra expressement qu'il ait suiuy la pratique par l'espace de cinq ans, &c. Henry II. & l'Edit de la creation des Presidiaux de 1551.*

b *Lettres patentes d'Henry II. du 8. Aoust 1552. verifiées le 19. Ianuier ensuiuant: Inserées & rapportées par Chenu tom. 1. des Offices, tit. 27. chap. 125. tom. 2. tit. 34. chap. 3.*

c *Pour le soulagement de nos Sujets auons permis aux Aduocats de faire l'vne & l'autre charge d'Aduocat ou Procureur.* Ordonnance d'Orleans art. 58. de Charles IX. en 1560.

d *Et parce qu'en aucuns Bailliages &c. les Aduocats pretendent que de tout temps & ancienneté, & aussi suiuant ce qu'il leur est permis par nos Ordonnances faites à Orleans l'an 1560. ils peuuent faire la charge d'Aduocat & Procureur, & qu'il n'y a eu esdits Sieges aucuns Procureurs postulans*

qui ayent fait separement ladite Charge, nous auons permis aux Aduocats qui voudront retenir la charge de Procureur, d'en continuër l'exercice comme ils ont fait cy-deuant, en prenant sur ce & non autrement nos Lettres de prouision dedans deux mois, &c. Edit de Charles IX, en Iuillet 1572. *verifié le* 16. *Aoust ensuiuant.* Dans Chenu. tom. 2. des Offices chap. 1.

nouo illo Edicto non licuit Cognitores in posterum agere, nisi acceptis ad id à Principe Codicillis, proindeque numeratâ pecuniâ. Seu tamen difficultatem in progressu passi fuissent venalis Sanctionis promotores; seu qualibet aut gratiâ aut pecuniâ sese redemissent Andes, Cænomani, adiacentesque Prouinciæ, tamdem *e* Henricus Magnus Edicto cauit, ne amplius his-ce in populis Aduocati, Cognitores in foro agerent, quam tamen Sanctionem quarto pòst mense abrogauit, litterarum necessitate ab eadem impositâ, in indictam conuersâ pecuniam.

Extunc multiplex variarum Sedium enata est, postulatio dicam an ambitio; cùm adinstar Andensis, Cænomana, aliarumque adiacentium sibi licere contenderent Aduocatos habere Cognitores, litteris saltem à Principe impetratis; & vindicias *f* quidem penes Cognitores Præfecturæ Turonensis Senatus dedit, donec aliter placuisset Principi generali quod sperabatur edicto decernere; moxque diffinitiuo, vt author est Corbinus, *g* iudicio Aduocatos ab ista sua petitione summouit; sed tandem venali sanctioris Consistorij decreto cunctarum sedium Aduocatis permissa *h* est Cognitoriæ functionis potestas, & libertas, Codicillis dumtaxat à Rege impetratis, numeratâque Sanctionis illius suggestori pecuniâ.

e *Edit d'Henry IV. du mois de Ianuier* 1596. *verifié en Parlement, le Roy y seant le* 21. *May* 1597. Chenu ib. chap. 4.

f *Edit en forme de Declaration contenant reuocation du precedent en Septembre* 1597. *verifié en Parlement, en la Chambre des Vacations le* 16. *dudit mois.* Chenu ib. ca: 5.

g *Arrest du* 16. *Iuillet* 1605. *dans Chenu des Offices to.* 1. *tit.* 24. *chap.* 125. *sur la fin: rendu en suitte de l'Arrest d'appointé, du* 17. *Février audit an, rapporté par Mornac.* Cod. tit. de procuratorib.

g *Arrest du* 28. *Nouembre* 1606. *qui est le* 69. *dans Corbin.*

h *Arrest du Conseil d'Estat, tenu à Fontainebleau, le* 2 *Iuillet* 1609. *dans Chenu des Offices. to.* 2. *tit.* 31. *chap.* 1. *Il rapporte en suitte, les raisons deduites par les Aduocats, sous lesquelles ils pretendoient deuoir estre admis à exercer les deux charges.*

Acrior igitur Aduocatorum Prouincialium euasit ambitio à nouo illo placito excitata, sed infœlici prorsus exitu, inconsulto siquidem Senatu laruata hæc boni publici fultura prodierat. Habeo in schedis memorandum ea de re exemplum. Tyro quidam adolescentulus impetratis in vim placiti istius Codicillis, admissus est à iudice geminam Aduocati & Cognitoris impleturus functionem; sedis nomen deest: Appellat tamen Curiam Cognitorum Collegium, cuius intercessionem Magistratus depulerat; Et hi quidem Girardo perorante, propriam ex edictis Regiis tutabantur causam; At iuuenis veniâ pro se-met-ipso fandi impetratâ, strenuè & scitè Causidicorum lamentatus est fortunam, qui nauiter in addiscendis litteris impensâ operâ forum ingratum haud secus ac si sterilem coluissent agrum experiebantur; Cognitoribus, interim, litteratæ militiæ debitos fructus adeptis; se Codicillos impetrasse à Principe, quibus si gaudere non sineretur, saltem sibi concederetur optio vtrius uis mallet functionis, quo casu, se Cognitoriam eligere. Replicabant partes aduersæ iam in immensum se creuisse nume-

rum; tandemque Seruino annuente imò rogante iuuenis summotus *i* est, vetitusque à quo appellatum fuerat Iudex, Cognitores vllos admittere, donec qui tunc agebant ad quinquaginta deuenissent. Subdunt schedæ, Virdunium Protopræsidem alloquutum fuisse Tyrunculum, eique dixisse, num apud Senecam legisset virtutem *l* non exerceri ad præmium; se-met-ipsâ quippe quasi mercede amplissimâ contentam? Ageret igitur strenuè & fortiter; tunc à Cognitoribus requirendum, cùm peritus euasisset; fori Romani validum athletam legem de spernendis diuitiis primum suasisse; nec perperam cum Elephantis comparandos Aduocatos, quibus non prius edendi competeret animus, quam cùm dentes excidissent.

Cato Censorius.

Vidi sanè ego iam Tyrunculus iuxta Talæi rogationem summotum à simili petitione Causidicum, quem Thoarsiæ *m* Præfectus Curiæ, intercedente licèt Cognitorum Collegio, ad binam functionem obeundam admiserat.

i *Arrest du Mardy 19. Iuillet 1611. autre Arrest du 19. May 1615. par lequel iugé que les Aduocats & Procureurs de Nogent feroient séparemẽt leurs Charges.*

l Virtutum omnium pretium in ipsis est; Non enim exercentur ad præmiũ; rectè facti, fecisse merces est. *Senec. epist. 81. vers. med.*

m. *Arrest du Mardy de releuée 17. Avril 1646. conformement aux conclusions de feu Monsieur l'Aduocat General Talon, pour la Communauté des Procureurs du Siege de Thoüars.*

CAPVT XXV.

Forum frequentandum.

Æmulamini igitur, quotquot iam estis iuuenes, sublimiora charismata, & sedium quas elegistis alligati moribus, satagite vt per idonea Tyronum exercitia perfectam aliquando impleatis militiam; sed dum hæc vobis proloquor, agnosco me sensim ad vltimam huiusce libelli deuenisse partem, absolutaque in forum deductione vestrâ, iam quæ vobis à Maioribus assignata fuerint officia delibare. Agamus ergo veraciter & strenuè; prudentem & sensatam tanto operi admoueamus dexteram, eâ tamen semper adhibitâ cautione, vt nil adducamus, quod vel Maiorum non instituerit prouidentia; vel Senatus non ordinauerit prudentia; Non enim idealem dumtaxat fingimus Aduocatum, non Platonis ciuitatem exponimus, non Tullij proponimus Oratorem, verbosâ ingeniosâ-ue splendidius vtrumque opusculum industriâ, quam veritate vllâ, ideoque plus nociuum quàm commodum; quid enim aliud est viam virtutis quæ non datur præscribere, quàm impossibilem illam efficere? Apage, commentum & fictio; apage idea & fabula; veritas à nobis exquiritur, non enim imaginaria nos decet perfectio, sed infucata, sed certa, sed iusta, sed solida.

Primum autem quod Maiores commendauere Tyronibus exercitium, fori frequentatio *a* est; præuiderunt quippe rudiores athletas & exemplo informandos & excitandos stimulo, quod vtrumque haud melius potest absolui quàm certantes in palæstra, in circo, in agone, & intueri, & obseruare; En locus, vt iam diximus, locus, inquam, peculiaris illis cedit, è Maiorum instituto, è Cu-

a Vid. infr. cap. 29. litt. *a*

riæ decreto; è quo velut è campi repagulis & ſpectent & audiant. Accedite Iuuenes, veſtra id poſcit eruditio, veſtra inſtitutio, veſtra profeſſio; ſed & leonum cœtus inuitat & Heroum, quinimò & Senatus ipſe, quem nemo non neſcit veſtrâ cingi coronâ, ſtipari turmâ, vallari turbâ & cupere & gaudere. Quoties & manu & voce viatoribus Protopræſes imperat è cancellis depellere intogatos, vt aſſignatæ vobis pateant & partes & ſedes? Sed eheu! molliores ſæpius iuſſa illi excipiunt, rariores abſoluunt. Sanè ego non ſemel ab illis vt intra cancellos me reciperem duriori pulſatus verbo, cur non, aiebam, veſtro nos Tyrones iuuatis miniſterio, vt inuaſoribus deturbatis, quem nobis Senatus dedit, toga depoſcit, locum tenere valeamus? Sed amodò ſperare eſt, liberiorem tamdem vobis Curiæ ſolertiâ fore locum & campum.

Cùm autem forum frequentare nobis inculcatur, non vnicum dumtaxat, ſed quodcumque in ciuitate Tribunal inſtauratur, debet intelligi; multiplex enim á vobis ſperatur Patrocinium, & vbicumque, ſaluâ decentiâ, poſſunt agere Cauſidici, inibi & Tyrones locum occupare glorioſum eſt. Inſpicite Athletas priſcorum temporum; pugilatus, lucta, curſus, ſaltus, iaculatio ſucceſſiuè eos tenebat, quibus ad omnia vires adeſſent. Haud abſimiliter, varia ſunt fori noſtri exercitia; variaque exercitiorum materia; alia nempe apud Triumviros, alia apud Recuperatores aut Præfectos, alia in Senatu, alia in Vectigalibus, alia in Criminali Auditorio, alia in Ciuili Iudicio, & prudentia adhibetur, & doctrina explicatur, & forma vſurpatur, nonne & eo conſilio tum horæ diſcretæ, tum dies diſtinctæ ſingulis aſſignatæ ſunt poteſtatibus, vt & Patroni agere, & Tyrones adeſſe haud aduerſo quirent tempore?

CAPVT XXVI.

Quâ decentiâ forum adiri debeat?

SEd quis diſtinctum ferret Tyronem vel ad ſigna conuolare, etſi non decertaturum, ſed ſolummodò ſpectandum? Num vel è neglecto procinctu, ignauia; vel è fatuo acceſſu, ſocordia; vel è temerario auſu procacia notaretur & damnaretur? Statio etenim expeditum, caſtra inſtructum, ſigna cataphractum & probant & poſtulant. Quid-ni ergo ſuos etiam milites forum depoſcat, & togâ ornatos quaſi loricâ; & birro criſtatos, quaſi caſſidâ? Indices, ſanè, vt Tertulliani *a* fert ſententia; cuſtodeſque dignitatis ſunt habitus, adeo-ut ſicut olim Seuerus Cecinna grauiter impreſſit Senatui, MATRONA SINE STOLA IN PVBLICO. Sic & pridem Senatus grauiter nobis inculcauerit: ADVOCATVS SINE TOGA IN FORO.

Nec infrequens extitit ea de re tum *b* ſupremarum tum inferiorum Sedium prouidentia, vt paſſim è noſtris ſcriptoribus aduertere eſt, quapropter non tam ego decreta pronuntiata referam, quam illa ipſa-met religioſè obſeruata. Vixdum igitur Tyrunculus, vt

a Quoniã quidem indices cuſtodeſque dignitatis habitus. *Tertullian. de Pallio. cap. 6.* Habes ſpectare quod Cecina Seuerus grauiter Senatui impreſſit; matrona ſine ſtola in publico. *Idem ibi.*

b *Arreſt du Parlement de Paris du 6. Octobre 1550. dans Pa-*

pon liu. 6. tit. 4. Arrest 2. Autre du Parlement de Tholose du 15. Mars 1604. dans Chenu des Offices. to. 2. tit. 31. chap. 2. Escorbar. tit. 16. ch. 8. autre encore de Tholose du 23. Nouembre 1609. dans Maynard. liu. 19. chap. 59.

quæ de foro frequentando audieram adimplerem, non tantùm Basilicæ Palatinæ Tribunalibus, sed statis etiam feriis Præfecturæ Parisiensis sedibus aderam; his tamen maiori incommodo, Cognitor enim in cuius theca byrrum habebam asseruatum adeo morosus erat, vt aliam à sua, nemini clauim esse pateretur, sic ergo importunior mihi erat byrri vel extractio, vel reconditio, maximè cùm haud multis implicatus ille negotiis, & rariùs accederet & tardiùs; verùm, vt trita vult sententia, qui hospitatur, non imperat sed supplicat. Nonnulli itidem Contyrones mei eamdem frequentabant Curiam, addiscendi, quo ferebamur omnes tanto regnante studio, vt nonnisi ægrè secederemus è cancellis. Quâdam autem die, & illi, qua de causa haud memor sum, & ego præfatâ vigente molestiâ, non birrati sed galerati inuenti sumus; foro sic nos assidere indecentia videbatur; discedere verò nec audire perorantes, molestia. Ingressi igitur cancellos, galeris depositis, nudo aliquamdiu adsedimus capite; sed cùm hyemis tunc sæuientis rigidior esset tempestas, tamdem cohortantibus inuicem nobis-met-ipsis, galeros cuncti assumpsimus. Id vt animaduertit Propræfectus, paululùm sustinuit, moxque è proximè sibi assidentium sententia necnon impulsu, palàm nos compellauit, an eo capitis ornamento forum deceret accedere Togatos, & an quemquam nostrum lateret forensis habitus modestia & dignitas? Confestim, detractis omnes galeris (quatuor eramus, si benè memini) sedimus vt antea nudis capitibus, rubore quidem perfusi, sed non minori ad audienda quæ dicebantur sedulitate adhibitâ. Quis fuit illius nostri & pudoris & sedulitatis exitus? Propræfectum mouit, & flexit; vt enim agnouit nullum è nobis recessisse, sed eâ quâ dixi modestiâ & diligentiâ perstitisse attentos; studiosos virtutis animos non putauit vllâ actos fuisse procaciâ, deque assidentium consilio, opertis nos iussit pergere capitibus; cauere tamen ne in posterum sine byrris accederemus; Ea fuit Iudicis illius solertia, quæ & dignitati habitus, & virtutis studio quantumcumque pro nata occasione seorsim dari potuerat impertita, dum galeratos vnâ horâ nos adesse sustinuit, in posterum accedere deterruit.

Rigidior autem Protopræsidis Molæi disciplina fuit & sententia. Aderat intra aream quidam Tyrunculus, tabulato insidens, ferèque iacens, vt sępiùs cuiuis accidit, dum celebrior expectatur actio vel editur; byrrum equidem non attulerat, sed aperto prorsus capite, galerum etiam Togâ obuoluerat. Contigit tamen id aduertere Molæum, protinusque & verbo & seueriori nutu suffusum pudore iuuenem secedere coëgit. Suprema sanè in supremo magistratu laudanda est rigiditas; at summo imperio illa exegit, quæ benignior in inferiori iudice indulgentia, moderato obtinuit arbitrio.

Id si ita est, dicet aliquis, quid de vlmeis, quales nos sumus, definiendum erit Causidicis? Audi quisquis es & sustine, Causidicum de quo postea, nondum explicamus, sed Tyronem; Tyronem, inquam, quem tum è dictis tum è dicendis satis patebit, nequaquam è Maiorum sententia, sub vlmo informari posse. Non noctis

vnius, ceu fungi eductio, Togati educatio est; cunæ sunt illi Curiæ, si non Senatoriæ, saltem Prouinciales eruditæ, in quibus aut heroum aut virorum lacte enutritus, solidioris postea cibi se-metipso si lubet ministratore capax euadat. Si igitur nonnisi sub vlmo tyrocinium quis potest agere, toga cedat potius quàm fulgeat, titulo, inquam, Aduocati renuntiet, quem non sumere satius est quàm non implere; vas enim honoris est non contumeliæ; dignitatis non dedecoris; scientiæ non inscitiæ.

CAPVT XXVII.

Quis & vnde inter Aduocatos gradus sumitur?

FOrum igitur adeundum est, & decenti quidem habitu, sed quo in loco sistendum est aut sedendum? Frequentior sanè defertur è Prouinciis ad Senatum super ea re nedum quæstio, sed & querela, cùm in Senatu nullam prorsus faciant sibi Tyrones de loco molestiam, sed vnusquisque præoccupato gaudeat; Attamen cùm eadem quæ de loco, de gradu quoque suboriatur difficultas, disquirendum nobis est, quisnam ipsos inter Togatos & in foro & in iis quæ fori sunt, statutus fuerit gradus tum à Maioribus tum à Senatu. Ipsos dico inter Togatos, quinto enim demum libello, si Deus dederit, explicabimus quomodo, quantum ad hoc, Togati cum exteris se habeant.

Primum igitur quod à Maioribus accepimus super ea re scitum & dictum, IN FORO ET IIS QVÆ FORI SVNT, ORDINEM SERVARI MATRICVLÆ innuit & præcipit. Quomodo, dicet aliquis, itane crudum & indigestum affertur nobis hoc adagium? Non natales igitur spectabuntur, non litteræ, non laureæ, non palmata facundia, non anteacta munera, non accessa imperia, non dignitas impetrata? Siccine vel in ordine inordinata quæque feruntur & probantur? At nos exclamamus, tibique succlamamus iure meritò; O! crudum, non edulium sed stomachum, dignaque prorsus inordinatâ mente & ambitio & stomachatio! Ordinem expetisti & admissus es; postulasti, & acceptus es; exorasti, & ingressus es. Iam igitur, intra-ne fori atria, togæ spatia, ordinis exercitia nobiscum vesceris aggregatus? Si fateris, maneto in ordine: nilque cogitato quod vel *a* supra sit vel extra; alioquin, si quicquam adduxeris quod vel supra vel extra sit, iam ex ordine te subtrahis, iam ab ipso deficis.

a Quis enim in vno eodemque genere dignitatis prior esse debuerat, nisi qui prior meruit dignitatem. *Et paulò post*, quia nihil altius dignitate. *l. 9. Co. de Consulibus & lib. 12.*

Natales autem, dum dico, non promiscuos dumtaxat intelligo, sed & Togatos: FIVNT ADVOCATI NON NASCVNTVR, nec fori hæreditas à patrio cuiusquam aut stemmate splendet aut sanguine. Sibi ipsa sufficit & satis est; teque, si dubitas, tum *b* Ambianenses,

b *Arrest du 23. Ianuier 1646. au roolle d'Amiens en faueur des nommez Fragnier & Montignon Aduocats receus en la Cour, anterieurs en matricule appellans, contre vn nommé le Caron, receu aussi Aduocat en la Cour, & posterieur en matricule; mais fils d'vn ancien Aduocat, & à cause*

qu'il estoit fils de Maistre, ayant obtenu la preseance par Sentence du Presidial d'Amiens, inthimé: par lequel en infirmant le Iugement, la Cour conformement aux conclusions de feu Monsieur l'Aduocat General Bignon, ordonna que les Appellans precederoient l'Inthimé, suiuant la datte de leur matricule, & que suiuant la mesme datte ils luy seroient preferez és exercices & fonctions du Barreau. Le Caron plaidoit pour l'inthimé; Lhoste le Ieune pour les Appellans: qui remonstra que le mesme auoit desia esté iugé par Arrest de l'an 1635. pour vn nommé Roussel Appellant, de pareille Sentence du Bailly d'Amiens, auquel la Cour auoit adjugé la preseance contre vn nommé Rogeot fils de Maistre; & que ledit Roussel seroit receu au Siege dudit Bailliage sans faire nouueau serment ny payer aucuns droits. Monsieur Bignon dit que le mesme auoit esté iugé par Arrest entre les Aduocats du Siege de Saumur.

tum Salmurienses Tyrunculi edocebunt, Aduocatorum filios, ab ea pridem summotos fuisse prærogatiua sedis & honoris, quam ex antiquatis apud nos Leonis & Anastasij sanctionibus sibi perperam deberi contenderant.

l.11. §. 1. Co. de Aduoc. Diu. iudicio. l.13 §. 5. Co. de Aduo. diu. iudicum.

Quantùm ad ætates, quis, quæso, tibi sensus est vel eas reminisci? Quâ enim fronte conqueri audes eos tibi antecedere, quibus sciens & prudens non erubuisti accedere? Te-ne vllus acciuit, postulauit, allexit, pellexit? Apostolico * saltem erudire instituto; & dum natu majorem, minorem noueris è posteriore sua accessione designatum; gradus seriem in forensi familia interturbare tibi sit religio.

** Iacobus qui maior appellatur, ætate minor erat, sed vocatione posterior.*

Litteræ item haud spectantur, sed nec laureæ; Esto, sint antiquiores Codicilli, sit sublimior doctoratus; schola sibi vindicabit quod Academiæ est; sed forum, quod Togæ; testemque si popofceris; quis tibi oliuam *c* è Chassaneo respondentem inuidebit?

Sed nec facundus vllus, quemquam infacundum aut silentem vincere gradu postulabit & loco, si se recentiùs ascriptum agnouerit; gloriâ enim vnusquisque alterum superare tentat, gradu, nec cogitat, pluresque in foro, velut in domo liberi vnicum, è quo nati sunt, prospectant sinum. Esto; mammæ eidem affixi gemelli, inæquali indolis robore lac sugant, ideo-ne natu maior minor euadet, si fiat infirmior? Vult sanè apud nos fidei disciplina sicut & poli, vt & manducans ieiunantem non spernat, & ieiunans, manducantem non iudicet; palma, laboris & industriæ merces est; gradus, natiuitati cohæret & partui; crescere potest in donis & imperio qui secundogenitus est; at primas partes auferre non debet primogenito, nisi ius suum aut distrahenti, aut abdicanti.

14. Rom. 3.

Denique, fulgeas licèt Magistratu, imperio, comitiuâ, ista hæc omnia tibi extra forum & sunt & cedunt. Fasces, Aduocatus non sibi requirit præuias; veneratur, non subsequitur; stat non sedet; postulat non dat; orat non imperat; vtere deforis si lubet iure tuo; sede, inquam, impera, iudica: At quandiu Togatus eris sicut & ego; audacter iam tibi dicam; ad tribunal Cæsaris sto, ibi me iudicari oportet; Cæsarem appello iudicem, non vt Togatum inter & Magistratum dirimat, sed vt Aduocatum inter & Causidicum secernat. Quomodo autem si non è gradu? Et sanè, si Martillerij &

c Par les Arrests de Reglement les Aduocats qui sont Docteurs ou Licétiez, precedent en toutes Compagnies les plus anciēs, s'ils ne sont que Bacheliers; & leur cedent neãmoins les premiers rangs dans le Barreau, où la dignité du degré n'est pas considerée, mais l'ordre de la matricule. D'Oliue actions forens. 3. partie action. 2. pag. 109. de l'Edition de 1656. & les Notes sur lesdites actions. pag. 353. col. 1. Inter Aduocatos, Doctores sunt præferendi Licentiatis; Licentiati Baccalaureis, quod intelligitur de ordine qui extra Curiam seruatur; nam in foro seruatur ordo matriculæ. *Chassan. in Catalog. glor. Mun. 7. part. 47. & 48. considerat.*

Arnaldi te non moueant exempla, saltem Curiæ *d* doceant iudicia.

Vnicum exceptionis istius regulæ Ambiana tantùm sedes nostrâ hâc ætate dedit exemplum, in Bello-querceo, nimirum iudice *e*, cui cùm ex antiqua consuetudine, cæteris illius-ce (Ambianæ dico) Præfecturæ Aduocatis licèt matriculâ anterioribus, præ-ire concessum fuisset: in hac-ce prærogatiua decreto Curiæ seruatus est; citra tamen exemplum, vt adiectum est, ratione etiam peculiari à Protopræside post recitatum decretum explicatâ, quod scilicet, Iudex ille in foro actu militans, sexdecim iam annis assiduo labore decertasset.

Alterum quod à Maioribus acceptum seruatur etiam hodie institutum, ita se habet: SVPREMI SENATVS MATRICVLA, LICET POSTERIOR, SVPERIOR TAMEN ESTO. Fremant ergo licèt inferiorum sedium Aduocati, sibi tamen eos anteire patiantur necesse est, quos Senatoria, etsi recentior, matricula sublimat; quasi in fori etiam exercitiis, vltimum supremi, supremum infimi vincat & superet. Extat autem ea de re Curiæ decretum quod apud Canutium cuique videre liberum est.

Iam verò, dicet aliquis, ista omnia rectè se habent; quid autem si vel in Senatu vel in qualibet sede, plures in eadem matricula concurrant, ita vt nec die, nec horâ, alter alterum aut præcedat, aut sequatur? Video selectos è columnis Aduocatos, nonnihil dum super ea difficultate cœtu facto deliberarent, hæsitasse; & visum quidem est illis, è Patronorum *g* diuerso gradu dirimi posse quæstionem, quoties à pluribus Patronis inuenirentur assignati iuuenes; si verò ab vno eodemque, tum aut è codicillorum tempore, aut ex ætate concurrentium, aut è sortitione fortuita: imò fore tutius, si ipsimet concurrentes admonerentur, quâ honestiori quirent viâ, acriorique seposito conflictu, quem quisque teneret gradum inter se componere; adeo nonnumquam inextricabilia occurrunt dubia.

d *Arrest du 22. Iuin 1610. par lequel iugé que hors le Siege & en tous actes publics l'Enquesteur precederoit les Aduocats; mais qu'estant appellez à la Chambre du Cõseil pour vuider les procez & és autres fonctions du Barreau, ils opineroient, seoiroient & agiroient suiuant l'ordre & datte de la matricule. Pour le Siege de Nyort. Autre Arrest du Lundy 28. Nouembre 1622. par lequel iugé qu'vn Aduocat Controolleur du Domaine n'auroit rang au Barreau que du iour de sa matricule, quoy qu'és assemblées publiques & particulieres, il precedast les Aduocats. Autre Arrest du Lundy 31. Mars 1629. par lequel iugé qu'vn Aduocat qui ayant esté Iuge vouloit reprendre la fonction d'Aduocat & auoit resigné son Office, n'auroit autre rang que celuy de sa matricule.*

e *Arrest du Mardy 16. Ianuier 1635. plaidans Lhoste le Ieune & du Fresne, par lequel iugé contre les Conclusions de Monsieur l'Aduocat General Bignon, que du Fresne Aduocat à Amiens, auroit seance au Barreau auparauant les anciens, dautant qu'il estoit Preuost de Beauquesne, & à cause de ladite qualité, luy & ses predecesseurs auoient eu tousiours la preseance dans le Barreau d'Amiens: sans neanmoins tirer à consequence, & attendu qu'il y auoit seize ans qu'il estoit receu Aduocat, ainsi qu'adjousta Monsieur le premier President le Iay.*

f *Sur le differend meu pardeuant le Iuge de Guyse entre trois Aduocats pour les preseances, vn receu au Siege de Rheims en 1593. & qui y auoit plaidé; l'autre au Siege de Ribemont en 1597. & le troisiéme receu en la Cour en 1598. Tous trois du depuis retirez & habituez à Guyse, le Iuge ordonne que chacun d'eux tiendroit le rang du iour de sa reception; appel par le dernier receu en la Cour; Par Arrest du Lundy 27. Nouembre 1600. l'appellation & ce dont estoit appellé au neant, emendant, ordonné que l'appellant precederoit les Inthimez. Plaidans Germain pour Maistre Fabien de Martigny appellant; Richelet pour Maistres Michel de Lestrée & Isaac Gaucher inthimez.* Chenu des Offices. to. 1. tit. 32. chap. 194. adde sup. cap. 29. litt. *a*

g *Touchant les Aduocats concurrens en mesme datte de matricule, on a estimé que l'on deuoit mettre les premiers en ordre ceux qui se trouueroient presentez par le plus ancien Aduocat; mais pour*

ceux qui se trouuent presentez en mesme iour par vn mesme Patron, l'on auoit proposé de preferer ceux qui seroient plus anciens Licentiez ou qui seroient plus âgez, ou de s'en rapporter au Patron s'il se pouuoit souuenir de l'ordre dans lequel il les auroit presentez, ou de regler les choses par le sort; mais enfin l'on a iugé plus à propos de prier ces Messieurs qui se trouuent en mesme concurrence de regler eux mesmes leurs rangs par les moyens les plus conuenables. Conference extraordinaire du Samedy 10. Septembre 1661.

CAPVT XXVIII.

Quibus de causis Aduocati soleant gradu cedere?

AT siquidem de gradu & loco tum in foro, tum in iis quæ fori sunt, inchoatus sermo est; é re nostra videtur eodem inquirere tramite, num aliquando, citra tamen delictum, citra culpam, citra crimen, citra iudicis officium, eo cedant Togati loco, quem singulos è sua matricula vidimus obtinere? Quæ quidem quæstio eò pertingit, num secedens ad tempus è foro Causidicus, seu munere quodam suscepto, seu tantùm quia sic è sua re putat, gradu cedat omnino, ita vt, nouâ, si forum repetere cogitet, opus sit illi matriculâ? Sic autem paucis, rem totam explico.

Ius semel è matricula quæsitum sine facto suo non potest Aduocatus amittere; secedat igitur qui volet, nedum ad triennium, sed etsi libuerit ad decennium & amplius, nequaquam illa simplex absentia, in qua, vt ponimus, nil prorsus agit, nocet matriculæ, quotiesque Togam resumere voluerit, gradu, quem primùm tenuit, securus gaudebit & quietus, nec vllo, quantùm ad hoc, cuiquam opus est commeatu. Voluntatis enim, libertatis, facultatis, ingenuitatis Aduocatio nostra exercitium est; nullo concluditur numero; nullo grauatur officio; nullo angariatur vinculo; nullo angustiatur aut spatio aut termino; perpetua est, si placet; temporaria, si lubet: glebam nescit addictionis; onus ignorat necessitatis; legem haud patitur perennitatis. Da supernumerarios, si statuti nulli sunt. Da statutos, si vniuersi, sui sunt, Fœlicior igitur quantùm ad hoc è Maiorum instituto professio nostra est, quàm prisca Romana *a* ex Augustorum arbitrio.

Quid si ad aliam Præfecturæ sedem Causidicus abeat? Noua-ne eò loci impetrata matricula priori officiet? Exscribit *b* Guenosius alicubi Curiæ Placitum, quo non officere pronuntiatum est. Miror tamen quomodo Mornacius *c*, quem alterum è perorantibus nominat, illud tacuerit, in explicanda Iustiniani lege.

a L. 7. §. 2. l. vlt. Co. de Aduocat. diuerso. iudicum.

b *Maistre Iean Godé receu Aduocat au Siege d'Issoudun, le 17. Aoust 1565. se retire en vne Iustice subalterne, & y exerce la fonction d'Aduocat: En 1581. prend femme audit Issoudun, y retourne & se presente au Barreau; par Arrest des Grands Iours tenus à Clermont en Octobre 1582. plaidans Mornac & Bernard, ordonné qu'il y auroit rang & seance du iour de sa reception en 1565.* Guenois Conference des Ordonn. liu. 2. tit. 6. num. 12.

c Vid. Mornac. ad l. 4. §. vlt. Co. de Aduocat. diuerso. iudicum.

Si verò munus aliquod suscipiat, distinguendum; aut enim honoratum est, tuncque gradum quidem retinet Togatus, sed ex ac-

cessa dignitate non promouet, vt iam satis edocuimus *d*, Curiaque non semel iudicauit: aut vilius existimatur quod nactus est exercitium; & eo casu, quamdiu perstat in exercitio, secluditur à foro, ita vt, interim, gradus dormire seu interquiescere videatur; Tales sunt Amanuensium in actis *e* forensibus operæ potius quàm functiones, siquidem conductionis titulo & possidentur & exercentur.

d Vid. sup. cap. 27. litt. *d*

Quantùm ad eos qui spretâ dignitate matriculæ alienarum Instigatores litium euadunt, indigni adeo videntur ingenuitate Aduocationis *f*, vt saniorum Togatorum iudicio, ex albo eradi mereantur.

e Iugé par Arrest du Ieudy 21. Mars 1619. pour la Communauté des Aduocats du Mans, plaidans Doujat & Tilier, qu'vn Aduocat qui estoit Commis du Greffe ne pouuoit pendant son Bail faire la fonction d'Aduocat, non seulement en la Iurisdiction, dont il exerçoit le Greffe, mais aussi és autres.

f *Solliciteurs sont exclus du Barreau; Substituds, sont Offices compatibles auec les fonctions d'Aduocat; Greffiers en Chef, ou Commis en sont exclus.* Conference extraordinaire du Samedy 10 Septembre 1660.

CAPVT XXIX.

Tyronum audire est.

TAmdem locum & gradum adeptis Tyronibus, quid in foro sit agendum explicemus. Paucis autem eorum exercitia Maiores *a* complexi sunt: PER TEMPVS, aiunt, SVFFICIENS, ADVOCATOS ANTIQVOS ET EXPERTOS DILIGENTER AVDIANT. Quo verò fine, mox subiungitur, VT, nimirum, SIC DE STILO CVRIÆ ET ADVOCANDI MODO PRIMITVS INFORMATI, SVVM PATROCINIVM PRÆSTARE ET ADVOCATIONIS OFFICIVM LAVDABILITER ET VTILITER POSSINT ET VALEANT EXERCERE. Denique quasi sua interfuisset posteris tradere illibatum, quod ipsimet à patribus acceperant; arcanam sacri illiusce instituti rationem, quam præmiserant, nunc affero, NE scilicet TYRONES SVSCEPTO IMPRVDENTER ADVOCATIONIS OFFICIO, ET DEDECORE SE-IPSOS ET DAMNO CLIENTES AFFICIANT. O veneranda nec satis vmquam laudanda patrum in filios, prouidentia & pietas! O sacra de pignorum institutione sollicitudo! O persancta de heredum integritate & honore cogitatio! Adsta, quisquis es, & sustine, si queas, tantæ sapientiæ tantos fulgores. Limen exornauimus, atria parauimus, ingressum expiauimus, nil à nobis omissum est quo maiestas interior vel è vestibulo suspiceretur; at prima hæc quæ ingressum appensa legitur tabella, expectationem nostram suâ religione simul superat & excitat.

AVDIANT igitur TYRONES, AVDIANT, inquam, SED ANTIQVOS ET EXPERTOS. Sagax prorsus & prouida mens. Quid Tyro in partu suo nisi massa confusior, vrseæ tamen adinstar linguæ efforman-

a Quia circa officium Aduocationis facti experientia & stili obseruantia multū prodest, Aduocati qui de nouos ad huiusmodi officium per Curiam recepti fuerint, abstinere debent propter eorum honoré, damnumque quod partibus forsan propter eorum negligentiam prouenire posset, ne ex abrupto & imprudenter Aduocationis officium exerceant; sed per tempus sufficiens Aduocatos antiquos & expertos diligenter audiant, vt sic de stilo Curiæ & aduocandi modo primitùs informati, suum patrocinium præstare, & Ad-

uocationis officium laudabiliter & vtiliter possent & valeant exercere. *Stil. Parlam. part. 3. tit. 15. §. 5. extat inter opera Molin. to. 2.*

da ministerio, at non cuius-vis; in vrsis etenim, totum id *b* maternæ sedulitati debetur, vt informis ex vtero delapsus globulus, eo solo absoluatur authore quo cœptus est, nec diuidatur affectus generantis & efformantis; sic & Tyrones paternæ, quæ materna ipsis est, instituuntur linguæ officio, vt, quemadmodum iam diximus, eos se gaudeant habere patres doctrinæ, quos nacti sunt togæ.

Massa verò illa, si tibi displicet, vtpote rudior, agedum, delibatum te dic animal & figuratum; non moueor. Cùm tamen in virum perfectum te euasisse ab vtero vix credere sit, nec ausis dicere, infantis partes assumas, statum subeas necesse est, cui vel à natura datum est lac concupiscere & sumere, donec solidioris edulij capax inueniatur. Mirum autem vel in hoc etiam quantùm fuerint nostræ educationis studiosi Maiores. Nouercales nescit Aduocatio curas in enutritione, quæ nonnisi maternos affectus habet in parturitione; non *c* extera nobis nutrix adducitur; non aliena mamma supponitur, non conductitia vbera apponuntur. Ipsa-met maternum sinum, proprium gremium, lac è visceribus natum & pandit & porrigit, nec exhauriri sua timet vbera, cùm iam sibi sciat tot mammas accrescere, quot pignora accedere. Magnos igitur vult à filiis attrahi spiritus; generosos omnes & strenuos fieri eos exoptat, & bonas singulis prætendit de futuris expectationes.

Duplex autem sub ea re latere mihi videtur mysterium. Et primum quidem totius ordinis membra tenaci ad inuicem pietatis alliganda vinculo notat & innuit; Quomodo enim antiquos de Tyronibus non gerere sollicitudinem quos lactare præmonentur? Quomodo etiam Tyrones non venerari antiquos è quorum lacte vescuntur! Sed potens admodum Tyrones, videtur pulsare sermo; Quid enim de illis Seniores nostri factis potius quàm eloquiis edisserunt? Hos-ce, aiunt, alumnos & lactentes iusta adeo existimamus pignora & agnoscimus, vt parentes sanguinis nostra vincat sedulitas, superet liberalitas. Post mortem equidem illorum, continuatur *d* in natis dominium, nos verò etiamnum viui, eorum quæ possidemus, alumnos possessores efficimus; magnum, imò permaximum videtur esse quod illi de suis liberis efferunt, QVIBVS *e* CVM VIVI NOSTRA PARTIMVR; Nos verò non tantùm cum alumnis nostra partimur, sed illis etiam, nostra impartimur. Nostra, iterum, adeoque nostra, vt licèt illorum fiant, nostra tamen esse non desinant. O paternitas & sermone potens, & opere! Da, quæso, acriorem stimulum quo Tyrones excitentur ad venerandos Seniores. Et sanè, id scitè adeo præuisum & à Maioribus, vt in tabella *f* iunioribus mandent antiquos honorare, quos audire iusserunt.

b Vrsa quidem fertur informes partus vtero edere, sed natos linguâ fingere, atque in speciē sui similitudinemque formare. Non miraris in fera tam pij oris officia, cuius naturā pietas exprimit? Vrsa igitur partus suos ad sui effingit similitudinem, tu filios tuos instituere similes tui non potes? *Ambros. 6. hexaem. cap. 4.*

c Parentes quidem aliis sæpe filios tradunt alendos, ego autem, inquit, non ita, sed carnibus meis alo & me ipsum vobis appono, vos omnes generosos esse volens, & bonas vobis prætendens de futuris expectationes. *Chrysost. homil. 61. ad populum Antiochenum.*

d Vid. l. 11. ff. de liberis & postumis.

e Quibuscum viui bona nostra partimur, iis prætor adimere nobis mortuis bona fortunasque poterit! *Cicero. 1 in Verrem post med.*

f Præfati Aduocati maioribus honorem præstare debent, & antiquis Aduocatis tam in sedibus quàm aliis deferre. *Stil. Parlam. part. 3. tit. 15. § 6. extat inter op. Molin. tom. 2.*

Alterum

Alterum mysterium, significat, deposci à iuuenibus Tyrocinium solidioris peritiæ, sincerioris doctrinæ, purioris disciplinæ. Apage schola *g* rerum & sententiarum inanissimo tumida strepitu. Procul hinc cruda & indigesta voti properati studia, phalerata-ue fucatæ eloquentiæ controuersiarum fictarum actiones; non Declamatores effingimus pueriles; non Asiaticos *h* instituimus Oratores; sed Causidicos informamus, sed Aduocatos, sed prudentes. Veris igitur non vmbratilibus intersunt Tyrones nostri præliis; nil minus patet eorum oculis quàm fabula; totum veritas est, actio scilicet non fictio; lis non commentum; pugna non ludus; sententia non iocus; decretum non figmentum; adeo-ut veram assequi Philosophiam per ipsa veritatum experimenta doceantur.

g Nunc & rerum tumore & sententiarũ vanissimo strepitu hoc tãtùm proficiunt, vt cùm in forum venerint, putent se in alium terrarum orbem delatos; & ideo ego adolescentulos existimo in scholis stultissimos fieri, quia nihil ex his quæ in vsu habemus, aut audiunt aut vident, &c. Nuper ventosa isthæc & enormis loquacitas Athenas ex alia commigrauit, &c. Quid ergo est? Parentes obiurgatione digni sunt, qui nolunt liberos suos seuerâ lege proficere; primum enim sicut omnia, spes quoque suas ambitione donant, deinde cùm ad vota properant, cruda adhuc studia in forum propellunt, &c. Nunc pueri in scholis ludunt, iuuenes ridentur in foro. *Petron. Arbit. in princip.*

h Vt semel è Pyræo eloquentia euecta est, omnes peregrauit insulas, atque ita peregrinata tota Asia est, vt se externis oblineret moribus, omnemque illam salubritatem Atticæ dictionis quasi sanitatem perderet, ac loqui penè dedisceret. Hinc Asiatici Oratores, non contemnendi quidem nec celeritate nec copiâ, sed parum pressi & nimis redundantes. *Cicero in Bruto. num. 33. fine.*

CAPVT XXX.

Quid in foro Tyronibus obseruandum?

At audire parum esset, si nihil aliud accederet auditioni, quapropter, dum velox ad audiendum Tyro deposcitur, vt aliorum informetur exemplo, instruatur verbo, eaque demum valeat implere quæ strenuum & potens in foro exigit Patrocinium, plura sanè quàm quæ auris capiat per dictionem illam, *audire*, innuuntur; id autem nemini dubium esse potest, iamque constat, obseruare antiquos & expertos Tyronibus esse mandatum, cùm illos audire fuit præceptum.

At quónam tendit illa obseruatio? Prudentem haud dubiè deposcit virum, licèt non perfectum, vt qui scilicet debeat inter multa secernere; meliora seligere; praua respuere; melleque necnon butyro in edulium assumptis sapienter colligere, intelligenter diuidere. Magnum sanè opus; at fructus maximi, quid enim Tyro in foro nisi quædam apis argumentosa, in patenti, diffusoque & innumeris penè luxuriante campo floribus cœlestem alimoniam exceptura? Agitatur quæstio illustris. Quot Aduocati, tot veluti campi mirâ suâ exornati varietate scientiarum, dumque alij aliis aut meliora aut fortiora æmulantur adducere, obseruantis sedulò Tyronis auris excipit, mens capit, dextra colligit intra breuissimum tempus, quidquid ferè in vtramque partem vel doctissimus vir, nonnisi peramplis euolutis Codicibus quiret inuenire. At

quod amplius est; è superueniente Curiæ Decreto, dubium antea natum, tunc agitatum videt dissolui, éque veritate desuper orta, quid deinceps in casu simili respondendum sit, eruditur & edocetur.

Accedit actionum sicut & agentium longè dissimilis & forma & gloria. Hæc enim iuris sacri & diuini illustratur notitiâ; hæc Gallicanæ obseruantiæ stylo fulcitur, peritiâ sustinetur; hæc tota in consuetudinis enodanda difficultate concinnatur; hæc in oratorio genere perficitur. Iterum ex ipsis perorantibus alius luculenter agit, alius fortiter; alius pollet eloquio, alius spreto ornatioris sermonis cultu, neruosa, si fas est dicere, iaculatur argumenta. Hic pauca multis explicat; hic multa paucis constringit & adunat. Quisque in quodam dum sibi peculiaris est, alios superat, rarusque exurgit qui cæteros vincat in omnibus à nullo victus vel in minimo.

Æmulamini, iam aiunt patres, quod maximum, quod optimum, quod supremum in vnoquoque est, & si fas est, attingite; Si verò aliquis militat, in quo minus quàm in quolibet desideretur; hunc ipsum imitamini, imò, super ipsum, si potestis, eleuamini, nam & hoc licet; Conchylius a sanè Marillacum, Paschasius b Mesnilium æui vltimi perfectissimos Aduocatos referunt, & quibus-uis Tyronibus proponendos.

At quod permaximi, ni fallor, momenti informandus Tyro æstimare debet, vultus est, spectare Iudicum & adstantium, ex ipso è quo perorantes agunt suggestu, sensimque ad hunc prospectum, ipsum se assuetum reddere; alius quippe, prorsusque nouus ex illo loco videtur cœtus & consessus, ni paulatim vtrique prospectando assuefiamus; perorantes igitur non semel Tyro premat à latere, se seque quasi aut tunc agentem aut mox acturum & fingat, & obfirmet.

Tamdem, sors Tyronum fortunatissima mihi videtur, cùm non imprudentes & inscij palæstræ exponantur periculis, sed ex aliorum casibus suam sinantur instruere militiam; Fœlix enim omnino is habendus est, quem aliena faciunt cautum pericula, doctum errata, saluum naufragia.

a *Et comme disoit ce tres-sçauant & tres-homme de bien Maistre Gabriel de Marillac Aduocat du Roy en Parlement, bon Regent des ieunes Aduocats qui assistoiét aux Plaidoyeries dudit Parlement.* Coquille sur la Coust. de Niuernois ch. 1. art. 5.

b *Entre tous ceux de mon téps ie iettois principalement l'œil sur M. Baptiste du Mesnil, lors Aduocat du commun, &c.* Dialogue des Aduocats. Confer. 3. parmy les Opuscules de Loysel.

CAPVT XXXI.

Silentium Tyronibus indictum.

NOn solùm audire & obseruare nostris indicitur Tyronibus, sed & insuper silere, quod vtroque illo non minus perfectum semper æstimatum est, quasi tria a illa verbula, tum honori tum mysterio ab Antiquis habita, digna prorsus & commendatione suâ & instructione nostrâ Maiores censuissent. At, mihi dicet aliquis, vbi-nam commendatio illius, quod nobis imponis silentij? Non mouearis, quæso, nec succenseas; appensam si legis tabellam, plus

a Audi, vide, tace.

sat de dicto conuinceris. En, non aduertis antiquorum auditioni mancipatos iuuenes non mense vno vel altero, sed per tempus sufficiens, monitosque abstinere à patrociniis, donec de stilo Curiæ & aduocandi modo sint primitùs informati? Illud autem si non silere sit, dic, quæso, quid sit, audire, inquam, & non orare?

Silentium ergo vobis indicitur, Iuuenes, sed silentium & foro dignum & claustro. Non anserinum illud est, non à fabula petitum, non à superstitionis mendacio deturpatum. Apage, tacita, *b* vana Romuli successoris idea, numen è nihilo conflatum, cessatio conficta diuinitas. Apage probrosa & obscæna in sacris *c* Eleusiniis commendata linguæ custodia; spurca mysteria, solo eoque magno sancta deputata silentio, vnicâ taciturnitate cœlestia habita, & è compressis labiis venerationem adepta. Apage denique & procul hinc Valentiniani *d* gloria silentij; falsis excusatum simulachris conuitium; totum impediti signaculum labij, depictæque patrocinio coactæ linguæ sacrilegium obscuratum; nil prorsus ad nos tetra hæc omnia, non enim cruciatur fori nostri aditus, non diutiùs initiatur quàm reseratur, nec suspendio cognitionis, maior veritate ædificatur opinio. In summa, nil clam fit apud nos, in occulto nemo loquitur, suggestum omnes ascendunt, & tot iudices habere gestimus eloquij, quot patrocinij impensi spectatores.

Quod igitur in tyrocinio silemus non pudor, sed sapor est; meditantis scilicet indicium animi, sapientiam adstruentis animæ signaculum; alta cogitantis & præparantis ingenij officium. Silemus iterum, indeque nobis & cum Philosophis nonnulla æquatio, & cum Therapeutis sancta æmulatio, quos omnes silentij obseruati, labij coacti, oris frænati, verbi ligati, sermonis compressi, eloquij cohibiti laudabile institutum & informat, & sublimat; silemus tamdem, non vt pudenda subticeamus, sed vt probè dicta, asseruemus; asseruata, cogitemus; cogitata, adstruamus; adstructa suo demum tempore proferamus.

b Numa Romanos docuit venerari Musam, nomine tacitam, id est, silentem, idque Pythagoræ exemplo, qui silentium tantoperè commendabat. *Plutarch. in Numa.*

c Erubesco enim in lucem proferre nocturna sacra, ac ex turpitudine mysterium facere; nouit hæc Eleusis, & silendorum verè silētio digna nouere Mystæ. *Gregor. Nanzianz. in orat. in sancta lumina post initium.*

d Valentiniani frequentissimū planè Collegiū inter hæreticos, quia plurimùm ex Apostatis veritatis, & ad fabulas facile est, & disciplina non terretur. Nihil magis curant quam occultare quod prædicant, si tamen prædicant qui occultant. Custodiæ officium, conscientiæ officium est; confusio prædicatur dum religio adseueratur. Nam & illa Eleusinia hæresis & ipsa Atticæ superstitionis, quod tacent pudor est; idcirco & aditum prius cruciant; diutiùs initiant quàm consignant, cùm & portas ante quinquennium instituunt, vt opinionem suspendio cognitionis ædificent, atque ita tantam maiestatem exhibere videantur, quantam præstruxerunt cupiditatem; sequitur iam silentij officium, attentè custoditur quod tardè inuenitur: cæterùm tota in adytis diuinitas, tot suparia portarum, totum signaculum linguæ, simulacrum membri virilis reuelatur; sed naturæ venerandum nomen allegorica dispositio prætendens, patrocinio coactæ figuræ sacrilegium obscurat, & conuitium falsis simulacris excusat; proinde quos nunc destinamus hęreticos, sanctis nominibus & titulis & argumentis veræ Religionis vanissima atque turpissima figmenta configurantes facili claritati, ex diuinæ copiæ occasione, quæ de multis multa succedere est. Eleusiniana Valentiniana fecerunt lenocinia sancta silentio magno, solâ taciturnitate cœlestia. *Tertullian. lib. aduers. Valentinia. cap. 1. in princip.*

Inde obseruatum est apud nos illustriores in foro Athletas, fastigium quod extulissent eruditionis & facundiæ, ex alto & longæuo præstruxisse silentio. Inspice Mangotium *e* de quo iam suprà insulati Herois calamo celebratum, & si vales, enumera laureas qui-

e Vid. sup. cap. 1. litt. *e*

bus cingitur, palmas quibus tegitur; hunc virum tamen quadriennio f integro siluisse comperies, & ab incepto tyrocinio sapienter adeo tacuisse; vt quem, compressi instituto labij Philosophum g penè æquauerit, sapientiâ postmodum longè superauerit.

f Il estoit fils de M. Claude Mangot l'vn des premiers Aduocats de nostre temps, sous lequel apres le retour des Vniuersitez, il voüa vn silẽce de quatre ans entiers: assidu en toutes ses Consultatiõs sans mot dire, & depuis se iettant au Barreau fit reluire en luy vne ieunesse admirable entre les Aduocats. Pasquier liu. 4. des Rech. ch. 27.

Quæ tibi de Pithœo h suberit sententia? Foro accessit, Togam sumpsit, tyrocinium incepit, non crudis vt vt imbutus litteris, sed tantâ plenus scientiâ, vt sæculi vltimi lumen Cujacium i, sortitus iam fuisset laudatorẽ vt & doctorem; Non tamen, tantâ quâ ditatus erat studiorũ copiâ, silentium indictum à Maioribus, indignum fecit, longoque temporis spatio, & antiquos audiuit, & labia compressit.

Longum mihi esset omnes adducere, si tamen quæ tibi forsan versantur in manibus, Mæstræi mireris actiones, longæui altique silentij scito eas esse filias; audiui enim ego Tyrunculus, virum hunc, nostræ procul dubio forensis gloriæ culmen assequutum, diu à suscepta Toga, audiisse, obseruasse, siluisse. I nunc Tyro, & si lubet, iuniorum exstimulatus procaciâ loquere ante tempus; sed si Maioribus deferas, & audiuisse tibi proderit, & iuuabit siluisse.

g Ipsius quoque discipuli (Pythagoræ) facultates omnes in vnum deponebant, communesque faciebant; quinquennium item totum silebãt, solùm quæ dicerentur audientes, ac donec probarentur numquam Pythagoram videntes *Diogen. Laërt. in lib. 8. in Pythago.*

h *Estant donc reuenu à Paris, il se mit au Palais vers le commencement de l'an 1560. mais tout d'vne autre façon que le commun; car au lieu que les autres* cruda adhuc studia in forum deferunt, *se iettans incontinent au Barreau, luy au contraire continuant de plus en plus ses estudes, se commandoit comme vn silence Pythagorique, se rendant assidu aux Audiences, & remarquant soigneusement les Arrests qui s'y donnoient, iusques à prendre garde aux plus petites particularitez & formalitez.* Vie de M. Pierre Pithou, parmy les Opuscules de Loysel.

i *Voy ladite vie peu apres le commencement.*

CAPVT XXXII.

Tyrocinij tempus labori impendendum.

HEroas autem istos, non solùm vacasse silentio comperies, sed dum tacerent in foro, sedulâ prorsus operâ vbique vsos, vt nonnihil eruditionis & facundiæ quærerent. Fallimini sanè, Iuuenes, si studiorum onus in Patronatus differtis tempora; non studere tunc vos oportebit; sed vt vulgus iactat, studuisse, molestaque quibus Causidicus occupatur, imò obruitur, instrumenta litium, vix euoluendorum moras Codicum patiuntur. Quid vobis licebit impeditis, si cùm vacat nil agitis? Nunc cùm altum vndique datur vobis otium non torpori, sed labori vacandum est; euoluendi sunt Codices; adlegendæ ex Authoribus sententiæ; penetranda fori axiomata; addiscendæ regulæ; exceptiones notandæ; nouæque regionis assumendum labium, verba vsurpanda, vt cùm steteritis ante Iudices & Presides, non cogitandum vobis sit quid respondeatis vel loquamini, sed in ipsa horâ de congesto eruditi animi peculio promatis, quod extemporanea requirat materia.

Licet ne quid altius adducere? Audi equidem, fili, vt dictum est,

sed simul *a* euade & tacens & quærens. Quomodo? inquies; an tibi desunt Contyrones & socij? An vel in foro vel in atriis, vel ad columnas accedis ad Causidicos aut Patronos? Quære igitur & exquire, trahe & extrahe, preme & elice, quidquid valueris & sciscitando & interrogando. Num vides Aduocatum *b* illum nostrum stantem amodò à dextris virtutis Dei, profecisse tamen dum in terris esset, ætate & sapientiâ, coram Deo & hominibus, nec-non consedisse in medio *c* Doctorum audientem & interrogantem? Audi similiter, sed interroga, sed pulsa, sed agita. Fac, stupeant Seniores, non de responsis, sed de quæsitis & de prudentia quæ in illis eluceat necesse est, si crescere vis agnosci. Sed memento quos incrementi testes scriptura recenseat; illud enim coram hominibus innotescere parum est, ni coram Deo etiam commendetur. O si Apri, si Chrysostomi, si Philogonij & Ambrosij, si Guidones & Yuones, Iuuenilis nostræ sobolis vota sisterent & studia, quantus fori decor breui tempore exurgeret & fulgeret! Sed eheu *d*! An quia præcesserunt pudet sequi, & non pudet non saltem sequi?

Insuper & dum recordor obscuritatis meæ pristinæ, aliis prouidere moueor, aut saltem super illis intelligere. Nulli notus è Causidicis, nulli è Patronis, exiguamque & vix vllam habens Codicum supellectilem, inhiabam famelicus, & post Memmios, post Talæos & Bignonios, post Hilarios & Batallios, post denique plures alios, quos quia viuentes adhuc sileo, suspirabam, fœlix prorsus meo euasurus iudicio, si cadentia ex illorum mensis verba colligere passus fuissem. Quot forsan mei similes & sunt & erunt; ni fortunatior elucescat illis quandoque dies & Minerua. O si Bibliotheca publica aliquando exurgeret in ipso Palatij ambitu! O si cellæ respondentium, negotiis tamen id sinentibus, auidæ iuuentuti paterent, Seniorum audituræ oracula & excepturæ! O si prudentes, mammæ, inquam, illæ scientiarum lacte turgidæ, famelicos alumnos admitterent ad sugendum? Quales è Tyronibus Athletæ consurgerent; non caprino videlicet vt Achilles, sed leonino, sed heroïco lacte epasti; pane refecti!

a Audi tacens simul & quærens. *Ecclesiast. cap. 32. vers. 12.*

b Et Iesus proficiebat sapientiâ, & ætate & gratiâ apud Deũ & homines. *Luc. cap. 2. vers. vlt.*

c Inuenerunt illum in templo sedẽtem in medio Doctorum, audientem illos & interrogantẽ eos. *Luc. cap. 2. vers. 45.*

d An quia præcesserunt pudet sequi, & non pudet non saltem sequi? *August. lib. 8. Confessio. cap. 8. in princ.*

CAPVT XXXIII.

An fori gloriæ officiat numerosior Aduocatorum initiatio?

INterim autem quæ egena manus nostra auxilij proprio suo marte cudere valet & porrigere, Tyrones accipiant, quorum præsertim in gratiam Authorum verba exscripsimus dum licuit; vt si Codicibus, saltem sententiis non carerent, ieiunâque citatione non tererentur. At dum nos longiùs vota propellunt, monemur attendere quàm durus noster plerisque videatur allatus sermo, Tyrocinij nempè otium, non corpori sed litteris impendendum & contestatus & exhortatus. Quot enim à nobis exeunt qui togam Aduocationis assignauerunt, non oneri sed honori, non labori sed

decori; non fructui sed ostentatui; titulumque diuidunt ab officio? Atque vtinam nil demissius ab eis ageretur; illorumque immodica leuitas, nobis vt probrum non objiceretur, quasi è numerosiore quorumlibet initiatione, Aduocati nomen iaceret, titulus vilesceret.

Notandum autem, nonnullos Aduocationem suscipere ceu primum ad altiores conscendendi titulos, & modum & gradum, nilque ex illorum à nobis discessu, nisi honorificum foro accedere; illud siquidem veluti ianuam honorum, primumque dignitatis adeundæ limen & agnoscunt & subeunt. Nonnulli insuper, auitis contenti opibus, munera detrectantes, otij, non tamen sordidi, sed tranquillioris amantes, titulum exquirunt Aduocationis, quò, si non splendidiore operâ, nomine saltem haudquaquam promiscuo insigniti, quantula, nedum supra plebem infimam, sed honestæ etiam inter conditionis homines, rationis habeantur & famæ, & isti, meo quidem iudicio, si forum non illustrant, saltem non turpant; quinimò Togam plurimi facere dignoscuntur, ab eius siquidem titulo, nomen honoratius se fatentur assequutos.

At tertium genus eorum est, qui Togâ vel vmbratenus sumptâ, vel post aliquot seu menses seu annos abdicatâ, viliora indignaque prorsus foro exercitia amplectuntur, eaque tamen, ceu humano capiti ceruicem equinam consuentes, fastuoso Aduocati insigniunt titulo. Non infrequens sanè hominum genus, Conductores, Negotiatores, Equisones etiam Togatos exhibens, idque non loquelâ tantùm, sed etiam scripturâ.

His ergo sic explicatis, videtur nonnullis Aduocatio nostra liberiùs quàm par sit, cuiuis patere. Abdicatur enim, prophanatur, deturpatur, dum eius non modò non impletis, sed spretis etiam officiis, vanum tamen nomen & retinetur & circumfertur. Verùm si singula discutiantur, quid inde probri & dedecoris in nos redundat? Primos enim, vt dictum est, ad fastigia præmittimus dignitatum; alij verò æs quidem sunt sonans, sed non discrepans; cymbalum tinniens, sed non fastidiens; vas vacuum, sed non obscænum; nostra quippe Aduocatio plurima inuoluit, eaque strenua; non omnes capiunt verbum hoc; qui potest, vt à principio diximus, capere, capiat; qui implere, impleat; qui sustinere, sustineat. Qui verò implere non potis est, saltem non minuat, non spernat, non deprimat; titulumque si seruet, nobis sufficiet, siquidem pro nobis est, qui non aduersus nos est.

Vltimi, molestiores videntur, nec tamen fiunt, portione enim, quæ sibi contigit, acceptâ, imaginariâ scilicet Togâ, titulo vacantiuo, nomine personato, quid ad nos si tamquam alij prodigi pedicule & inter seu porcos, seu equos, seu vectigalia, seu mercimonia viuant & agant? An è discessu luxuriantis filij, minus splendida remansit pij parentis familia? Imò miserior ille, qui titulum quem gessit, non impleuit, ideoque nec eum ausus [a] est assumere, quia vel proclamatum, suam sciebat augere procaciam. Abite similiter, paleæ volatiles, sacramentum non votum in foro emittitur; cuique

[a] Iam non sum dignus vocari filius tuus. *Luc. 15. vers. 19.*

liberum est Togam deponere foro cedere ; nullus qui discedat aut deturpatur aut notatur : At cùm degeneri prorsus animo è foro ad forum, è toga ad trullam, è libris ad siliquas, è tribunali ad telonium, è cancellis ad nundinas abeatis, quodnam scæuius aduersus vos notæ decretum, quàm titulus à vobis-met temerè assumptus, & euacuatus, interque porcos collocata margarita ? Vestra defectio nos non fatigat, at ambitio vindicat ; afficti siquidem actis publicis pugnantes inuicem tituli Mercatoris & Oratoris, Portitoris & Causidici, Conductoris & Aduocati, assumentem illos, monstrum exhibent è capite quidem superbo, trunco autem humili & abiecto concinnatum. Hinc in fabulam & opprobrium is exit Aduocatus ; prosperè tamen omnino quantùm ad nos, ipso siquidem solo & indice & authore.

Nil ergo, vt diximus, Aduocationi imputari debet, quod cunctos indiscriminatim excipiat ; dat quippe titulum, expectat fructum. Si verò non vuas sed labruscas vitis emittat, numquid seipsâ indice & iudice succiditur ?

CAPVT XXXIV.

Ad strenuos Tyrones.

DE vobis autem meliora confidimus, generosi Iuuenes, hisque amodò nequaquam moueri defectionibus satis edocti, vota nostra nedum implete, sed & vincite. Vos omnes alloquor seu in Senatu seu in Prouinciis audientes ; vbique milites Toga deposcit modò strenuos, modò prudentes, nec quandoque minus vtiliter patriæ inseruiunt Præsidiarij quàm Prætoriani ; nulla inter vos sit æmulatio nisi ad bonum, iamque quotquot estis, cogitate seriò, quia spes omnis domus & familiæ in vobis recumbit ; vos expectationis nostræ basis solidior, columna firmior, radix viuidior ; vos germen nouellum forensis agri ; vos semen paratum Togati campi ; vos examen apum curiati aluei ; vos tamdem & corona *a* gloriæ, & sertum exultationis residuo populi nostri & estis & eritis ; vobis enim excisis, quænam nostra euaderet professio prolis exspes & sobolis ? In vobis milites, in vobis Duces, in vobis Heroas & Principes iam intuemur, dum præstolamur.

Psal. 1. vers. 3 Nec vos, quæso, diutior silentij fatiget obseruatio ; non *b* Ocni,
non Dardanidum vestra hæc occupatio est; fructum dabit in tempo-
Ps. 126. vers. 3. re suo ; & cùm prudenter sederitis, fortiter assurgetis. At vos non
fugiat dictum Prophetæ ; *Surgite*, ait, non ante, sed *postquam se-*
Luc. 24. vers. 49 *deritis* : Opus magnum imò maximum vos expectat ; ad quod im-
2. Cor. c. 3. v. 5. plendum, induamini virtute ex alto necesse est ; an enim sufficien-
tes estis ex vobis tamquam ex vobis illud suscipere, illud absolue-
Rom. 8. vers. 26 re ? Mementote, spiritus illius, pro nobis non voce, sed gemitu po-

a Corona gloriæ & sertum exultationis residuo populi sui. *Isai. cap. 48. vers. 5.*

b Secundum illos vir quidam sedet; inscriptio indicat Ocnum esse; texit è iunco restim: adest asella, totum id ille quod texuerit pertinaciter abrodens; hunc Ocnum aiunt gnauum & industrium hominem fuisse qui vxorem sumptuosam & prodigam habuerit, quæ quic-

quid ille opere faciundo per summum laborem quæritasset, profundere solita esset, &c. Satis scio ionum verbum esse quoties hominem viderint ad laborem quidem vehementer propensum, sed cui suus nulli emolumento labor sit, vir ille, inquiunt, Ocni funiculum torquet. *Pausan. lib. 10.*

stulantis, & gemitu quidem inenarrabili; illius est vos excitare, vos imbuere, vos induere; cúmque disciplinæ *c* effugiat fictum, & à cogitationibus quæ sunt sine intellectu se auferat, cauete ne quidquam in vobis sit, quod illius virtutem eliminet. O! FÆLICES FORI TYRONES, QVOS SPIRATVS IN DIVINIS POSTVLANS AMOR, ET GEMITV ERVDIERIT; ET VIRTVTE ACCINXERIT.

c Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu. *Sap. 1. v. 5.*

Nil nisi amore.

E Tuguriolo nostro Monsmirellensi
28. Februarij 1664.



VIRGINI



DE ADVOCATO

LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

Primariæ Causidici virtutes Sapientia & Iustitia.



Acere vsque *a* ad tempus virtutis illius est, cui vni incumbit prudenti moderari imperio, oris eloquia, linguæ silentia: Quemadmodum enim tacet Sapiens, *b* vt loqui discat, sic & in suo edoceri debet silentio, quoad vsque compressa seruet labia, ne non solam *c* oris custodiam, sed potius damnationem accepisse videatur. Vlteriùs adhuc ferimur; Si enim sapientiæ *d* est discretas eloquij & silentij pensare vicissitudines, adeò vt ex ipsius sumi debeat moderamine loquendi tempus & tacendi, an erit alterius, iustâ librare solertiâ, seligere prouidentiâ, moderari curâ, quæ linguam aut silentem exercitia præstruant, aut agentem deceant officia? Et superiore quidem iam vidimus libello, quas sapientiæ partes suis assignauerint maiores nostri Tyronibus; Nunc autem eas inspecturi quæ ex eorumdem instituto cedunt Causidicis, *e* haud modicâ tenemur admiratione, dum pensatis sedulò Iuridicinæ officiis, nulla prorsus nisi sapientiæ mancipata nouimus imperio.

a Homo sapiẽs tacebit vsque ad tempus. *Ecclesiast.* 20. *v.* 7.

b Quid autem præ cæteris debemus discere, quàm tacere vt possimus loqui? *Ambros.* 1. *Officior. cap.* 2.

c Benè Psalmista considerans dicit: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostiũ circumstantiæ labiis meis.* Non enim poni ori suo parietem, sed ostium petit, quod aperitur & clauditur. *D. Gregor. Pastoral. Part.* 3. *admonit.* 15. *vers. med.*

d Rursum quoque scriptum est: *Tempus tacendi & tempus loquendi*; discretè quippe vicissitudinum pensanda sunt tempora. *D. Gregor. vbi suprà.* Rectè ergo Dauid non silentium sibi indixit perpetuum, sed custodiam. *D. Ambros.* 1. *de Offic. cap.* 3.

e Ipse Mnesarchus, hos quos nos oratores vocaremus, nihil esse dicebat nisi quosdam operarios linguâ celeri & exercitatâ, oratorem autem, nisi qui sapiens esset, esse neminem. *Cicero de Orat. num.* 14.

Quidni, tamen? Eleua, quisquis es, mentis aciem, & supra id omne quod non Deus est, vibratis animæ luminibus ipsum numen

in se quiescens aquilatâ pete perspicaciâ, quid in sacro illius luminis inaccessi pectore peragatur sedulò cogniturus. Vide, inquam, & si non satis est, aurem etiam cordis inclina, tremulo excepturus animo arcanam diuini consilij sententiam, vt quam Deus humano generi Aduocationem præparat, & oculus videat, & auris audiat, & in cor ascendat. De succurrendo agitur, ideoque obeundi patronatus decernitur ministratio. Cui autem? an potentiæ? an amori? an sapientiæ? Soli sanè *f* isti cedit intercessio, mediatio, aduocatio, vt cuius præcipuè sit, quemadmodum iam vidimus, & misereri, & succurrere. Non igitur potentia, sapiens licèt & diligens; non amor iterum, potens licèt & sapiens; sed sola & potens & amans sapientia deligitur humanam assumptura naturam, vt in Verbo carnem induto, suum habeat mortalium vniuersitas Aduocatum; Mediatoremque illum in terris experta, postulantem etiam-num in cælis eumdem suspiciat.

f D. Thomas 3. part. quæst. 3. art. 8.

O sagax igitur! ô sagax, inquam, prorsusque solers maiorum prouidentia, quæ nobis in foro degentibus, sapientiam veluti magistram indixit & præfecit; Quorsum enim sedula illa commendatio, quemadmodum & ageremus & loqueremur, tùm in foro tùm extra, tùm apud Iudices, tùm ad clientes & alios, ni vt discretricem rerum & temporum nobis præfici demonstrarent sapientiam? Quâ duce accitâ, prosperè, quâ spretâ, infaustè, vniuersa nostra munia succederent?

Attamen non promiscua nobis indicitur sapientia; In alterum enim, vt notauimus, fertur Aduocatio, totaque proiecta est, non quidem vt ferro afflictis subueniat aut gladio; sed vt iure, ratione, legibus, æquitate, armaturæ loco adhibitis, iniuriam aut imminentem repellat, aut illatam, vindicari satagat. Ad *g* mensuram igitur librâque examinatos Iustitiæ, & proferre sermones & gressus dirigere ipsi necesse est: Quapropter non solitariæ, non quiescenti, non meditanti mancipata est Aduocatio, sed conuersanti, sed operanti, sed agenti, ideoque iustæ ni iam falsæ, ni iam fucatæ. Intuere, quæso, Verbum æternum. Suscepto generis humani patronatu foras prodit intus manens, sinuque Patris haudquaquam relicto, ad opus tamen suum exit & venit. Hoc sanè postulabat Mediatoris quod intendebat officium, vt miseris subleuandis & accederet & subueniret; at non aliâ quàm quæ sibi præfinita est graditur viâ; legem implet & absoluit, consummatoque fideliter iuxta Patris decretum negotio, *h* IVSTVS, etiamnum, quasi præcipuo titulo & elogio, ab amante vocatur Discipulo.

Gradiamur ergo, sapientiâ duce, iustitiâ comite, imò sapientiâ *i* duce & comite, sed iustâ, sed verâ, vt emissi sacramenti iurata fides, & sapientiâ emineat & iustitiâ fulgeat.

g Ad mensuram sermones proferat librâ examinatos iustitiæ, vt sit grauitas in sensu, in sermone pondus, atque in verbis modus. *D. Ambros. 1. Officio. cap. 3. fine.*

h Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum. *Ioan. Ep. 1. cap. 2. vers. 1.*

i Fieri non potest vt verus sapiens non sit & iustus: iustus adeoque verus, non sit & sapiens. *Zeno Veronens. serm. de Iustitia, extat. Tom. 2. Biblioth. Patrum.*

CAPVT II.

Quo anno ætatis vel Fori causas agere liceat.

ET primum quidem quod nobis occurrit, ipsum in se spectat Causidicum, vertiturque in eo disquirendo, an vel ætatis vel matriculæ alligetur temporibus ipsa se in foro sistendi & agendi laboriosa facultas? Quantùm autem ad ætatem pertinet, haud vllum nobis superesse potest dubium, si iniuratos Causidicos è foro nostro repelli meminerimus; Cùm enim ante decimum quartum ætatis annum nec dici nec rogari soleat ab eo iusiurandum, iam patet nulli infrà pubertatis annos constituto fas esse patronatum aggredi, & agere.

At dices: Ipsi-ne saltem pubertatis masculæ tempus adepto peruia fient postulationis munia? Id sanè vidit nostra hæc ætas: vidit, inquam, & mirata est, sæculisque futuris quid in eo venerarentur & stuperent, prodidit & reliquit, vincere nimirum, vt nonnunquam effati sumus, nata & gnara, vinci nescia: & quamuis partus istiusmodi, tamquam præproperi & præmaturi non ab omnibus probari soleant, audacis tamen indolis Parisiense forum tulit & edidit, dum vix pubes Tyrunculus, fausto exitu, maximo applausu, Senatuque etiam & gaudente & probante primitias forensis studij consecrauit.

De fori verò seu matriculæ temporibus, nil certi apud nos est; quamuis enim apud veteres, [a] non nisi post annum tyrocinij brachium exerere, clientique patrocinari licuisset, tutius tamen nostris maioribus visum est nullis prorsus á toga sumpta spatiis adstringere actiones. Liberum igitur vniuersis esse voluerunt silentij moras producere vel contrahere, prout quisque plus minusue instructum se nosset ad subeundum agonem. AVDIANT, aiunt [b], AVDIANT TYRVNCVLI ANTIQVOS ET EXPERTOS, non per annale non per amplius breuiusue tempus, sed per sufficiens. Cuius autem erit sufficiens illud explicare tempus nisi iustæ sapientiæ, quæ sola, & quod deficit, iudicat: & quod sufficit, explorat.

[a] Post tyrocinij annum licebat exerere & patrocinari. Hinc Tertull. de pallio. Idem Cato Iuridicinæ suæ in tempore humerum exertus. *Sauaro. ad Epist. Sido. Apoll. lib. 9. ep. 9. in verbo Aristoteles brachio exerto.*

[b] Ne ex abrupto & imprudenter Aduocationis officium exerceant, sed per tempus sufficiens Aduocatos antiquos & expertos diligenter audiant. *Styl. Parlam. part. 3. tit 15. §. 5. inter op. Molin. tom. 2.*

CAPVT III.

Quo in loco & apud quos Aduocati agere debeant.

AT quo in loco patronatus implebuntur ministeria? seu veriùs, apud quosnam agere debent Causidici? Quod decorum, quod

iustum, quod æquum est inquirimus, omnem enim iustitiam implere nos decet, haudque maior sollicitudo nobis incumbit, quàm ne vel in magno peccetur vel in modico; Patronatus autem cùm non priuati dumtaxat iuris sit, sed publici, nec locum nec arbitrum sui potest agnoscere officij, ni publicâ & sanctitate præditum & potestate, eâ tamen cautione adhibitâ, vt nonnunquam ius dicentis authoritas priuati cæteroquin loci aream sustineat, licèt publica fori sanctitas priuato numquam viro conferat potestatem; Quid enim, si, vt moris est, intra ipsius magistratus ædes inuolutioris tædij explicentur negotia? Nonne & apud iudicem ago, & decenter ago? at si non plenam, qui sedet, gerit imperij functionem, sedeat licèt pro Tribunali, priuatus est non Magistratus, nec me tunc decet agere Causidicum, cùm ille non valeat implere magistratum.

Rem autem quò clarior cuique fiat, illustri Togatorum nostrorum & facto & dicto subiicimus explicatam. Litigantes quædam partes longioris moras exosæ iudicij, statuêre tandem singularum apud Præsidem infularum conuenire Aduocatos, controuersiâque explanatâ, illius solius arbitrio litem finiri. Alter è Causidicis nonnihil in eo ritu suspicatus quod splendorem fori læderet, dubium retulit ad collegas in ea corona, [a] quæ modestiori COLLATIONIS nomine designatur: & visum est cœtui cōgregato, nequaquā extra forum agendum esse Causidicis: Togatos verò, causis ex arbitrij formula dirimendis nullatenus interesse debere, ni paris essent eorum sententiæ ponderis, ac aliorum quantæcumque dignitatis arbitrorum: Cùm igitur verbale quoddam compromissum litigantes fecissent, eamdem in illius ac in scripti executione seruandam honestatem: sperare cunctos, ipsum Præsidem, in quem consensum fuerat, maiorem forensis disciplinæ & gloriæ, tùm notitiam, tùm rationem habere, quàm vt pateretur priscum illius decorem fœdari, morem inuerti, alterumque de coronæ sententia monendum esse Aduocatum, vt ei acquiesceret.

[a] *Vn de Messieurs les Deputez auoit esté nommé par des parties pour auec vn autre Confrere se trouuer chez vn de Messieurs les Presidens au Mortier, pour discuter vne affaire en sa presence & estre iugée par ledit sieur President seul; ayant desiré sçauoir comme il deuoit s'y comporter: l'aduis a esté que les Aduocats ne deuoient plaider qu'au barreau, & que pour l'arbitrage, ils ne deuoient point y assister, s'ils n'auoient pareille voix deliberatiue que les autres arbitres, de quelque qualité qu'ils fussent: & qu'ainsi la maniere de traitter l'affaire que l'on proposoit estant vne espece de compromis verbal, il y falloit garder la mesme decence, & que mesme l'on croyoit que Monsieur le President qui estoit l'arbitre auoit trop de connoissance & trop d'estime pour le barreau, pour souffrir que l'on en vsast autrement: & que le confrere qui y deuoit aussi assister, seroit aduerty de cette resolution, afin de s'y conformer.* Extrait de la Conference extraordinaire du Samedy 10. Septemb. 1661.

O digna & splendore fori & honore tùm sensa, tum pectora! Quò enim tendit solers illa prouidentia, ni vt decor disciplinæ illibatus remaneat? Quid? an Præses, an priuatus apud quem partes agere decreuerant? Sanè, non Præses extra Senatum est; nec aut in Curia pro tribunali iudicasset, aut intra priuatos parietes à curia delegatus. Quomodo ergo, nisi dumtaxat priuatus ab ipsis assumptus partibus? At quorsum vt priuatus sibi sisti tulisset Causidicos? Quorsum etiam vt arbiter eos accepisset imparis secum sententiæ? Præses est, & infulatus quidem, cui soli, vt tali, sacramentum Togati dicunt, & dum ipsi, Senatui; præcipuusne verò forensis instituti moderator gloriam ipsius deturbasset? Iure ergo de ipsius di-

gnitate fore æstimatum est, ritum hunc agendi nouum non modò non suscipere, sed etiam respuere.

CAPVT IV.

Seliguntur vt plurimùm à clientibus Aduocati, nonnumquam tamen petuntur & dantur à Iudicibus.

SIc vlteriùs sensim progressi, de suscipiendo á Togatis patronatu loquamur necesse est, hæc enim nobis nunc occurrit materia. Summâ autem apud nos libertate gaudent & clientes & Causidici; Quos enim malunt partes sibi deligunt Patronos, vicissimque Aduocati delata sibi patrocinia vel sumere possunt vel respuere, ni dicenda inferiùs obstent, aut religionis, aut rationis cuiuslibet impedimenta: Potens admodum, ni fallor, & seruandæ honestatis & gloriæ comparandæ tùm nexus, tùm stimulus; Haud enim æquum esset cæco prorsus impetu in quaslibet ferri personas Aduocatos, alteraque ex parte, quæ potentior ad probitatem, ad facundiam, ad palmam inuitatio, quam clientelarum recordari claritatem maiori virtuti accedere? Distributio igitur Aduocatorum meritò cessat apud nos, quæ & [a] in Armoricis principali tandem Edicto antiquata fuit, plenaque clientibus potestas facta, quos è foro peritiores crederent, sibi patronos asciscere. Attamen ne fraus ex alterutra oriretur parte in præripiendò fœliciori patronatu, renouata est quomodocumque sanctione ipsa-met, prisca Augustorum [b] super ea re prouidentia, vetitique fuère litigantes peritiores omnes Causidicos in suam trahere defensionem, ne collitigantibus iusta quoque non cederet Aduocatio.

Hæc omnia, vt plurimùm in nostris se foris habent: nonnumquam tamen & petuntur & dantur à iudicibus Aduocati, tuncque præcipuè cùm pauper [c] in potentem, oppressus in sæuientem, derelictus in audacem, reluctans aut reclamans vano periclitaretur exitu, ni sacratum à iudice tutamen acciperet. Et ea sanè distributio tum iudicis sublimat gloriam; tum inopis firmat salutem; tum Aduocati sacrat fidem: leone scilicet iubatas etiam ceruices tabulis submittere coacto, sibique obstantem reuereri Causidicum, quem lege viuâ imperante sortitus est colluctantem.

Non statutos autem vt apud Athenas viros habent fora nostratia, quibus annuatim defensio illa pauperum oppressorum-ue demandetur; tot quot sumus, in hoc nati sumus; nec opus est è massa, quosdam tantùm ad eam seligi sortem quæ vniuersum tenet collegium & beat. Notanda tamen est ea etiam in re principum nostrorum peculiaris benignitas, qui nedum potentiores secum in iudicio contendere patiuntur, sed humiliores quoque admittunt, hisque insuper, si egentiores sint, & Aduocatos præstant, & Aduocatis de suo exsoluunt honoraria. Hanc refert Baldus nec non miratur Au-

a *Ordon. de François I. à Valence en 1536. pour le pays de Bretagne chap. 1. art. 32. Ne sera plus doresnauant fait distribution de conseil & d'Aduocats ainsi qu'il a tousiours accoustumé d'estre fait en nostredit pays, mais prendront & esliront les parties leurs Aduocats & Cōseil, ainsi que bon leur semblera, sans malice toutesfois ne mal engin, prenant l'vne des parties tous ou la plus grande partie des plus suffisans Aduocats d'vne barre pour en defrauder sa partie aduerse & la laisser depoureuë de bon conseil.*

b L. 7. Co. de postulan. *v. sup. lib. 1. Cap. 19. litt. e*

c *François I. en l'Ordonnāce &*

dessus. chap. 1. art. 33. & s'il aduenoit que quelques personnes pauures & miserables qui par leur pauureté ou par l'authorité ou crainte de leurs parties ne puisse recouurer de conseil : enioignons aux Iuges de leur en bailler.

gustalem prorsus veréque Regiam Francici Imperatoris pietatem & iustitiam; nec sanè immeritò. Da enim Cæsarem qui sibi aduersanti & milites dederit & militibus exsoluerit stipendia, ne qua in re contraria pars sibi inferior videretur. Sed ô potens inde damnationis sententia aduersus eas Aulæ & Tribunalium potestates, quibus inuisa est impensa Causidici opera in eorum solatium quos premunt & terunt, quos fatigant & calcant!

CAPVT V.

A quibus patrociniis abstinendum.

NI igitur vel iudicis accedant imperia, vel ipsamet clientium imperet miseria, quælibet patrocinia detrectare cuique liberum est, ingenuæ etenim professionis alia-ne possent extare officia quàm ingenua; Honestatis tamen nonnumquam ratio, detrectationem alioqui spontaneam, iustam & æquam efficit: Quid enim si contra vel agnatos, vel affines, vel amicos, vel solita & pristina habitos in clientela brachium exerendum est, an non nobis iusta excusatio ipsamet aderit tot officiorum reuerentia? Non igitur hoc exquirimus, sed à quibusnam patrociniis iurata fides nos abstinere præcipiat.

a Nec fidei nostræ nec constantiæ quam diligis conuenit, adesse contra prouinciam quã tot officiis, tot laboribus, tot etiam periculis meis aliquando deuinxerim. *Plin. 1. Epist. 7.*

Iniustis sanè causis patrocinari nobis nefas est; eóque piæ necessitatis adacti sumus fide datâ & emissâ, vt quàm primùm, suscepta etiam-num causa iniqua apparuerit, deserenda sit & abdicanda; at cùm ex eo principio facti nascatur difficultas, an *scilicet* nostra implorantes patrocinia iustè agant & iniustè; inferiùs videbimus è maiorum institutis quâ diligentiâ & prudentiâ oblatæ nobis controuersiæ examen fieri debeat.

b Aduocati istius Curiæ iurabunt, &c. quòd causarum iniustarum patrocinium scienter non suscipient, quòd etsi nòn ab initio, ex postfacto tamen viderint causam esse iniustam, confestim eam dimittet. *in styl. Parl. Tit. Par. 3. Tit. 15. § 1. v. sup. lib. 2. cap. 13.*

Quid si delectus Aduocatus, litiganti aduersario nonnihil iam suggesserit, atque etiam, vt moris est, adiectâ schedâ vel responderit, vel præscripserit? Tunc quidem ipsamet eum religio à suscipienda deterret causa, ne ipsemet contra se stare videatur & pugnare, clientemque anteà acceptum, fœdâ postmodum fraude deprædari: quod etiam obseruandum est, licèt deceptus responderit, melioremque ex postfacto aduersarij ad se recurrentis æstimarit disceptationem; ne etenim præuaricationis etiam manifestæ pateret occasio; iure omnino maiores nostri semel consulto super lite impresserunt: AVT SVSTINE, AVT ABSTINE.

Quapropter cùm labilis hominum memoria præsertim obrutœ rũ litibus, haud semper fœliciter illis suggerat, an, quidue, & in quo negotio, præsertim dubio & ancipiti, responderint: è prudentia, imò religione est colluctantis Aduocati, obluctantem admonere, si fortè inter instrumenta causæ scheda ipsius, cuius immemor esse potest, inuenta fuerit, vt eâ agnitâ à patrocinio delegato se abstineat. Nec id extra rem adduco; Lhosteum quippe strenuo virum

M. Iean Marie l'Hoste.

animo in Vectigalibus agentem obseruaui aliquando, integro, vt par erat, conquerentem pectore, de imperitia, ne fraude dicam, obluctantis sibi Causidici. Hic enim inuentum in sacculo Lhostei responsum de æquitate illius quam tunc impugnabat causæ, seu dolo, seu inscitiâ quanti res esset momenti, substraxerat, dum instrumenta, vt moris est, transmisisset: inque peroranda postmodum causa recitauerat, tamquam prævalidum quæstionis quam defendebat argumentum. Exarsit ad hæc Lhosteus, grauiterque conquestus est de tanta fallacia, quâ se circumuentum in præuaricationem aduersarius adducere præsumpsisset, putare tamen pro sua stare innocentia dolum ipsum nemini cordato è forensibus viro non exosum. Nec certè intra cancellos vllus inuentus est, qui iustam palmati hominis indignationem non probauerit; næuum verò, ne quid dicam austerius, imperiti aduersarij non damnârit.

CAPVT VI.

An Clerico patrocinari liceat contra Ecclesiam in qua beneficium habet.

SEquitur ipsâ duce materiâ haud inutilis Fori etiãm nostri quæstio: In eo siquidem, vt vidimus, clerici vnà cum laïcis glorioso vocis confisi munimine ambigua dirimunt fata causarum; an enim licebit illis patrocinia suscipere aduersus Ecclesias, in quibus habent beneficia? Negant *a* Canonicæ disciplinæ & doctrinæ sacratissima instituta, pœnamque decernunt ingratitudinis aduersus istiusmodi temeratores quos suis præcipiunt beneficiis spoliari. Nec sanè desunt huiusce sanctionis prævalidæ rationes. An enim conueniret vt Ecclesia, *b* quæ suscepit extraneum, potentem illum & in alieno diuitem patrocinio efficeret, in suo verò egenum, imò fraudatorem experiretur & retineret? Ecquid? non geniti quidem, sed tamen *c* enutriti, sed exaltati, sed magnificati, eam impunè spernerent in cuius manibus descripti sunt, á cuius pendent *d* vberibus, à cuius nec authoritate deseri, nec potestate diuelli, nec memoriâ valent eradi? Haud sanè id æquum esset, hostesque pacis nequaquam ferendi sunt honoris arma quibus rebellauerunt retinere. Sic igitur æquo prorsus iudicio ab eius dissociantur pectore, eiiciuntur vbere, qui, quâ mediante domino sociati fuerant, proteruo penitus ausu digni facti sunt, alieni comperti sunt.

a Clericus autẽ qui contra Ecclesiam, à qua beneficium obtinet, pro extraneis Aduocatus vel Procurator esse præsumit, tanquam ingratus potest (maximè si Clericus sit eiusdem Ecclesiæ, beneficio huiusmodi spoliari. *Cap. vlt. de postulando.*

b Non enim cõuenit vt Ecclesia quem suscepit extraneum, efficiat in alieno diuitem, & in suo retineat fraudatorem. 12. *q.* 4. *Sacerdotes.*

c Filios genui & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. *Isa.* 1. *vers.* 2. Melius est autem iuxta Hebraïcum legere; Filios enutriui, quam, genui. *Hieronym. ibid.*

d Quasi ad matrem, vt eius vberibus nutriantur, authoritate defendantur, & à suis oppressionibus releuentur, quia non potest nec debet mater obliuisci filium suum. 2. *q.* 6. *ad Romanam* 2.

e Satis habeant quòd admittantur ad pacem qui hostes pacis extiterint, nec debere eos reuertentes ea apud nos ordinationis & honoris arma retinere, quibus contra nos rebellauerint. 1. *q.* 7. *Si quis Presbyteri.*

f Cap. 2. extra. de pœnitent.

At, dicet aliquis, quid hac in re iuris apud nos? Exagitatam accepimus tandem materiam, ſed in facto propemodùm ſtupendo. Odoardus quidam agnomine Berthineus, Regius in Senatu Patronus erat, idemque Canonicus Pariſienſis Eccleſiæ. Accidit autem, Regem inter & Eccleſiam litem enaſci, proindeque haud leuis exorta eſt difficultas quaſnam in partes Odoardus traheretur. Iura præfata ſuum Eccleſiæ mancipabant Canonicum: munus verò quo fulgebat, Regi ſuum deeſſe non ferebat Aduocatum; Fides illi debita, huic iurata, timor illius, honor iſtius, virum quem non poterat diuidere totum vindicabat & aſſerebat, totum comprimebat & repellebat, in eóque conflictu quis ſuperior euaderet expectabatur. Sed dignam prorſus ſupremo foro quæſtionem, digna penitus ſupremo Tribunali diremit ſententia: cúmque alteri ſubueniri non poſſet, niſi alter læderetur, ex Ambroſiano *d* dicto commodius eſſe iudicatum eſt, NEVTRVM IVVARI, QVAM ALTERVM GRAVARI. Iuſſus eſt igitur ſilere *e* Odoardus, ne vel in Eccleſiam peccaret, vel in Regem. Si autem nec pro Rege contra Eccleſiam ſtare permiſſus eſt, quomodo vllus Clericus præſumeret priuatum patrocinium contra ſuam Eccleſiam ſuſcipere, ſuſceptumque promouere?

d Si non poteſt ſubueniri alteri, niſi alter lædatur, commodius eſt neutrum iuuari, quam grauari alterum. *Ambroſ. 3. de Offic. cap. 9. extat 14. q. 5. denique.*

e Dictum fuit quod magiſter Odoardus Berthine Aduocatus Regius, Canonicus-Pariſienſis non placitaret pro Eccleſia contra Regem, ſed eſſet cum Rege; tamen pro Rege cauſam illam non placitaret. *Ioan. Gall. quæſtio. 229.*

CAPVT VII.

An Aduocatus ſtare poſsit contra dominum cuius vaſſallus eſt.

Altera hæc ad nos etiam qui honoratos in foro admittimus, pertinet materia, vt tuto gradu ſtare queant in patrociniis ipſi vaſſalli, dum quid & quantum aduerſus dominos ſibi liceat ſuſcipere cognouerint. Feudiſtæ autem, non tamen omnes omnino, vt quidam ſcribunt, ingratitudinis notant vitio Aduocationes impletas à vaſſallis contra patronos; ſed eas tantùm quas volentes, lubentes, ſcientes, nullâque prorſus neceſſitate cogente vaſſalli ſuſceperunt; quaſi ex deſtinata iſta hac animi ſententia, obſequium promiſſum, venerationem debitam, fidem iuratam nedum læſerint, ſed etiam euacuauerint. Tuti ſunt ergo iuxta hanc doctrinam, quicumque ex diſtributione iudicum dati ſunt Aduocati; & id ſanè gloſſa definit; ita vt Magiſtratus accedente imperio vaſſallus in patronum agat illæſo officio, ſaluo beneficio.

Nobis *a* tamen non ea omnimoda ſententia placuit vtpote auſterior, ſed vlteriùs progreſſi ſano diremimus iudicio, quid vel non domino deberetur, ratione clientelaris obſequij. Si ergo feudum ipſum controuertatur: aut ſi enata ſit litigioſa diſceptatio, in

a Quid ergo ſi Aduocatus contra dominum ſuum extiterit? Reſpond. & vtique ob hoc feudo priuabitur. vt *ff. de inoff. Teſtam. l. vlt.* vt igitur nulla ſit hæſitatio, diſtinguas vt ſuprà ſcilicet, quia præſtat Aduocationem coactus, aut voluntariè, in primo caſu excuſatur. vt *In-*

qua dominus *b* seu vitæ, seu honoris incurrat periculum, nefas duximus vassallo patrocinium aduersæ partis suscipere, cùm id nullatenùs valeat saluo in dominum obsequio; si verò nil tale agatur apud Iudices; cur silere vassallus iubebitur, maximè si delatum sibi ab aduersa parte negotium, iusto defendi queat officio, petat patrocinio? Duplex *c* autem eâ de re notarunt Authores nostri ordinis amplissimi iudicium, alterum quidem Philippo Paillardo; alterum, Arnaldo Corbiensi Curiam tenentibus.

stitut. de inoff. Testam. §. *vlt.* & *ff. de bon. liber. l. qui cum.* §. *pen.* secundo non. *vt ff. de inoff. Testam. l. vlt.* quod autem Aduocati cogantur, legitur, C. *de postulan. l. prouidendum. De off. Proconf. l. necquicquam* §. *obseruare.* & *ff. de postulan. l.* 1. §. *ait Prætor.* Sic habet glossa. 2. *feudo. tit.* 23. §. *Item si delator in verbo, perdit.*

b Clienti Causidico aduersùs patronum, ab eo stare cui à consiliis ante fuerit non prohiberi, modò ne clientela ipsa controuertatur, aliud-ue quo nomini patroni quicquam inuri possit. *8. Id Mart.* 1374. *Lucius* 7. *Placito. tit.* 4. *Arr.* 2. Adde Chop. *de Priuileg. Rusticor. lib.* 1. *part.* 1. *cap.* 6. *num* 2. *ad Consuetud. Andegauens. lib.* 2. *part.* 1. *cap.* 1. *tit.* 3. *num.* 4. Papon. *lib.* 6. *tit.* 4. *Arrest.* 5. Mornac. *ad l.* 13. *ff. de in ius vocan. l. vlt. ff. de inoff. testam.*

c Ioan. Gall. quæstio 23. Vidi pronuntiari per Arrestum anno Domini 1384. prolatum, Parlamentum tenente domino Arnoldo *de Corbie* Parlamenti Præsidente, pro Scabinis Remensibus contra Archiepiscopum Remensem, de cuius pensione tunc eram, quòd magister Ioannes Coüardi Aduocatus in Parlamento Vicedominus Remensis Ecclesiæ, remaneret de consilio dictorum Scabinorum, de quorum pensione erat, antequàm mota fuisset causa contra dominum Archiepiscopum. Ratio autem dubitandi quam proponebat Archiepiscopus, erat quod dictus Vicedominus tenebat in feudum à dicto Archiepiscopo temporalitatem dicti vicedominatûs, & sic erat eius vassallus: item quia dictus Archiepiscopus placitabat contra Scabinos prædictos de iuribus Archiepiscopatûs, per media quorum tenebatur temporalitas dicti vicedominatûs. Item quod prohibetur ne Clerici contra Ecclesiam postulent, *in cap. si. ext. de postulando.* Archiepiscopus autem Ecclesiam repræsentat. Ratio decidendi fuit, quia licèt teneret in feudum dictus Vicedominus temporalitatem antedictam à dicto Archiepiscopo, tamen non erat quæstio de iure feudi antedicti, quod tenebatur à dicto Archiepiscopo: item nec de causa tangente honorem dicti Archiepiscopi, iuxta *cap. de for. fidel.* & *de no. for. fidel.* Item quia aliter dicere, esset dicere feuda similia officio Aduocationis, sic quod Aduocatus, eò quia alicuius domini esset vassallus, non posset contra ipsum postulare, quod esset absurdum; sic aliàs fuit pronuntiatum in simili casu anno 1374. Parlamentum tenente domino Philipp. Paillardi.

CAPVT VIII.

Quid obseruandum in patrociniis aduersùs Iudices suscipiendis in suo ipsorum Tribunali?

VEnerari Iudices nobis potissimùm incumbit, ad quorum Tribunalia, ceu ad viuentes aras viuentis in sæcula Numinis accedimus & ministramus; Et licèt Senatoria aut quæuis alia potestas à munere Iudicis abstineat, quoties vel rei partes sustinet vel actoris, non adeò tamen à nostrâ, vel tunc, excidit ipsius veneratio memoriâ, vt in priuati solùm hominis putemus eam deuenisse conditionem. Prudenter igitur omninò maiores nostri veluti per manus innuerunt, non quid summa à nobis iustitia, sed quid summa vt plurimùm & vrbanitas & decentia postularet, quoties iusto occurrente negotio litigantibus aduersùs potestates adessemus, vt scilicet illas, officiosâ comitate, de suscipiendo moneremus patrocinio. Non igitur deposcenda fandi venia nobis imposita est; non præuia

impetrationis adiecta necessitas, imperata-ue conditio; Ingenua quippe Aduocatio à solo Magistratu veniam petere scit, quâ tamen petitione nec deprimitur, nec demittitur; sed vrbano illo agendi ritu, quantum quisque ex ordine priuatim iudiciales veneretur potestates, & profitetur, & contestatur.

At, inquies; Quid si officiosa illa comitas ab ipsamet improbetur potestate; imò & ampliùs, quid si nec ipsi gratam, sed potius inuisam & exosam fieri suspicio sit? O pudor nostri sæculi! nonnulli sanè qui ius dicunt, ius impediunt, & nonnumquam in redemptitio imperij munere, pars pretij non modica reputatur, iudiciorum elusio. Vlteriùs se fert audacia, plurisque ab aliquibus fit non iudicari immunitas, quàm iudicandi potestas. Quid ergo tunc Aduocatis agendum est? An in supremam supremi fortassè imperij indignationem incurrent, saluisque clientibus, ipsimet irati potentisque ad vindictam animi furias sustinebunt? Ipsimet, dico, nec enim ignotum est istiusmodi facinus, non verbis tantùm, sed & manu consummatum, maiore tamen potestatis quàm togæ opprobrio, cui semper pro defensa veritate, iniuriæ in laudes cedent, & in virtutum vertentur encomia. Non Senatorem dico, non Præsidem, sed Sub-præfectum, sed Assessorem quandoque videre est, probrum ducere & quidem summum, si pars aduersa Causidicum inueniat, absolutâque actione, in Togatum implacabili debacchari insaniâ.

O! sistas, quæso, quisquis es, gradum, seu infimæ seu supremæ particeps potestatis. Te reuereor, cùm accedo, te Magistratum & agnosco & honoro: Quid me igitur vt Togatum non habes, cur-ue cæcâ te propellente libidine, me Aduocatum agere inuides, quia te Magistratum gerere non sustines? O pudor iterum nostri sæculi! Et sanè in hisce deterioris fortunæ imminentibus periculis, prudentiores Aduocati suadent clientibus ab ipsomet Magistratu pro Tribunali sedente petere Causidicos; Sed quæ maior quàm ista hæc, iniquæ violentiæ reuelatio, imò probatio? Sub-præfectum, vt exemplis vtar, Senatorẽ, Præsidem, nonnisi distributo impeti posse Causidico; Et interim, tenuioris vitæ, homines in ipsis aut Prætorij aut Curiæ cancellis, vim, quam patiuntur, misero proferre eiulatu, testari planctu.

CAPVT IX.

An Aduocato expediat suamipsius causam agere?

SI Causidicis aliena promouentibus negotia forum patet, nec sanè, si sibimetipsis patrocinari voluerint, septa claudentur. Venia tamen à Iudicibus & petenda est, & impetranda; quod quidẽ sapienter à maioribus institutum est, vt in proprio suo negotio moderatiùs se habere præmoneatur Causidicus, vel ex ipsa difficiliori ad actionem præparatione. Non igitur an liceat in sua cuique causa

agere disquirimus, sed an expediat? quod quidem Sapientis est sano secernere iudicio.

Non enim defuêre vnquam qui pro varietate casuum, aut sibi adfuerint, aut ad aliorum confugerint patronatum. Et vt vel vno contenti Tullio, vim sibi met-ipsi militantis Aduocati penderemus, quis alter meliùs, quis saniùs, quis fortiùs, quis fœliciùs pro recuperanda domi area perorasset, quàm *a* Cicero ipse, & vim passus & iniurias, virtutem quamdam dicendi illâ ipsâ magnitudine doloris suggerente & ministrante? Orator sanè, non alieno tantùm insumenda auxilio arma *b* gerit: iisdem ipse & tectus esse potest, & se vlcisci lacessitus; quotiesque proprium increpuit periculum, peroptimè Eprius Marcellus *c* adfuit sibi, qui fœliciter subuenit alteri.

Testatur econtra Fabius *d* rarum esse in foro vt quispiam sit suæ rei defensor idoneus; ipsâmet, quæ nos causa suo impellit pondere, sæpiùs obturbante, conglobatoque motuum numero perspicuam mentis aciem obtundente potiùs quàm obfirmante: Hinc & apud nos, teste Mornacio, *e* facundissimi etiam Patroni alieno sese defendendos crediderunt eloquio, quique aliis potenter, strenuè, fœliciter adfuerant & aderant, nequaquam probrosum existimârunt in amicorum confugere clientelam. Tu ergo, quisquis es, tuo sapienter vel vtere vel abstine patrocinio; ni sapientius iam esse existimes, præuiis tot primæ famæ oratoribus, periculum absque vlla labe nominis detrectare quàm facere.

a Diximus apud Pontifices pridiè kal. Octob. acta res est accuratè à nobis, & si vmquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam si numquã aliàs fuimus, tùm profectò doloris magnitudo vim quamdam nobis dicendi dedit. *Cicero 4. ad Atticum 2. sub principium.*

b Quid autem tã necessarium, quàm tenere sẽper arma, quibus vel tectus ipse esse possis, vel prouocare improbos, vel te vlcisci lacessitus? *Cicero 1. de Orator. num. 9.*

c Sin proprium periculum increpuit, non herculè lorica aut gladius in acie firmius munimentum, quàm reo & periclitanti eloquentiæ præsidium simul & telum, quo propugnare pariter & incessere, vel in iudicio, siue in Senatu, siue apud Principem possis. Quid aliud infestis Patribus nuper Eprius Marcellus quàm eloquentiam suam opposuit? qui accinctus & minax, disertam quidem, sed inexercitatam & eiusmodi certaminum rudem Heluidij sapientiam elusit. *Tacit. Dialog. de Oratorib. paulò ab init.*

d Ideoque primum intueamur, litigatoris an Aduocati personâ sit vtendum, quoties vtrumque fieri potest: nam id in schola liberum est, in foro rarum, vt sit idoneus suæ rei quisque defensor. *Quintilia. 4. institut. cap. 1. versùs medium.*

e Seruatum id semper vidimus etiam in facundissimis Patronis, quorum nomine auditæ causæ sunt à Senatu. *Mornac. ad l. 1. §. 1. ff. de postulando.*

CAPVT X.

Causarum antequàm suscipiantur examinanda merita.

SIue autem selectus à partibus, siue à Iudice datus, vel tibi vel alteri adfuturus sis, implenda est pectore integro iuramenti emissa fides, solertique iudicio pensanda sunt instrumenta litium, vt inde seriò agnoscas, an patronatus tibi delatus sacramento forensi tuo conueniat aut repugnet. Hæc operum nostrorum mensura est, non temporalis dumtaxat, sed æterna, bre-

uique complectens articulo, futuræ in sæcula vitæ, & spacia & semina, aut ad gloriam aut ad gehennam. O vox tonans & intonans! *a* STA IN TESTAMENTO TVO; IN FOEDERE TVO; IN PACTO TVO; vox, inquam, & tonans & intonans, atque ad arcanum vsque cordis nostri penetrans recessum, quæ nostram, dum alienam, acturos causam nos admonet; supremique Tribunali numinis dirimendam litem adstructuros si ante terrenas potestates iniquam disceptationem aut promouerimus, aut fouerimus. Quantâ ergo sapientiâ nobis opus est, ne vel in minimo delinquamus? Apage clientum dignitas eminens, fortuna *b* potens, gratia sæuiens: Apage, si etiam occurras, tuta sub amico vel ignaro Iudice iniusta vexatio: Quid nos ministrare vis prodeunti ex adipe tuo malitiæ, velamenque tibi requiris à ministerio nostro dari? vt quid tentas perdere nos? haudquaquam secunda corrupti iudicis absoluet nos sententia, quos perperàm suscepta damnabit causa; genusque iniquitatis, etsi diuersum, abominosum tamen est, tùm malè decernentis potestatis, tùm malè postulantis oratoris.

a Sta in testamento tuo, & in illo colloquere. *Ecclesiast.* 11. *vers.* 21. *vid. sup. lib.* 2. *cap.* 14.

b Non enim fortuna causas vel iustas vel improbas facit. *Quintilia.* 12. *Institut. cap.* 7.

Duplex ergo veluti persona nobis attendenda est, licèt accedat vnica, nec minima aduersæ partis inspectio nobis commendatur in ipsamet clientis defensione delata; si enim iniquam fouemus litem, & iniquum iniquè adiuuamus, & oppressum iniquè opprimimus, duplicique facinore nostrum deturpatur ministerium, spoliatione scilicet innocentis, ditatione rapientis: imò, ipsimet diripimus, eâ violentiâ, quæ reprimi nequit aut resarciri: Siquidem quod legum circumscriptionibus innocenti *c* eripitur, vix est quod repeti queat aut valeat.

Vt tamen propiùs ad rem accedamus; Quæcumque causa ad nos defertur, aut iusta est, aut dubia, aut iniqua. Si prior, quantâ debemus gestire lætitiâ, quod subueniendi oppressis sese offerat occasio, quantâque insuper vti diligentiâ ne credita nobis æquitatis defensio, incuriâ nostrâ excidat & pereat? O solida laus Aduocati! ô sola & vera gloria Causidici, quæ de protectione veritatis & æquitatis enascitur! Fallimur sanè quotquot sumus, si aliud honorum putamus semen; Erramus, imò à proprio fine recedimus, si aliam credimus ad palmas viam; Denique decipimur, imò desipimus, si aliam laborum existimamus coronam. Nec qui nos doceant longè absunt: Si enim quotquot emeritos fora nostra venerantur & euehunt intenderimus, vnde-nam, quo splendescunt, insigne laurearum, nisi è reportatis pro defensa iustitia victoriis & trophæis? Canos ergo illos non tam senectâ quàm sapientiâ imitemur; & è iustis patrociniis, tamquàm gradibus, ad eam, quâ beantur, gloriam euehamur.

c Quotidie mugitibus alienis quæritur lucrũ; & præscriptio industria vocitatur, & appetitio rei alienæ sub prætextu propriæ defensionis ac diligẽtiæ callidissimis argumentis vrgetur, vt quis indefensus aut innocẽs quod habet legibus perdat: quod est omni violentiâ deterius, quia illud quod vi eripitur, nonnumquam repeti potest, quod legum circũscriptionibus, non potest. *Zeno Veronens. sermo. de Iustitia. Extat tom.* 1. *Biblioth. Patrum.*

Si autem dubia causa est, vel præ obscuritate sua, vel præ tenuitate nostra, audiamus quid sacra nobis suggerat pagina. *d* Audiamus, inquam, consilioque prudentum adhibito, sic agamus, vt post factum nulla nos pœnitentia aut premat aut torqueat.

d Sine consilio nihil facias, & post factum nõ pœnitebis. *Ecclesiast.* 32. *vers.* 24. Causam quã

Pudor *e* sanè non est, nos omnia non nosse omnes sicut nec posse confiteri; euenitque vt plurimùm, dum sic è prudentiorum authoritate res agitur, aut fœlicem negotia sortiri exitum, aut tutâ saltem cadere nos conscientiâ. Cadere, dico, nec enim quæ probabilia sunt, vetamur suscipere litigia, dummodò sic accedamus ad thronum iustitiæ, vt omni pertinacitate depositâ, veritatem laboriosè inuestigatam, viuæ demùm vocis humiliter accipiamus oraculo. Rationes adducimus, argumenta proferimus, nil non explicamus quo nostra superior euadat sententia, quia iusta illa nedum nobis, sed & prudentioribus visa est; At Senatu, putà, in contrariam abeunte partem, nil nobis deperit iustè in causa ambigua patrocinatis, imò non raró laus summa obuenit, si strenuè, si prudenter, si solerter officium impleuerimus, patronatum absoluerimus.

nesciebam diligentissimè inuestigabam. *Iob. 29. vers. 16.*

e Neque verò pudor obstet, quominus susceptam, cùm melior videretur, litem, cognitâ inter disceptandum iniquitate dimittat, cùm priùs litigatori dixerit verum, nam & in hoc maximũ, si æqui Iudices sumus, beneficium est vt non fallamus vanâ spe litigantem: Neque enim dignus operâ patroni qui non vtitur consilio. *Quintilianus 12. Institut. cap. 7.*

Denique si causa iniqua est, memores simus sensatam nos gerere dexteram, sponsioneque publicâ iniquis renuntiasse patrociniis. Dissimile sanè est Iuridicinæ officium à medicinæ subsidio; Medicus quidem numquam vituperatur, etsi desperati ægroti curam suscipiat; fas est illi, iuxta tritum adagium, sperantem è spirante producere; in eodem cum morte luctari membro; vitam lethalem ipsius dispendio morientis crucianti protrahere remedio; momenta pereuntia viuis redimere doloribus; certamque morbi non profligare victoriam, sed retardare. Denique sat illi est, si viuum morientem, si mortuum viuentem aut seruet aut faciat. At nos alia longè sors tenet. Haud etenim fas nobis est causam in se desperatam, viscerali scilicet inquinatam vitio, vel minimâ protrahere opellâ, seruare industriâ; cùm iniquam fouere non possimus, ni iustæ & æquæ, vel dispendio vel periculo. Vlteriùs se fert pater eloquentiæ, miroque modo disparitatem Oratoris & Medici assignat & explicat; Medicus quippe, vt addit, artificium dumtaxat; Orator verò authoritatem *f* præstare debet. O sagax tanti viri de Oratore iudicium! Authoritatem, ait, Orator facit & præstat. Ergo-ne vecordes, ergo-ne degeneres, ergo-ne falsi & periuri authoritatem mendacio, authoritatem nequitiæ, authoritatem dolis & fraudibus, nec occultam sed publicam præstabimus, dum scientes & volentes causis iniquis patrocinabimur? Ergo-ne nostra dextera, iniquitatis dextera euadet? Ergo-ne os nostrum, os fiet iniqua loquentium? Ergo-ne lingua & manus sacramento sociatæ vt in affectum transirent cordis obsequio mancipati iustitiæ, proditorio demùm artificio in necem exerentur veritatis, acuentur æquitatis? O! si nos maiorum non laterent facta heroïca, quanta ex illorum virtutibus fulgeret super ea re claritudo & gloria? Quot monstra eliserunt illi gloriosiore silentio quàm eloquio? Quot

f Medici nihil præter artificiũ, Oratores etiam authoritatem pręstare debent. *Cicero pro Cluētio.*

exciderunt hydras integritate quò secretiori eò sanctiori? Quot denique vel leui dextræ repulsu, litium extinguere venena, dum reiecerunt instrumenta? Audire mihi adhuc videor è sepulchris illorum imò trophæis hanc strenuam emitti vocem. FACESSAT CLIENTVM AVTHORITAS; FACESSAT, SI VLLA EST, CORRVPTA IVDICIORVM POTESTAS; VENDAT ETIAM, SI LVBET, ANIMI SVFFRAGIA, QVÆ TOTA DISTRAHITVR ET EMITVR DIGNITAS; FVNCTIONI NOSTRÆ VEL DISSIMVLARE NON CONVENIT, CVIVS NEC PRETIVM CONSECRAVIT INITIA, NEC PRÆMIVM CONSTITVIT PECVNIA. PAPINIANVS QVIDEM E NOBIS NVLLVS OCCVBVIT; AT BASSIANVS NVLLVS REGNAVIT; NON DEFVIT NOBIS ANIMVS, SED TYRANNVS; PACATAQVE CONTENTI SORTE, VIRTVTEM TENVIMVS NON INVIDIMVS, QVÆ SOLO EX SCELERE NON TAM CORONATVR QVAM PVBLICATVR.

Sed cur ad sepulchra confugio, cùm vel in foris ipsa palmatorum virtus & claritas è spretis vt plurimùm iniquis patrociniis orta se prodat & aucta? Agnoscamus ex integritate respondentium quanta fuerit agentium in ea re fortitudo & religio; excitatique tot stimulis, iusta suscipiamus fortiter patrocinia; Dubia prudenter examinemus; Iniqua strenuè respuamus.

CAPVT XI.

Academica.

VErùm non desunt quibus nostra hæc sollicitudo è maiorum licèt animata cineribus, subinsulsa tamen videbitur, & ad humiliora dumtaxat spectare ingenia. Primi autem quos intueor priscis Academiæ veteris inhærentes dogmatibus, paucula certa, quamplurima incerta referunt; éque insperato rerum euentu se doctos iactant, posse, in plurimis illis, pro vtraque parte differere; alterutram verò quæ sibi deferatur, & amplecti & fouere. Quo, quæso, nisi hoc isto principio nitebatur clari cuiusdam Patroni animus, qui amanter ab infulato monitus Præside, suis ipsumse, nocere palmis è promiscuo velutique gregario suscepto patronatu; *Tot* respondit, *ipso te iudice contra spem præterque vota & actionibus vici & causis cecidi, vt nulla iam iniqua patrocinia censeam*? Addere sanè debuisset, *aut æqua*, quemadmodum sentiebat; necesse siquidem erat, sublatâ è promiscuis patrociniis iniquitate, ipsam ab iisdem æquitatem auferri, cùm par esset illius iudicio, & pugnantis conditio & repugnantis.

a Academici veteres, quorum Plato institutor, certa aliqua habebant dogmata, sed nihil percipi posse aiebāt sensibus aut animo. *Augustin. de ciuit. Dei. lib. 19. cap. 1.*

Academica igitur sunt apud nos & ingenia & dogmata, nec prob bile illud priscum, ex incerto natum, à quouis arreptum, vltimo, vt censuit b Augustinus, Latinas litteras inflauit spiritu; fo-

b Deinde in nostrum Tullium

rensess siquidem etiamnum sedes exagitat & partes; & Carneadeum *c* quidem dogma ludibriosè vellicans iustum & iniustum, verum & falsum, Senatoria *d* potestas Censoriâ *e* multò seueritate sanctior è causidicinæ amandauit limitibus. Quapropter apage *f* Carneades aut quæuis alia Græca pestis; somnia, si lubet, & cùm loqueris, incertum dicas, etiam loquens, an verba proferas an sileas; Tertia sit tecum Academia disputans de fallaci sensuum relatu, faustéque adeo tibi cedant omnia, vt pro tuo tandem voto quotquot erunt tibi discipuli & videntes non videant, & audientes non intelligant. Nefas est nobis Euangelio iudice, scita tua profiteri: veritas quippe & datur, & apud nos est; quam semel, etiam in foro, aut inuentam, aut vt talem conclamatam, non licet vario contrarioque impugnare eloquio.

conflictio ista durauit iam penè saucia & vltimo spiritu latinas litteras inflatura. *August.* 3. *contra Acad. cap.* 18.

c Denique dicitur materiam poscere & Carneadeum aliquid referens in vtramque partem hoc est & pro iustitia & contra iustitiam disputare. *Hieronym. Epistol.* 51.

d *Ayez vne viue apprehension de receuoir la mesme honte qu'on fit, il y a quelque temps, à vn de vostre Ordre, pour auoir plaidé pour & contre sur vne mesme question.* Le Bret, Remonstrance 1. vers la fin.

e Cato Censorius in illa nobili trium sapientiæ procerum ab Athenis legatione, audito Carneade, quamprimùm legatos eos censuit dimittendos, quoniam illo viro argumentante, quid veri esset, haud facilè discerni posset. *Plin. lib.* 7. *Histor. cap.* 30.

f Tu verò Carneades vel quædam alia Græca pestis vt nostris parcam. *August.* 2. *contra Acad. cap.* 12.

At maior nobis difficultas superest in euertendo illo probabili quod clara nonnumquam ingenia nobis obtrudunt & sibi fingunt. Certa quidem, dicet aliquis ex illis, agnoscimus principia; verùm quæcumque segregantur ab iis litium quæstiones, opinione non lege, faustum vel infaustum exitum sortiuntur. Si ergo spectetur exitus, quorsum crucianti disquirere examine decidendi pondus, quod in sola, eaque ambulatoria, reperiri quiret iudicum sententia? Si verò considerentur initia; suo marte, ambiguo scilicet & dubio, curret negotium; tuto semper, quandiu incerto: æquo quamdiu lubrico, probabilisque controuersia exurget, incerta siquidem eius expectabitur decisio. Sed si tandem ad extremum vsque progredi est, probabilis mihi videtur quæstio: mihi, inquam, cui, licèt soli sat tamen est, vt saluâ iuramenti peragam fide, probabiles siquidem non vetor causas suscipere, sed tantùm iniquas.

Quid ais, ô Academice procacissime? Quid ais, inquam, & agis? Totum fori statum euertis: totum Iustitiæ turbas ordinem; ipsiusque summi Dei prouidentiam excæcas, qui vel supremis dispensandis iudiciis opinionem præfecerit, non rationis authoritate motam, non religionis adstrictam vinculo, sed temeritate & partam & actam. Hæcne deorum, in qua stetit ipse deosque etiam diiudicat, synagoga, nullis sapientiæ informatur legibus ni somniatricis & dormientis, ita-ut nedum more, sed sermone etiam Academico, non iudicare vllus præsumat, sed opinari tantùm, tremuloque adhuc labio, ne forsan falsum pro vero capiat & teneat; Apa-

g Quid agis, Academice procacissime? totũ vitæ statũ euertis, omnem naturæ ordinem turbas, ipsius Dei prouidentiã excæcas, qui cũctis operibus suis intelligendis, incolendis, dispensandis, fruendisque fallaces, & mendaces dominos præfecerit sensus. *Tertullia. de anima. cap.* 17.

ge, somniator; iudicis, ni iam iniqui, sententia, ratione polleat necesse est, pondusque habeat non à fallace argumento, sed à verace. Cur ergo iam negligis, dum causa tibi defertur, sedulò inquirere, quem, ratione duce, finem habitura sit? Ecquid? quæ ratio patebit iudici, non patebit tibi, cæcoque prorsus fereris animo, non iam de litis æquitate sollicitus, sed de ipsius incerto exitu & certus & tutus? O! periculosa iuratæ dexteræ socordia, patronatusque non tam ancipiti clientis fortunæ exhibitus, quàm certæ Causidici ruinæ admotus!

Nec quæso mihi adducas probabile tuum Academicum & vanum. Quis enim tuæ sententiæ *g* est? an omnes? an multi? an è numero sapientum vel maximè noti & clari? tu solus, ais, tibi sufficis: Et sanè, vt cadas, tuoque casu clientem innocuum infœliciter opprimas. Dubitabis adhuc, ni fallor, post latum decretum, post dictam sententiam, an probabiliter causâ cecideris, quam probabiliter defendendam susceperas? verùm, non probabilia clientum emergent damna, quibus nil penitùs proficiet deposita à te Patroni temerarij persona, Philosophique consolatoris, aut potiùs somniantis assumpta larua. *h*

g Probabilia autem sunt quæ videntur omnibus vel plerisque, vel sapientibus; atque his, vel plerisque, vel maximè notis & claris. *Aristot. 1. Topicor. cap. 1. num. 7.*

h Turpe est errare, & ideò nulli rei consentire debemus; sed tamen cùm agit quisque quod ei videtur probabile, nec peccat, nec errat; Illud tantum meminerit quidquid occurrit vel animo vel sensibus non pro vero esse approbandum. Id igitur audiens adolescens insidiabitur pudicitiæ vxoris alienę: te te consulo, M. Tulli, de adolescentium moribus vitaque tractamus, cui educandę atque instituendę omnes illę litterę tuę vigilauerunt. Quid aliud dicturus es quam non tibi esse probabile vt faciat id adolescens? At illi probabile est: nam si ex alieno probabili viuimus, nec tu debuisti administrare Rempublicam, quia Epicuro visum est non esse faciendum. Adulterabit igitur ille iuuenis coniugem alienam, qui deprehensus si fuerit, vbi te inueniet à quo defendatur? quamquàm etiam si inueniat, quid dicturus es? Negabis profectò. Quid si tam clarum est vt frustrà inficiere? persuadebis nimirum tamquam in Cumano Gymnasio, atque adeo Neapolitano nihil eum peccasse, imò ne errasse quidem, non enim faciendum esse adulterium pro vero sibi persuasit; probabile sibi occurrit, secutus est, fecit; aut fortasse non fecit, sed fecisse sibi visus est. Iste autem maritus homo fatuus perturbat omnia litibus pro vxoris castitate proclamans, cum qua fortè nunc dormit & nescit. Hoc illi Iudices si intellexerint, aut negligent Academicos & tamquam crimen verissimum punient; aut iisdem obtemperantes, verisimiliter hominem probabiliterque damnabunt, vt iam quid agat iste Patronus prorsus ignoret: Cui enim succenseat non habebit, cùm omnes se nihil errasse dicant, quando non assentientes, id quod visum est probabile fecerint. Ponet igitur personam Patroni, & Philosophi consolatoris suscipiet: ita facilè adolescenti, qui iam tantùm in Academia profecerit, persuadebit, vt se tamquam in somnis putet esse damnatum, *Augustin. lib. 3. contra Academic. cap. 16.*

CAPVT XII.

Paradoxa.

SVccedit Academicæ incertitudini, vmbratilis quædam species tenacissimæ Stoïcorum in defendendis dogmatibus procaciæ, alto quidem, sed vano semper vsurpata consilio. Putant ergo nonnulli Causidici, auctore Tullio, *a* nil esse tam incredibile quod non probabile dicendo fiat; nil tam incultum, quod oratione non excolatur;

a Nihil est tam incredibile quod

excolatur; nil tam horridum, quod eloquentiâ non splendescat; oratorioque Paradoxeæ materiæ fuco adhibito, tentant audacter, queant-ne proferri in medium quæ communis damnat opinio, & ita à se dici, vt à iudicibus cõprobentur. Quorsum, aiunt, iacere & repere in humiliori velutique gregario contentionis modo? Torpet animus si nil noui vel inueniat vel fingat; maiorque gloria exsurgit è desperato negotio probabili effecto, quàm è quocumque plano & facili conseruato; in isto siquidem vix vllâ industriâ opus est; in illo verò vniuersæ artes Rhetoricæ, partes eloquentiæ, dotes ingenij, virtutes animi adhibentur & explicantur. Quis autem non malit, Hoc cadere præclarum, quàm illud vincere inglorium?

non dicẽdo fiat probabile: nil tam horridum, tam incultum quod non splendescat oratione & tamquam excolatur. *Cicero in Paradox. sub princip.*

Pulchra sanè, si pueriles intueamur fabulas, si declamatorium in scholis ludum, si Gymnasticum disputandi ritum ad gloriam comparandam via; impunè quippe in istis luditur, pungitur, cáditur, soriticæque fallaciæ, tortuosa verba, absurda dogmata, applausu circumstrepentium iuuenum, clamosâ & quandoque puluereâ donantur palmâ; sed in foro, sed apud Iudices, non *b* de comparanda illa fumosa gloria, sed de conquirenda veritate agitur, imò de propugnanda eadem è cuius defensione solida laus enascitur. Si tamen in ipsis Rhetorices principiis steterimus, quomodo concludere aliquid aut inuenire putabimus contra *c* quid dicat sentientem, aut quænam esse poterit conclusi argumenti fides & authoritas? Adsta suasor titubans & ausculta: qui vacillas, me firmabis? imò qui non credis, me suadebis, plusque in me quàm in te præstigiato operaberis eloquio, vt quod falsum tenes, iniquum censes, mihi tamquam verum ingeras, tamquam iustum obtrudas? O! inflatus, *d* sed superbiâ animus qui id tentet, & quidem in foro! ô verè fœneus aut puluereus spiritus, flatu vel modico Iudicum dissipandus & dispergendus!

b Non enim de gloria comparanda, sed de inuenienda veritate tractamus. *August. lib. 3. contra Academ. cap. 14.*

c Prouidendum est ne quæ dicũtur ab eo qui dicit dissentiant. *Quintilia. 3. Institut. cap. 10.* Quomodo quẽpiam aut conclusisse aliquid aut inuenisse diceremus, aut quæ esset conclusi argumenti fides. *Cicero lib. 4. Academic. quæstio.*

Sed vt omnes *e* istos Rhetorices aculeos, & totum tortuosum genus vel declamandi vel disputandi relinquamus, ostendamusque non quàm futilia ex se ea sint, sed qui nos simus in forensi puluere, numquid de vita *f* nostra, de moribus, de animo res agitur, dum clientum patrocinia suscipienda sunt, proque anima res est nobis? Siccine ergo, præstigiatores, sacramenti vestri estis immemores, vt in paradoxa diffusi, dicatis linguâ versatili malum *g* bonum, & bonum malum? vt tenebras ponatis lucem, & lucem tenebras? vt

d Nam nihil mihi videtur inflatius quàm tã multa copiosissimè atque ornatissimè dicere non ita sentientem; quibus tamen ventis fœneus iste Platonicus Antiochus satis, vt mihi videtur, dissipatus atque dispersus est. *August. lib. 3. contra Academ. cap. 18.*

e Sed vt omnes istos aculeos & totum tortuosum genus disputandi relinquamus, ostendamusque qui simus. *Cicero lib. 4. Academ. quæstio.*

f Auferantur de manibus nostris fabulæ pueriles; de vita nostra, de moribus, de animo res agitur. *D. August. lib. 2. contra Acad. cap. 9.*

g Væ qui dicitis malum bonum & bonum malum: ponentes tenebras lucem & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum; vę qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes estis ad bibendum vinum & viri fortes ad miscendam ebrietatem; qui iustificatis impium pro muneribus & iustitiam iusti aufertis ab eo. *Isai. 5. vers. 20.*

amarum vertatis in dulce & dulce in amarum? vt denique iustificetis impium & iustitiam iusti auferatis ab eo? Quid vobis, quæso, qui in funiculis *b* vanitatis iniquitatem trahitis, & tamen sapientes estis in oculis vestris, quid vobis, inquam, nisi V Æ restat? numquid enim cadentibus confusio, numquid vincentibus sua manet damnatio?

b Vę qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum. *Isa. 5. vers.* 18.

Nec sanè video quid nobis afferre queant parentes illi, amici illi, qui natorum, qui amicorum in foro præludia ex iniquis præstruunt causis. Vlli-ne, vel Tyroni, hæc doctrina suggeri debet, vt sacramentum euacuet, & in damnato peragendo patronatu, audaciæ, eloquentiæ, animi, ingenij faciat periculum? O quale periculum & suggerentis & adimplentis! Quod quidem si neutri notum, stupendum est: si notum, deflendum.

CAPVT XIII.

Adoxa.

QVid mirum ergo si Academica illa dogmata, si paradoxa, si futilia & absurda potenti licèt despumata eloquio in arenula desinant, vanoque clamore edito, cum sonitu tandem pereant, lamentabili prorsus & casu & exitu? numquid nos in Senatu vidimus, totumque forum stupescens nonnunquam obseruauit primæ Patronos famæ & gloriæ, prouocantium referentes querelas ex ore damnatos suo, causâque victos cecidisse, silentibus etiam aduersariis, adeò iniqua erant quæ susceperant patrocinia? Quomodo, aiebamus nos adhuc Tyrunculi vno ex istis quondam explicante negotium, quomodo, iterum, vir tantus grauiter adeo impingit, vt vel cæcutire in lumine se nesciat, vel contrà quàm sit æquum & pugnet & dicat? Sic passim & alios videre est, quibus necesse est alterutrum contingat, aut è supinâ duci ignorantiâ, quod probrosum; aut è deperditâ agere conscientiâ, quod damnandum. Quis tamen vllos vacare superbiâ crediderit? Et sanè, seu Academica illa, seu Stoïca, quæ forsan rectiùs dicerentur procacia, obserues ingenia; In Adoxa vt plurimùm feruntur sensa. O! quomodo confracta est virga illa fortis? Quomodo *a* baculus ille gloriosus quassatus est? Quomodo, inquam, eloquentia illa, sapientia illa, doctrina illa tantorum virorum elanguit, emarcuit, euanuit? Expectabatur *b* scilicet Iudicium, & ecce iniquitas: Iustitia, & ecce clamor; Visitati *c* sunt igitur iuxta fructum studiorum suorum, tenebræ *d* confusionis superuenerunt illis, & lux ipsorum obtenebrata est in caligine eius.

a Quomodo cōfracta est virga fortis, baculus gloriosus? *Iere.* 48. *vers.* 17.

b Expectaui vt faceret iudiciū, & ecce iniquitas: iustitiam, & ecce clamor. *Isa.* 5. *vers.* 7.

c Et visitabo super vos iuxta fructum studiorum vestrorum, dicit Dominus. *Ierem.* 21. *vers.* 14.

d Aspiciemus in terram: & ecce tenebræ tribulationis, & lux obtenebrata est in caligine eius. *Isa.* 5. *vers.* 30.

CAPVT XIV.

Quâ prudentiâ rusticani Causidici patrocinia suscipere debeant.

SI verò tot scopulis inhorrescit sub ipsa pharo purpuræ statio forensis, quanta nobis ab eius remotis fulgoribus prudentiâ opus est, ne tenuis cimba quã regimus tristi discerpatur naufragio? Intonatur nobis & quidem ex alto, PERITIAM *a* PROFITENTI, IMPERITIA CVLPA EST: nec innoxium *b* esse debet decipientis in periculo delictum, sub prætextu humanæ fragilitatis. Grauis prorsus sententia, dignaque omni attentione monitio, siquidem non pudoris solius (quæ quidem in rusticanis veprium septis minimè esse solet) Sed animæ ipsius iactura incurritur, si iniqua, si dolosa patrocinia obeantur.

a Imperitia culpæ adnumeratur in eo qui peritiam profitetur. *Axioma petitum è §. 7. institut. de lege Aquil.*

b Sicuti Medico imputari euentus mortalitatis non debet; ita quod per imperitiam commisit, imputari ei debet; Prætextu enim humanæ fragilitatis, delictum decipientis in periculo homines innoxium esse non debet. *l. 6. §. 7. ff. de officio Præsid.*

Iniqua autem quomodo secernere si ignorentur & æqua? Imò, & illa & ista quis diiudicare potis est, ni quæ Causidicum decet imbutus scientiâ? Ergo-ne austeriores visi sumus dum à foro, rurali etiam & ignaros depulimus, & Tyrones amandauimus? Tenuis est, fateor, earum quæ sub vlmo agitantur disceptationum origo; humiliores itidem vt plurimùm experiuntur sub ea partes, sed præterquàm è leuibus paleis grauis non raro enascitur incendiorum ruina; iusti insuper & iniusti ratio non tam è quantitate rei petitur quàm è qualitate, diuitique quod minimum est, pauperi fit maximum. Prudenti igitur nobis opus est scientiâ; vt delatas ad nos causas vel suscipiamus, vel respuamus: Si verò dubiæ nobis è primo aspectu videantur, vel viuos, vel mortuos non negligamus consulere. Pudor sanè non est ipsosmet Authorum euoluere codices adstantibus etiam clientibus, inferioresque nos illis agnoscere qui sub ipsis Lutetianæ Basilicæ columnis animatas in erudito pectore gestantes Bibliothecas, obscuriora adamussim & ex tempore dirigunt. Docti, quantum ad nos, cum libris sumus, nec parum adhuc, si vel cum libris. At vbi, euolutis licèt codicibus, perplexos adhuc nos tenet materiæ obscuritas, sincero moneamus pectore litigantes, peritiores in vicinis sedibus adire Causidicos, responsumque in scriptis accipere super æquitate quam habent causæ. Sic in tenuitate nostra securi euademus, qualemcumque demùm finem & exitum habitura sint negotia.

CAPVT XV.

Solos Aduocatos in Senatu perorare.

PRæstruenda fuit, longiori licèt sermone forsan, de suscipiendo patronatu materia, vt è præmissa & præuia, quos quæue deceret causarum defensio notitia, tutior tandem & honoratior ad suggestum nobis pateret accessus; Æqua enim veréque probabilia si sola obeantur à Causidicis patrocinia, provt è sacramento fas est illis, quanta eorum quæ fatigant Iudices litigiorum moles corruet, Ipsa-met in radice iniquitate succisa? Iam igitur ad agendum accingimur, sed probè, sed æquè; Sapientiâ scilicèt & iustitiâ è nostro vsi instituto. Verùm illæ ipsæ-met etiam in actione nobis adsint necesse est; vtque non alia in Causidicis quàm quæ fulsit in tyronibus methodus nos dirigat, in Senatorio militantes puluere potissimum intuebimur, suis tamen animaduersuri locis, si quid aliter in infimis sedibus quàm in suprema obseruetur.

Primum autem quod nobis occurrit, ex eo Maiorum prodit instituto solis in Senatu orandi partes Aduocatis assignãte. Litigantes quidem sua mandant Cognitoribus negotia, hique permultis in sedibus clientum causas ad Iudices referunt; At in supremo Iudiciorum ordine, nec cliens nec Cognitor ni loquente Causidico audiuntur; Quasi diceres, seruatam quadamtenus Hierarchicæ in illuminando functionis rationem, primumque gradum obtinentibus Aduocatis, á suprema sede cognitionum infundi lumĩna & oraculorum dari responsa, quæ posteà gradatim inferioribus transmitterentur agentibus; Quorsùm enim, nisi illuc tendere potuit enixa adeò Curiæ ipsius de sedulitate Aduocatorum circa Tribunalia commendatio, mulctaque etiam priscis *a* indicta temporibus si defectu Aduocati pars non fuisset audita & expedita?

Magnum ergo Aduocationis præcipuum, quod supremo tandem è Proceribus Senatu instituto, digna & quidem sola reputata fuerit quæ populorum voces exciperet, & ad amplissimum cœtum illum deferret. Cogita, quæso, qui squis es, sacrum *b* illum ordinem, purpuratum *c*, amplissimum, in Patriciatus *d* conseruantem aspice & lumina *e* dignitatum, & dignitatem imperantium. Potestas* est & Authoritas in adiutorium Principis è sacro ipsius *f* edu-

* Potestas in populo, authoritas in Senatu est. *Cicero lib. 3. de legib.*

a Si pars defectu Aduocati sui audita non fuerit & expedita audietur posteá, sed Aduocatus antequàm in alia causa audiatur, decem librarum Turonensium emendam soluere tenebitur; quod de Aduocatis in Parlamento residentibus intelligimus, nam prętextu expectationis Aduocati extranei, vel patrię suæ, non excusaretur, supradictamque pœnam absque deportu leuari præcipimus. *Ordinat. Philip. 7. an.* 1343. *extat Styl. Parlam. part. 3. tit.* 15. §. 7.

b Constat eum de se pręsumere, qui ad sacri ordinis cupit fastigia peruenire. *Cassiod. 4. variar. 25.*

c Non vos maiorum purpuratus, tantùm ordo clarificat. *idem 8. cap. 1.*

d Patriciatus tibi apicem iustâ remuneratione conferimus. *idem 1. cap. 3. fine.*

e Conuentus siquidem talium, est dignitas imperantium, &c. vt collegium vestrum ornent lumina dignitatum. *idem 1. cap. 4. sub princip.*

f Faciamus ei adiutorium, &c. Tulit vnam de costis eius, &c. & ędificauit Dominus Deus co

cta gremio, constanterque adeò translato *g* animata spiritu, vt & diuisum sustentet onus, & per ipsa iudiciorum semina illustris *h* viuentium parens existat. Potestas est & Authoritas, cuius ipsa *i* origo iam gloria est; cui idem dignitatis quod vitæ principium, cuius non alter spiritus, quàm requiescens in ea Regius & supremus. Potestas denique & Authoritas est, super cuius verticem species *l* gloriæ Principis quasi ignis ardens in purpurato fulget amictu, legemque non lapideam, sed *m* animatam in conspectu populorum & ponit, & edit. Dic plura, si vales, & cùm absolueris, inferiora maiestate illâ te loquutum contestare; Aduocationis autem inde laus enascetur & quidem haud modica, vt cui medium splendidæ illiùs *n* nebulæ ingredi datum sit; Conspicuum montem fulgoribus conscendere; facie *o* loqui ad faciem; verba deferre; responsa accipere; sublato cæteroquin prisci illius Areopagi velamine; filia quippe lucis est, lucem amat, opera lucis intendit, & in occulto loquitur nihil.

stam quam tulerat de Adam in mulierem. 2. *Genes.* 13. 21. 22.

g Congrega mihi 70. viros de senibus Israël, quos tu nosti quòd senes populi sint ac magistri, &c. & auferam de spiritu tuo, tradamque eis vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris. *Num.* I. *vers.* 16. 17.

h Constat Senatum populis viuendi regulam pręstitisse. *Cassiod.* 2. *variar.* 24.

i Merita cum luce pręstatis; origo ipsa iam gloria est, laus nobilitati connascitur; idem vobis est dignitatis quod vitę principium. *idem* 3. *cap.* 6.

l Erat autem species gloriæ Domini quasi ignis ardens super verticem montis in conspectu filiorum Israël. *Exod.* 24. *vers.* 17.

m Atque ita consequitur vt Rex, animata sit lex: Lex verò sit rex iustissimus. *Philo Iud. lib.* 2. *de vita Mosis sub princip.* Legem animatam eum mittentes hominibus. *No.* 105. *cap.* 2. §. 4. Hinc & nonnulli inferunt. Lex Magistratus mutus; Magistratus, lex animata.

n Ingressusque Moyses medium nebulę, ascendit in montem. *Exod.* 25. *vers.* 18.

o Facie ad faciem locutus est nobis in monte de medio ignis, ego sequester & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo, vt annuntiarem vobis verba eius; timuistis enim ignem & non ascendistis in montem. *Deutero.* 5. *vers.* 45.

At vnde laus enascitur; inde etiam acris admodum mihi videtur excitari stimulus, quo militantium sub istius conspectu purpuræ, ad solidam mentes gloriam euehantur. O! quotquot estis supremæ sedis illius participes, altos in vobis animos gerite. Id iustum, id æquum est, vt digna tanto cœtu quælibet vestra prodeat actio. Mementote verbi illius quod in Panegyricis Protopræses Molæus nobis aliquando impressit; SENATVM, SCILICET, TANTI VOS FACERE, VT AD SVAM GLORIAM FACERE CREDERET, QVODCVMQVE MAXIMVM, QVODCVMQVE OPTIMVM IMPLERETVR A VOBIS. Non *p* vnius sanè dignitatis vir æstimandus est qui à sacra illa Senatorum turba bonum potest referre iudicium, compendiosaque hæc probatio, dum suo pondere libratur, in immensum diffunditur.

p Non vnius dignitatis vir ęstimandus est, qui ab illa turba doctorum, bonum potuit referre Iudicium? Nam si gratum est vel sub raritate pręadicari; Quid illi gaudij prouenire possit quem tot nobilium vota laudauerint? *Cassiod.* 9. *variar.* 7, *fine.*

Adinstar autem supremæ Curiæ, Præsidiales etiam habent se Sedes, apud quas & prouocationum, & aduersùs decreta supplicationum causæ à solis perorantur Causidicis.

CAPVT XVI.

Mutua inter Aduocatos instrumentorum litis editio.

AT si sola apud Senatum causas perorat Aduocatio, dignis sanè Senatorio & foro & solio exornata est institutis; Quomodo enim maiores nostri passi fuissent illam remissiore informari disciplinâ, quàm nitere operâ? Hæc igitur amodò supremi fori in causis orandis habendi se ratio edisserenda est, vt quos mores à maioribus *a* accepimus, posteris illibatos tradamus nostris.

Cauerunt autem sagaci omninò prudentiâ, vbi causa *b* propemodùm agenda esset à Causidicis, litium instrumenta vniuersis edi, quemque scilicet aliis transmittere quotquot penes se essent secretiora etiam clientum authentica. Pulchrum sanè institutum maximéque necessarium, vt rectis *c* ad cognitionem veri lineis tendat animus, eâque gaudeat inquisitione veritatis quæ desiderato non frustratur effectu. Vt enim iam præmisimus, filia lucis Aduocatio nostra est, in splendoribus genita Senatorum, veritatem quærens, ad lucem veniens, vt manifestentur opera eius. Quale autem, quisquis es, de sinceritate tanta potest tibi subesse iudicium? num Athletas prisci temporis tibi videris adhuc intueri, enudatis prodeuntes pectoribus, aut saltem lustratis hinc & inde armis; vt, dolo semoto, quin-etiam doli vllius quacumque suspicione depositâ, virtute solâ se accinctos palmam obtinere contenderent, obtinuisse probarent? Haud aliter nos incedimus; opera *d* execramur tenebrarum; dein sicut in die honestè ambulantes arma lucis induimus, & ad innocentiæ *e* testimonium, inter tenebrosas litigantium calliditates, lucernas semper boni socias operis portamus in manibus, ne quandoque vituperari ministerium nostrum contingat. *2. Corinth. 6. vers. 3.* Quid penes me, quod non penes aduersarium fuerit? Quid rursus penes aduersarium esse potest, quod non in meis extiterit manibus, antequam descendamus in campum? Et eius arma tenui, & ille mea; vnicumque & illi & mihi superest, in exerendis scilicet illis periculum.

a Reddé laudes posteris tuis; quas à maioribus accepisti. *Cassiod. 9. variarum 7. fine.*

b Vbi causa in proximo est vt agatur à Causidicis, qui in id de more optimo ac necessario instrumenta litis edunt sibi inuicem. *Mornac. ad l. 1. §. editiones. ff. de edendo.*

c Magnum bonum confert inquisitio veritatis, quę tamen tunc desiderato non frustratur effectu, si rectis ad cognitionem veri lineis animus admittatur. *D. Fulgent. ad Thrasimund. Regem, lib. 1. cap. 3. in princip.*

d Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis; sicut in die honestè ambulemus. *Ad Roman.* 13. *vers.* 12. 13.

e Benè ergo Dominus adiecit: Et lucernę ardentes in manibus vestris; quia semper ad innocentię testimonium lucernę nocturno portantur in tempore; & sicut vitiis amicę semper sunt tenebrę, ita lucernę semper inimicę criminibus. Socię semper boni operis sunt lucernę. *Petr. Chrysolog. sermo. 24.*

Apage igitur post-hæc vana prisci temporis fatuitas vitutem *f* æque ac dolum in hoste commendantis; Apage etiam futilis litigatorum in fallacibus instrumentis reposita spes & expectatio; Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate, aut quæ conuentio lucis ad tenebras? *2. Corinth. 6. vers. 14.* insidiatores occulti è *g* foro exulant, nulli nisi

f Dolus an virtus quis in hoste requirat?

g Plus plerumque est periculi in insidiatore

Ibi. v. 7. manifesti decertant hostes; in sapientia non ficta, in verbo veritatis, in virtute denique dextræ conflictatur, perque arma pugnatur iustitiæ, quæ cùm *b* sit lux rerum, consiliis non velatur obscuris. Lac sine dolo in Tyrocinio hausimus: iamque solidioris cibi facti capaces, fermentum prauitatis & nequitiæ fugimus, azima verò sinceritatis & veritatis assumimus.

occulto, quàm in hoste manifesto. *D. Leo, sermo 9. de Quadrages.*

b Iustitia lux rerum consiliis nō velatur obscuris. *Petr.* Chrysolog. *sermo. 9.*

CAPVT XVII.

Quantum ad ferenda iudicia faciat mutua illa instrumentorum litis editio.

EO igitur fine mutua illa editio instituta est, vt sensata & intelligens dextera, sensato itidem & intelligenti iuuetur pede, depulsisque ex obscuro quantumlibet negotio versutiarum tenebris, certior hinc inde valeat efferri gressus, & iniri pugna non vaga aut futilis, sed è clauso veluti campo statuta & fixa. Quantum autem id faueat Iudicibus nemo non videt, resectis *a* siquidem discrepantiarum ambagibus, quæ vt plurimùm è suggestis à dolosa ignara-ue parte contrà quàm instrumenta ferant, enascuntur & pullulant; vnica vel facti vel iuris enudatur quæstio, certique fiunt Iudices de eo controuersiarum apice, quem suâ debeant dirimere sententiâ. Quapropter sedula prorsus ipsimet Senatui incumbit cura, ne Causidici ad suggestum accedant, priusquàm sibi inuicem causæ quam acturi sunt ediderint instrumenta; & apud Corbinum videre est enixam circa illud Senatus prouidentiam, cuius potissima hæc inibi affertur ratio; vt scilicet Aduocati in iis quæ facti sunt, nullatenus dissentiant.

a *Par Arrest du Conseil du* 1. *Mars* 1546. *fut enioint aux Aduocats de s'accorder des faits.* Guenois confer. des Ordon. liu. 2. tit. 6. *num.* 13.

b *La Cour pour euiter discord au fait & se rendre plus prompte au Iugement, ordonna par reglement inuiolable, que les Aduocats se communiqueroient fidellement leurs pieces & moyens & demeureroient entr'eux d'accord de leurs faits & des points de la controuerse, autrement que la Cour y aduiseroit, & donneroit reglement pour le bien des parties.* Par Arrest donné en la Tournelle le Samedy 14. Ianuier 1610. Arrests de Corbin chap. 25.

Non igitur perfunctoriè dumtaxat mutua hæc instituta est editio, sed omnimodæ necessitatis est, ita vt, alter Aduocatus alterum ab orando prohibere queat, si sibi litis instrumenta transmittere vel noluerit, vel omiserit. Quin & nonnumquam, si neuter sibi inuicem edidisse, è discrepantia factorum aduertatur, remittitur causa delibanda apud Trium-viros, vt dissonantia in his quæ facti sunt penitus amputetur. Digna sanè religione Senatus prouidentia, ne in incertum sub eius decertetur aspectu, pretiosaque iudiciorum tempora nugis absumantur inanibus.

CAPVT XVIII.

De instrumentis post editionem suppressis.

VLtimum quod è mutua illa editione oritur commodum ipsos etiam spectat clientes; nonnumquam enim periclitantium salus è sibi aduersantium eruitur armis, ita-vt haud ineleganter quibus id contingit exclamare queant: *Salutem ex inimicis nostris, & de manu eorum qui oderunt nos.* Verùm, quid fiet si nociua illa impugnantium instrumenta supprimantur ab ipsis, postquàm edita fuerint, adeò vt concepta ex illis victoria, optato non sinatur coronari exitu? Recens super ea re latum est Iudicium; Recens, inquam, iam enim inopiæ meæ & misertum est, & succursum.

Lite motâ apud Recuperatores Basilicanos de iusta Pastoralis Ecclesiæ possessione, Aduocati peroraturi causam sibi inuicem, vt moris est, sacculos transmiserunt; Et Actoris quidem, cui nomen Lanquerius, Patronus erat Bosius, Rei verò, qui Cossartus dicebatur, Abrahamus. Inter autem Actoris instrumenta Pontificium quoddam diploma suspectæ adeò fidei inuentum est, vt è re visum fuerit falsi illud arguere. Postulauit igitur Reus accusationem hanc suam nomine, vt aiunt, inscripto suscipi; & ne fraus fraudi ab actore adderetur, exscribi instrumentum quod & impetrauit. Confestim Abrahamus eâ fide quâ sacculum acceperat, Bosio remisit. (Non enim diploma illud suspectum exscribi decuisset ni penes actoris Cognitorem repositum) hâc tamen cautione adhibitâ, vt ipsemet priuatâ manu, exemplum vt loquimur figuratum confecerit & asseruârit. Sic, cùm penes actoris Cognitorē omnia ipsius instrumenta deuenissent, fraudulentus actor falsi conscius, reo denuntiauit nil se ab eo diplomate iuris desumpturum, ideoque falsi quæstionem iam esse superfluam. Fallebatur tamen, in sacra etenim re controuersa aliud prorsus obseruatur quàm in prophana. Quapropter suam instrui accusationem reus poposcit indefessâ adeò operâ, vt actorem ad causam perorandam compulerit. Tunc iste ad alterum Aduocatum, Lommæum scilicet, confugiens, instrumenta litis detulit, suppresso tamen quod arguebatur diplomate. Transmittuntur hinc & inde sacculi; doloque actoris cognito, conqueritur Abrahamus diploma demptum è sacculo, illud ipsum reponi efflagitat, sibique edi; sin minus, ei exemplo stari debere quod ipsemet, priuatâ quantumuis manu, sed fide quâ solent Aduocati desumpsisset; cæteroquin sibi anteà editum, nūc verò suppressum satis ex ea constare denuntiatione actoris, quà nil iuris ab eo sumpturus contestatus fuerat. Obnititur actor in contrarium, quâ valet arte, cúmque ea maximi momenti disceptatio videretur Iudicibus, litem Triumuiris edi pronuntiant, vt quid publica deposceret disciplina rogitarent. Deferuntur ergo ad

Maistre Du bois.
Maistre Iacques Abraham.
Maistre de Lommeau.

ad Trium-uiros sacculi; tandemque iuxta eorum postulationem, aut iterum edi diploma pronuntiatum est, *a* vt falsi accusatio suo marte curreret, aut ab exemplo quod Abrahamus desumpserat Iudices petituros vltimi sui iudicij rationem.

a Entre Maistre André Cossart Curé de Mondetour, & Maistre Robert Lanquier, &c.

** La Cour ordonne que dans trois iours Lanquier sera tenu representer les pieces cy-deuant communiquées à l'Aduocat de Cossart, pour plaider la cause d'entre les parties, pour estre l'inscription de faux instruite, sinon sera passé outre au Iugement du different sur l'extraict fait par l'Aduocat dudit Cossart. Fait en la seconde Chambre des Requestes, le 4. Mars 1664.*

Quid, quæso, hâc-ce sententiâ augustius, vt editionis, etiam quo-ad litigantes, commendaretur vtilitas? sed & Aduocatis sua seruata est fidei inconcussæ veneratio; non enim putauère Iudices aliam in exemplo quàm in authentico subesse instrumenti speciem; inque odium fraudatoris & supprimentis autographum, priuata manus, quia Aduocati, publicæ authoritatem & induit & habuit.

CAPUT XIX.

Quâ fide sacculos forenses sibi inuicem transmittant Causidici.

PLus satis igitur constat quo fine Maiores nostri voluerint mutuam instrumentorum fieri editionem: Quo verò ritu, quo more, quâ fide, iam referendum nobis est, vt æqua illorum *a* sapientia eluceat in transmissionis, ac in editionis instituto.

Mirum autem quâ fide, *b* ne simplicitate dicam, totum hoc in Senatu geratur & absoluatur negotium; non enim vllus ab vllo syngrapham accipit; non suspicioso documenta notat numero; non apposito propriæ tesseræ instrumenta munit symbolo; sed singuli singulis quales à Cognitoribus acceperunt, transmittunt sacculos, atque, vt plurimùm, solâ Amanuensium operâ, quibus & deferendi creduntur, & delati, si patroni absint, non temerè relinquuntur. Mirum, inquam. Et sanè peculiaris Parisiensi foro ritus ille est, in aliis enim, supremis etiam sedibus, numquam instrumenta clientum aduersantibus eduntur Causidicis, ni cautione acceptâ. Vnde ergo tanta in agendo disparitas, quo-ue moti fue-

a Fidem nisi in sapiente non esse. *Seneca Epistol.* 81.

b *Remarquez cet exemple, dis-ie, vous autres ieunes gens, & non seulement ceux qui sont ou desirent estre Conseillers & Officiers du Roy: mais aussi ceux qui doiuent demeurer Aduocats, & vous souuenez de conseruer & transmettre à vos successeurs l'honneur que vos Anciens vous ont acquis d'estre fidels en la communication de vos sacs, sans y rien receler, déguiser ny retenir, qui seroient autant d'especes de faussetez. C'est à la verité vn grand honneur, reprit M. Pasquier, que les Aduocats de cette Cour meritent pardessus ceux des autres Parlemens & Compagnies souueraines, lesquels ne se communiquent leurs pieces que par Inuentaires, comme se desfiant les vns des autres, au lieu qu'en ce Parlement les Aduocats s'entrecommuniquans leurs pieces s'en reposent absolument sur leur simple foy, & s'il n'en est point encore iamais aduenu faute:* Dialogue des Aduocats, Confer. 1. parmy les œuures de Loysel.

runt nostri Maiores animo vt litigantium documenta, literas, codicillos, è quorum sæpiùs vel asseruatione, fortuna, vel amissione, familiarum pendet ruina, tam facili manu hinc & inde edi, transmitti, remitti voluerint? Nonne ea fiducia, temeritati quàm sapientiæ proximior, vt quæ inter affectus *c* inquietissimos, rem quietissimam, fidem nimirum & credat, & ponat?

c Inter affectus inquietissimos rem quietissimā, fidem quæris? *Seneca 7. de Benef. 7. in princip.*

Magnum est illud, fateor, imò permaximum. Si enim inter dispensatores Euangelij quæsitum est, vt fidelis quis inueniretur; an minor inter fori ministros enasci debuit sollicitudo, maximè præmonente sacrâ paginâ, *Virum fidelem quis inueniet*? Attamen, quò inconsultior videtur extitisse Maiorum institutio, eò moueor conjicere sagaciori illos ductos fuisse consilio. Quo enim primæuæ illius disciplinæ patres nisi forti & magnanimo spiritu, nisi solerti dignoque seipsis pectore animatos fuisse putare est, dum cœtu facto, pensatis hinc inde rationibus, æquâ de se, prouidâ de posteris cogitatione habitâ; tanti demùm instituti fundamenta iecerunt? Audire etiam-num mihi videor illos religiosâ prorsus dicentes mente; QVID AGIMVS, QVÆ-VE NOSTRA SOLLICITVDO EST? DE MVTVA INTER NOS SERVANDA FIDE QVÆRITVR, IMÒ DE MVTVÆ FIDEI ILLIVS SERVANDÆ PIGNORIBVS. AT NVM VERVM EST, HABERE NOS OMNES FIDEI PIGNVS IN ANIMIS ET MANIBVS NOSTRIS *d*? CVI ERGO INTER NOS DE SE NON CONSTAT, VT ALIAM AB ALIO QVAM IPSVM SE CAVTIONEM PETAT, CVM NEMO DE ALTERO SIBI CAVERI IVRE EXPOSTVLET, QVIN DE SE IPSO ETIAM CAVENDVM SIGNIFICET? IN VNOQVOQVE DE VNOQVOQVE SVBEST IVDICIVM; PAR ANIMO FIDES EST, TOTOQVE IN COETV NOSTRO VEL TOTA EST VEL NVLLA, EX EODEM NEMPE ERVTO SINV, MOTO SPIRITV. APAGE POST HÆC SOLLICITVDO CRVCIANS QVÆ NONNISI DE SVSPECTIS ORITVR PECTORIBVS: NOSTRA VNIVERSA ÆQVA REGIT FIDES, TENET RELIGIO, NEC MAIOR IN CVNCTIS REGNAT, QVAM VEL IN VNO. CVR ITERVM DE POSTERIS INIQVIOR NOBIS ERIT SENTENTIA? AN PERPETVATO CORPORI EXTRANEVS INTRVDETVR SPIRITVS, ET NON POTIVS ILLE QVI PRÆSENS FIRMAT COLLEGIVM SVBSTITVTAS ACCESSIONE REPLEBIT PARTES, QVASI INFIRMIOR IN SVA PARTVRITIONE INVENIRI DEBEAT ANIMVS QVAM CORPVS? INDIGNA ISTA EST QVÆ NOS PREMAT SOLLICITVDO. SVSCITABIMVR IN POSTERIS, NOSTRAQVE IN ILLIS PERPETVATA FIDES, ET DIGNAM PATRIBVS SOBOLEM EXHIBEBIT, ET IVSTAM PATRVM DE POSTERIS FIDVCIAM COMMENDABIT!

1. *Corinth. 4. in princip.*
Prouerbior 20. vers. 6.

d Equidem cogito habere nos omnes fidei pignus in animis & manibus nostris. *Cyrus apud Xenophon. lib. 4. de instructio. Cyr.*

O! laudanda *e* prorsus fiducia quæ sui æstimationem iusto adeò pondere examinat, vt æquo declinans spatio à præsumptionis demissionisque animi defectibus nil sibi supra vires tribuat, nil quoque quod adimplere possit intentatum relinquat.

e Laudanda profectò fiducia est, quæ æstimationem sui certo pondere examinat, tantùm sibi arrogans quantùm à contemptu & insolentia distare satis est. *Valer. Max. lib. 3. cap. 7. in externis. nu. 1.* O fiduciam non solùm fortem, sed penè etiam temerariam! *ibid in Romanis num. 5.*

Quid *f* quæso hâc fiduciâ generosius, hâc prædictione verius, hâc authoritate efficacius, hâc etiam dignitate dignius? adeantur si lubet amplissimi ordinis penetralia, Documenta explicentur, codices euoluantur & tabulæ, nobisque referat indagator vel infensus, an in quopiam *g* fides illa vel necessitate ad fallendum coacta, vel pretio corrupta tantisper labauerit, minorique vmquam fulserit sanctitate in posteris quàm in atauis. Cælo sanè gratias agimus, quòd qui propriæ suæ Maiestatis vindex est Senatus, tantæ integritatis nostræ fidelissimus testis existat, perque totidem huc vsque viderit sæcula, ET SVAM SINE CALIGINE CLARITATEM, ET NOSTRAM SINE LABE RELIGIONEM. Apage, post hæc, prouidi huiusce instituti suggillator & censor; seu consilium spectes, magnanimitatem; seu exitum, fidelitatem, mireris necesse est; probroque haud leui notaberis, si Togatorum illud *h* celebre Collegium, perenne fidei negaueris asylum.

f Nihil hâc fiduciâ generosius, nihil prædictione verius; nihil celeritate efficacius, nihil etiam dignitate dignius. *Valer. lib. 5. in Rom. n. 1.*

g Fides sanctissimum humani generis bonum est, nullâ necessitate ad fallendum cogitur; nullo corrumpitur præmio. *Sen. Epist. 88.*

h Illam Curiam, mortalium quis concilium ac non fidei dixerit azylum. *Valer. lib. 6. cap. 6. nu. 5. fine.*

CAPVT XX.

Quâ seueritate suggillatam editionis fidem Senatus vindicârit.

Vos autem qui post nos futuri estis tantæ hæredes familiæ, miram hanc *a* fidem promissique constantiam fortiter adeò implete & transmittite, vt quæ virtus filia *b* sapientiæ, fundamentum *c* Iustitiæ dicta est ab Antiquis, nostro peculiariter noscatur adhærere ordini, quem, vt suprà dictum est, sapientia & iustitia præstruunt & euehunt. Hoc vobis seruandum datur depositum, hæc auitæ familiæ vobis tessera commendatur, hæc denique fides fidei vestræ committitur; vtque non remissiores sint vobis animi quàm nobis, discite traditeque posteris, quam nostra ætas & mirata & venerata est Curiæ seueritatem, cùm à temeratore quodam læsa fuisset religionis nostræ opinio. *d*

Maistre Nicolas Richer.

Orantem enim aliquando Richerium interfari ausus litigator petulans, queri cœpit apud Senatum, vltimi in sua causa momenti documentum, fuisse suppressum à Richerio, cui dudùm forensis sacculus transmissus fuerat; vtque maior sibi daretur fides, rogauit etiam probationis facultatem. Nullus autem non aduertebat fugacem iudiciorum hominem ad eum confugere dolum, quo si valeret, lis indecisa vlteriùs protraheretur; At Richerius pro eo qui decebat Togatum animo, non sibi soli, sed toti Collegio factam exagitauit iniuriam; suggillatam petulanter adeò, illibatam à patribus acceptam fidem, vniuersæ apud Senatum Aduocationi probrum inurere, ipsamque etiam Curiæ lædere maiestatem; vt in cuius solius Causidicis, mira inter edendum fides & religio, nullisque vmquam alligata pignoribus, & per omnia retrò sæcula

a O constantiam promissi & miram fidem! *Cicero 4. ad Atticum Epist. 16. in principio.*

b Fidem nisi in sapiente non esse. *Sen. Ep. 81.*

c Fundamentum iustitiæ fides est. *Cicero 1. officio. num. 23.*

d *Tout cecy est rapporté au long és opuscules de Loysel, en l'Indice Alphabetique des Aduocats; sous le nom de Broussel, Iacques pere, en ces termes. En l'année 1638. il arriua vne semblable chose à M. Nicolas Richer aussi Aduocat en la Cour, plai-*

integra floruisset, & etiamnum sancta perstaret; indéque ad causam, sic iubente Senatu, sermone verso, hora data in sequentem diem iudicium distulit; quo quidem facto, mira expectatio vniuersos tenuit Collegas, qualis sibi daretur de tanta petulantia vltio. Nec sanè defuit illis sagacissima Curiæ prouidentia; temerator quippe haud leui mulctatus pecuniâ, quæ & incarceratis & Richerio cederet, interminatà, insuper, publicâ animaduersione vetitus est in posterum eiusmodi querelas aduersùs fori Richeriique existimationem emittere, iussusque impensas exsoluere Richerio.

At nondum satis. Lato decreto se grates summas agere Senatui Richerius contestatus, ipsius etiam addidit referre arbitrio quam sibi addixisset mulctam pecuniariam. Plausus ad hæc vndique. Surgit Protopræses; Senatores, vt moris est, alloquitur; rogat Sententias; diceresque incertum, iustitiæ-ne an gloriæ cura maior vniuersa exagitet pectora. Parcite, quæso, Iudices, non nostri est animi cum amplissimo cœtu vestro de gloria contendere, nec ille qui vobis defert, quicquam à vobis auferre, vel satagit vel præsumit; quod à vobis accepit, seruatam scilicet fidei opinionem, toto complectitur animo; at quod vestra benignitas dignata est adiicere, mulctam, dico, pecuniariam, non respuit, sed subiicit. Magnos, fateor, vel in eo promit spiritus, sed haudquaquam remissiores totus spirat Togatus ordo, nec sub vestra militantes purpura viros decceret humiliore moueri vel virtute vel gloriâ; HÆC TANDEM DE VESTRO MAGNANIMITAS EST, quam ideò suprema vestra authoritas improbare nec potest, nec debet. Et quidem, ad solium Protopræses reuersus, de Curiæ sententia, Richerio, tanto illustri facinore, & laudem dedit, & mulctam retulit.

dant le 13. Iuillet pour M. Robert Dubois Procureur d'office de Regny, contre Dom Iean du Lion, Prieur dudit Regny, lequel present en l'Audience pour empescher le Iugement de sa cause auoit remonstré à la Cour, que ledit Richer ayāt pris communication de son sac le Parlement passé, en auroit soustraist vne piece qui estoit la coppie collationnee à l'original d'vn acte de prise de possession de son Prieuré de Regny, laquelle piece s'il eust euë alors, sa cause seroit du tout indubitable, & auroit requis à estre receu à faire preuue de cette soustractiō.

Sur quoy M. Nicolas Richer ayant repris la parole pour se defendre, demande reparation de cette iniure, & supplie tres humblement la Cour qu'elle ne demeurast pas impunie, dit que ce n'estoit pas luy seul qui estoit offensé en cette occasion, mais que tout le Barreau l'estoit en sa personne: que c'estoit faire tort à l'honneur des Aduocats du Parlement de Paris, qui auoient tousiours esté en cette reputation de garder inuiolablement entr'eux la foy & la fidelité qui ne se pratique point dans toutes les autres Cours souueraines du Royaume; qu'ils se communiquent leurs sacs les vns aux autres, sans inuentaire & sans recepissé quelconque; que dans ces sacs ils mettent de bonne foy toutes les pieces originales de leurs parties concernant non seulement le bien des particuliers, mais souuentesfois la fortune des familles toutes entieres, & que neantmoins iusques alors depuis que le Parlement est Parlement, il n'en estoit arriué aucune faute: que iamais aucune plainte n'en auoit esté renduë, &c. La cause remise au lendemain fut ordonné ce qui suit.

La Cour faisant droit sur les conclusions du Procureur General du Roy & sur la plainte de Richer Aduocat, pour l'insolence commise par ledit Prieur present en l'Audience allencontre dudit Richer l'a condamné & condamne en la somme de quatre cent liures parisis, applicables au pain des Prisonniers de la Conciergerie du Palais; & outre en la somme de cent liures tournois de reparation enuers ledit Richer Aduocat. Fait inhibitions & defenses au demandeur de plus faire telles plaintes contre l'honneur du Barreau & celuy du complaignant, à peine de correction exemplaire: & si l'a condamné és despens enuers ledit Richer pour ce regard.

L'Arrest prononcé, Richer a dit estre trop obligé à la Iustice de la Cour, & qu'il remettoit à sa disposition de distribuer à qui par elle seroit ordonné la somme qu'elle luy venoit d'adiuger.

Monsieur le premier President est allé au Conseil, & ayant sur ce deliberé, a dit à Richer que la Cour loüoit son action; luy remettoit l'amende pour en disposer ainsi que bon luy sembleroit: Fait en Parlement le Mardy 13. Iuillet 1638.

CAPVT XXI.

Probrosum est foro quempiam Aduocatorum damnari iure nexus ad restituenda instrumenta sibi edita.

PRæclarum hoc Richerij facinus subsecuta est sexennio post egregia Lhostei strenuitas, à quodam Curiæ Vectigalium excitata decreto, cui forti omnino pectore intercessit, cùm scilicet contra forensis disciplinæ instituta damnatus fuisset manus iniectione, iureque nexus, edita sibi instrumenta restituere; sic autem tota se res habuit.

M. Iean Marie Lhoste.

Pussortius è summis Vectigalium Iudicibus haud obscuri nominis lite contendebat in ipsamet Tributariorum Curia aduersùs Salinarum Redemptores. His Patronus aderat Lhosteus maior, qui cùm causa in proximo agenda esset, Pussortium rogauit de sibi, vt moris est, transmittendis instrumentis. Fecit hoc iste paulò pòst, Amanuensis sui ministerio, qui sacculum credidit Amanuensi itidem Lhostei tunc præ leui inualentia decumbentis. Sub vespera eiusdem diei surgens Lhosteus sacculum ab Amanuensi accepit, eoque aperto, obseruauit vniuersa documenta (erant autem septuaginta sex supra ducenta) à primo ad vltimum, & numero notata & symbolo; vt tamen audierat collitigantes ad qualemcumque dissidij propendere pacificationem, ab euoluendis numerosis illis instrumentis abstinuit. Proximo deinde fasto die, cùm in forum ascendisset, accidit illius Amanuensem, Pussortij saccum deferre, alterum verò dicendæ causæ destinatum domi relinquere; quapropter è Curia domum remissus est Amanuensis omissum allaturus; intereáque temporis quotquot habebat Lhosteus sacculos forenses, atque ideò Pussortianum, Instigatori Redemptorum fortè sibi adstanti custodiendos tradidit. Id à quopiam obseruatum, confestim Pussortio relatum est; qui suspicatus vniuersa suæ litis instrumenta aduersariorum Instigatori contra fas fidemque fori credita fuisse, supplicem Curiæ porrigit libellum, & postridie illius diei decretum impetrat quo Lhosteus damnabatur, iniectione manus, edita sibi restituere documenta. Protinus hoc placitum Lhosteo denuntiatur, qui tamen præsenti vt erat animo, & intercedere se dicit, & pro grauitate rei querelas facturum contestatur; cúmque die alterâ causam è suggestu inciperet, ex aduerso septo surgens Pussortius interfatur & expostulat, ab agendo dicendoque Lhosteum depelli, donec decreto obtemperâsset. Hinc igitur grauis omnino disceptationis exordium; confestim enim Lhosteus re, prout se habuisset, explicatâ, insitatam inauditamque agendi rationem conqueritur, nedum aduersus se, sed & in vniuersi fori opprobrium vsurpatam; Togatos ad inuicem honestiore prorsus

Mõsieur Pussort.

Ce differend & l'Arrest qui interuint, fut le Vendredy 10. Iuin 1644. en la grand'Chambre de la Cour des Aydes.

habere se ritu; totiusque interesse ordinis probrosum huiuscemodi decretum non permanere. Surgit adhæc Protopræses Amelotus, longoque conceptâ examine iudicandi formulâ, tandem reuersus ad solium, forensem Pussortij sacculum Scribæ pluteo iubet imponi; quo facto, de Curiæ Sententia, Lhostei fidem liberatam pronuntiat. At Lhosteus, quónam decretum illud pergeret haud ignarus, instat non sibi, non ordini satis prouisum, probrosam quippe damnationem saluo etiamnum stare imperio; se & intercessisse vbi-primùm sibi denuntiata fuisset, & nunc adhuc intercedere, reclamàre, contradicere, deque sua intercessione & cognoscendum à Curia & iudicandum. Surgit ergo Protopræses, iterumque rogat sententias. At dum longo difficilique inter Iudices scrutinio iudicandi formula repetitur, & an retinenda sit an immutanda, sagaci disquiritur examine, murmur haud modicum è cunctis oritur septis & cancellis, disseminatâque etiam extra Vectigalium Basilicam quid intus ageretur famâ, quotquot inuenti sunt forensis decoris & gloriæ studiosi accurrunt, suæ religionem fidei illibatam seruari exoptantes. Et nonnulli quidem accersendum Antesignanum suggerebant, vt maiore Patronatus splendore adhibito, ipsiusmet ordinis gloriosior defensio exurgeret; cùm ad solium Protopræses reuersus, Curiam iudicasse pronuntiat, nec quicquam aliud addit. Grauior ergo ad hæc nedum Lhostei, sed & stantium in septis & audientium querela, ita vt cunctis adhortantibus, Rozeus multis clarus palmis nec non Antesignani pridem defunctus munere, sermone ad Curiam habito, probârit eleganter & strenuè præteritæ diei decretum, vim iudicati haud habere posse, emissamque iure optimo à Lhosteo intercessionem, esse admittendam. Tunc ingens facta est immutatio; vt primùm enim Rozeus fari cœpit, recessit Pussortius ex altero suggestu; fine verò dicendi facto, ad tertium itum est à Protopræside concilium, diuque disceptatum est à Iudicibus, quâ demùm viâ tanti momenti controuersia sopiretur. Nec sanè immeritò; intereà quippe quotquot in cancellis erant Patroni, secedendum à foro, ipsumque etiam Lhosteum amouendum arbitrabantur, ni Curia Aduocatorùm ordini præsentaneum ius redderet: nos verò Tyrunculi leoninos hosce trahentes spiritus haud remissiores spirabamus animos, quantique fides forensis habenda esset generoso discebamus exemplo; sed tandem hisce malis Curia prudentissimè occurrit: Lhostei siquidem & intercessionem admisit, & fidem liberatam declarauit.

Monsieur Amelot.

CAPVT XXII.

An Cognitores adstringere queant Aduocatos vt edant sibi litium instrumenta?

Roman. 1. vers. 8. 1. Thessalo. 1. vers. 8. 2. Corinth. 5. vers. 7.

EXplicari singula hæc oportuit, vt supremi nostri fori magna & suprema fides quæ in aliis tribunalibus annuntiatur & prædicatur, propriis fulgeret radiis, dignaque Parisiensi Aduocatione nosceretur institutio; in ea siquidem per fidem ambulatur & viuitur. At nostra hæc ætas nescio quid nouum tulit: Cognitores enim aliqui idem sibi iuris aduersus Causidicos vsurpare tentauerunt, quo inter se Aduocati vtebantur, ita vt suprema etiam Tribunalia noua hæc pulsauerit disceptatio, an de iure Cognitores adstringere valeant Aduocatos, vt sibi etiam instrumenta litium edant, priusquàm ad Iudices causa feratur? Et nuperrimè quidem litem hanc nobis mouit Percheronius; perorantes enim in tertia Inquisitionum Classe Causidicos interfatus, documenta causæ sibi ab iis non fuisse edita conquestus est; cúmque id moris non esse responsum fuisset ab vnius partis Aduocato, è præmeditata materia, ad inopinatam deuentum est, contendente pertinaciter Percheronio, non inferioris quantùm ad hoc Cognitores esse conditionis quàm Patronos. Deliberauêre Patres, extemporalique iudicio lis finita fuerat, ni Percheronius & qui cum eo nouum ius prætendebant, aliud pronuntiatum à Curia, aliud in Actis scriptum fuisse diuulgassent; Quapropter paulò pòst dicentem apud Basilicanos Recuperatores Ricardum, Cognitor alter simili querelâ interpellauit. At quem, amabo, forensis disciplinæ obseruantiorem, gloriæ cupidiorem pulsare potuisset nouitas iam repulsa? Exarsit ad hæc vir strenuus, & quasi in suo pectore quantos totus ordo gerit animos conclusisset, maiestatem instituti solis creditam Togatis potenti sermone retulit, eâque seclusos Cognitores, ne sibi quidem inuicem, ni Syngraphâ præeunte fidem habere. Replicabat Cognitor obluctans, rem à Senatu iudicatam Percheronio postulante; & is quidem, quasi ob alia euocatus negotia, cancellis innitebatur, quapropter iussus est à Iudicibus referre quemadmodũ se res habuisset; at obseruatorem habẽs à latere Abrahamum qui & ipse classis supremæ interfuerat iudicio: dictam non scriptam asseruit, quæ prætendebatur, Sententiam. Iudices itaque ne in tanti re momenti præiudicium facerent iusserunt vniuersa partium sibi tradi documenta, quo sagaciùs & prudentiùs deliberarent; sed vt euentus prodidit, non disceptationis istius cardinem, verùm ipsam met causæ materiam intendebant euoluere.

Percheron Procureur.

Maistre Iean Marie Ricard. En la 2. des Requestes du Palais.

Res igitur nobis sana & mansit & manet. Et quomodo libertas illa posset à nobis eripi? Pulchrè sanè Abrahamus dum ab initio de

futili illa difficultate consultus esset, respondit; haud quicquam super ea re sibi vmquam fuisse negotij, quoties siquidem Cognitor aduersæ partis sacculum inuisendum postulasset, se illum ipsum Cognitori à quo stabat reddidisse, vt eo posteà quemadmodum vellet cum suo Collega vteretur; adeò difficile est, ne dicam impossibile, suæ sortis pectus sapiens, quæ decora, quæ honesta sunt, in minimis etiam rebus, aut latere, aut fugere.

CAPVT XXIII.

Instrumenta per manus dumtaxat Apparitoris non Aduocati Cognitores sumunt.

Tertia mox prodiit ad eumdem scopum actio, tectè tamen, si quid obtineret tentatura; sed aperto prorsus damnata facto potiùs quàm iudicio, imò & iudicio & facto, penitus emarcuit. Agebat, de quo mox, Abrahamus in secunda Recuperatorum Classe, quasi in eo noua illa mota controuersia finem suum sortiri debuisset, ad eiusque pedes occumbere, à quo solerter adeò calcata semper fuerat & spreta. Dudùm ille sacculum suum forensem Bosio aduersanti Causidico transmiserat, in quo denuntiatæ clienti suo improbationis exemplar (quod authographi de more nostro authoritatem semper habuit) vnà cum aliis causæ instrumentis inclusum fuerat; inque sacculo sibi vicissim à Bosio transmisso ipsam authographam obseruârat improbationem. Receptis hinc inde sacculis, cum longiori marte lis ipsa curreret, & Bosius Clementi Cognitori, & Abrahamus Villeo quoque Cognitori instrumenta reddiderunt. Accidit autem paulò pòst Villeum migrare ex ædibus quas conduxerat; operâque, vt creditum est, cuiusuis pecuniâ corrupti, exemplar illud è sacculo detrahi; protinus enim aduersarius institit, non iam Bosio Causidico, sed solo Clemente postulante iudicium. Iterum ergo ad Abrahamum defertur sacculus, qui cùm exemplar non inuenisset inter instrumenta, amissumque illud audiuisset, aliud quàtociùs potuit, desumi curauit ab Actuario, causâque ad Iudices delatâ, vnicus controuersiæ status in eo improbationis positus est instrumento. Clemens è cuius sacculo Authographum euanuerat, se quid esset asserebat ignorare, tectéque conabatur eò rem adducere, vt Abrahamus iuberetur sibi edere exemplar quo nitebatur, contestatus se vbi illud vel inspexisset, confestim falsi nomine depulsurum; at Iudices audito Abrahamo qui asserebat & Authographum tenuisse, dum sibi Bosius edidisset instrumenta; & exemplar primarium eidem Bosio fide integrâ transmisisse, iusserunt Apparitorem exemplar istud nouum de manu sumere Abrahami, illudque protinus Clementi inuisendum exhibere, quod cùm absoluisset Apparitor, extemplò Clemens nomine falsi accusationem instituit. Admiserunt illam Iudices: Istoque sagaci admodum facinore demonstrârunt, quam disparis quantùm ad

Maistre Du bois.

Clement Procureur.

De Ville Procureur.

ad editionem conditionis, Cognitores & Causidici sibi viderentur.

Sed & notandum est, insertam iudicio Abrahami contestationem; Cùm primùm inter se & Bosium edita vicissim fuissent instrumenta, & exemplar primarium, posteà detractum, transmisisse; & Autographum in aduersarij sacculo tenuisse: vt vel inde pateret in eiusmodi casibus, Causidici dudum probatam fidem haud leuioris esse momenti.

La Cour a donné Acte à Abraham de ce que lors de la communication, la piece y estoit, & a esté soustraitte du depuis. En la 2. Chambre des Requestes du Palais, le Iuin 1664.

CAPVT XXIV.

Quatenus Aduocati & Cognitores vnum idemque corpus efficiant?

AT qui se iure inferiores agnoscunt, tentant vel ratiunculis pares euadere, nostramque strenuitatem modò superbiam vocant, modò leuitatem animi, dissonantiam inter eiusdem corporis membra vel somniantis, vel seminantis. Probrum ergo illud diluendum nobis est, quantulaque à nostro ordine eliminanda superbiæ opinio, leuitatis suspicio, vt qui nobis fidei peculiaris debetur honor, verus appareat, purus remaneat.

Et quidem quoad superbiam (leuitas enim mox euanescet cùm rationis pondus libratum fuerit & appensum) vnde-nam, quæso, huiusce vitij, superbiæ dico, nobis inuritur macula, ius ab atauis quæsitum sincero propugnantibus animo? Si Cognitores inter se nonnisi syngraphâ fidem adstruunt; si verbo non credunt; si quod ab aliis petunt, à se deposci suggerunt; quibusnam maior imminet tumentis animæ suspicio, vel illis, qui quod nec à se valent assequi, à nobis flagitant; vel nobis, qui nec eâ quâ inter se conuentione ligantur, volumus eos premere? Iniquior certè nobis ab illis, quàm illis à nobis intentatur conditio; illi siquidem nos duriùs quàm suos collegas habent, nos verò solummodò non æquo dignamur eos ac collegas nostros officio. Si ergo illi, nos infra se statuunt, elatiori haud dubiè feruntur animo, quàm quotquot sumus Patroni, qui quidem illos non euehimus, sed nec deprimimus.

Absit tamen vt probris inter se pugnent eiusdem corporis membra, Collegij officia. Exciderint velim, & imprudentiùs quidem ista hæc aduersus nos verbula; nec mouemur tamen, nec irascimur, nec pacem firmatam à Maioribus imminui procuramus. Æquum est dignumque prorsus Aduocatorum Cognitorumque Collegio, eâdem institutione singulorum exerceri munia quâ circũscripta sunt; nullusque maior concordiæ nexus potest adstrui, quàm si primæua obseruetur disciplina; quæ quidem ideò refero, vt futilitas omnia interturbari cupientium innotescat, dum

nil amplius volunt licere nobis quàm Cognitoribus, quia vnum idemque corpus efficimus. Apage petulans, sed imbellis audacia, tuo ipsomet confutata eloquio. Numquid corpus non vnum membrum est, sed multa; membraque ipsa non eidem, sed dispari li deputata sunt officio? An igitur quia non audit manus, auris non videt, oculus non palpat, corporis dissonantiam operantur, & non potiùs è singulorum diuersis operibus ipsa vnius compages corporis & stat & manet? diuisiones ministrationum sunt, sed idem cœtus; diuisiones operationum, sed idem corpus, cui & multa membra sunt, & illa, licèt multa, vnitatis formam tribuunt. Culpa, si potes, annalis institutorem spatij, quod in eodem incluserit circulo pugnantes inuicem tempestates, annumque disgrega, quia nec æstas hyemis, nec ver autumni tempora ferat & munia. Accusa diem è manè compactum & vesperè, noctique tribue quod lucis est, ne si obscuretur à tenebris tota diei corruat & appellatio & institutio. O stulta laborantis in vanum cogitatio quæ tandem cruciatu corporis & animi consummato dissipatur & euanescit! Desine, desine, quisquis es, nobis molestus existere; vnum & idem corpus Aduocati necnon Cognitores efficiunt; Sed tamen vnusquisque proprium habet donum: alius quidem sic, alius verò sic; Nox itaque pro posse suo nocti scientiam indicet; at non queratur si dies diei verbum eructet.

1. Corint. 13. vers. 14.

CAPVT XXV.

Foro te para.

ABsolutâ de instrumentorum inter Aduocatos editione materiâ, iam ad agendam causam præscripta nos trahit methodus. Seu autem Romanos consulas, seu Græcos forensis palestræ Heroas, nil ferè enixiùs commendatum inuenies, quàm ne imparatus Causidicus Iudices adeat, & quæ ipse vix sciuerit, tentet docere; Non enim solius est Catonis euulgatum adagium, FORO TE PARA: illud Demosthenes, illud Pericles, illud quotquot præcesserant clariores Aduocati & dictis celebrauerant & factis, posteraque à Catone *a* ætas, negligentiam, ambitionem, iactantiam, fiduciam seu nimiam seu veriùs temerariam sapienti adeò damnauit iudicio, vt non semel potenter intonuerit; Discendam ab Oratore causam, nec videnda dumtaxat, sed perlegenda etiam omnium litium instrumenta. An ergo maiores nostri fundamentum illud Oratoris tacuissent? Haud sanè conuenisset illorum sapientiæ cuncta de fori institutione miro prorsus ordinanti iudicio, nilque magis attendenti, quàm ne Aduocati suo officio deessent.

v. Plutarch. in Demosthene & Pericle.

a Quascumque causas erit acturus Orator, eas diligenter penitus cognoscat. *Cicero 2. de Oratore.* Proxima discendæ causæ ratio quod est Oratoris fundamentum, &c. Sed eius rei paucissimis cura est, nam vt taceam de negligentibus, &c. aliquos &

ambitio peruertit, &c. partim iactantia ingenij, &c. Sed quis discet tam benè quam Patronus? &c. in summa optimus est in discendo Patronus incredulus, &c. Ideoque opus est intueri omne litis instrumentum, quod videre non est satis: perlegendum erit. *Quintilia. 12. Institutio. cap. 8. passim.*

Quapropter post præmissam de causis vel suscipiendis vel abdicandis sollicitudinem, breui *b* definiuêre sententiâ quâ ratione & industriâ causarum intima Patroni rimarentur; itavt neglectis morosorum clientum suggestionibus, ea solùm facta, rationes, argumenta intenderent, quæ sagaci prouiderent iudicio Curiæ motura sententiam. Accessit *c* principalis sanctio, quâ iussi sunt Aduocati instrumenta litium, priusquàm causas agerent, diligenter euoluere; nec sanctioris etiam Consilij defuit super ea re prouidentia, decreto *d* siquidem suo cauit, ne Causidici actiones susciperent, priusquam clientum authoritates sedulâ perlegissent & adnotassent operâ.

b Quia ex Aduocatorum discretione & industriâ causarum dependet abbreuiatio, quæ eis cedit ad honorem & vtilitatem partis suæ; Curia eisdem iniungit in vim sacramenti sui, vt ea facta, seu rationes quæ solùm ad illum finem faciunt in quo verisimiliter præuident debere poni in Arresto, proponant; Facta, rationes, replicationes, seu duplicationes inutiles & superuacuas omittendo, licèt hi pro quibus suum impendunt patrocinium, sæpiùs eos molestent, & velint hoc fieri, quibus obtemperare non debent, propter eorum honorem, vt potiùs Curiæ pareant in hac parte. *Styl. Parlam. part. 3. tit. 15. §. 3.*

c *Ordon. de François I. en 1539. pour le grand Conseil, art. 29. Enioignons aux Aduocats de bien voir & cotter leurs pieces & endroits où elles seront.*

d *Arrest du 19. Octobre 1544. par lequel fut enioint aux Aduocats de bien voir les pieces de leurs parties auant que venir en l'Audience.* Guenois Confer. des Ordon. liure 2. tit. 6. nomb. 15.

An ergo, dicet aliquis, omnes omninò adstringimur componere, scribere, addiscere actiones? Id sanè haudquaquam volo: aliud quippe est, causam rimari ipsiusque indagari viscera: aliud actionem ornatiori parare stylo; quique tantillùm foro adfuerunt, sat norunt quantum aliud ab alio discrepet. Vltimum ergo nonnullarum peculiare est causarum; primum veró, ipso Iudice Paschasio *e*, omnium est actionum; ni temerè quis velit non tam sui nominis, quàm ipsius negotij periculum facere.

e *Puisque vous en estes venu si auant, ie vous prie vouloir aussi dire à ces ieunes gens vne chose de laquelle ils m'ont souuent requis, qui est, s'ils se doiuent accoustumer à escrire leurs plaidoyers. Ie vous diray, dit Monsieur Pasquier, non pas ce que vous deuez tous faire, car chacun a son talent & diuers naturel, mais ce que i'ay fait pendant que i'ay esté employé au Palais; vous en retiendrez & ferez vostre profit, ainsi que vous aduiserez. Quand ie vins premierement au Barreau, i'escriuois entierement ce que ie pensois deuoir dire & l'apprenois par cœur, & m'en trouuois bien. Et l'ay prattiqué depuis aux plus grandes causes dont i'ay esté chargé, & trouue que c'est ce qui m'a fait mon style de parler & d'escrire. Es moindres causes, ie me contentois de faire vn bon & fidel extraict, tant de mon sac, que de celuy de ma partie aduerse, & d'y remarquer le principal point, en y adioustant quelqu'ornement dont ie m'aduisois pour ietter l'œil dessus quand ma cause s'appelloit. Car de parler sur le champ sur ses pieces, comme i'en ay veu aucuns de mes compagnons, ie l'admire plustost que ie ne l'approuue, dautant que quelque bon esprit que l'on ait, en plaidant ainsi tumultuairement & sans y auoir pensé, l'on ne peut trouuer si promptement ce que l'on desireroit, & eschappent souuent des choses que l'on voudroit retenir.* Dialog. des Aduocats, Confer. 3.

Denique, quod prætermittere mihi esset religio, lubenter ad-

dam in gratiam iuniorum. Primam quippe in Senatu causam acturo mihi, f Daudiguerius qui prouocantes fouebat partes, quique prior dicturus erat, benigno paulò anteà patefecit animo, se sibi alteram reseruasse actionem, vt si quid aut in exordio, aut in cæteris orationis meæ partibus priorem illum loquutum exhiberet, sedulâ immutarem operâ. Ea fuit paratioris athletæ in me rudiorem benignitas: cui tunc licèt quam deberem, pro viribus egerim gratiam, nunc tamen ampliorem refero: obtestorque exercitatiores, si vmquam congrediantur cum Tyronibus, vt ad-instar viri illius, colluctantium infirmitatem, pari subleuent officio.

f *Maistre Daudiguier.*

CAPVT XXVI.

Quomodo apud Senatum Aduocati se excusent à dicendo si iusta causa obfuerit.

Verùm quid si paratos ad dicendum, inopinata sed iusta tamen causa detineat? Vidimus haud infrequenter in grauioris etiam momenti actionibus simile quid accidere, miratique sumus quâ fide, quâ benignitate, quâ, si dici fas est, simplicitate, & fiduciâ, exponatur palàm à collegis, & admittatur à Senatu excusatio; si quis enim accinctus ad agendum, inualentiâ, putà, leui correptus fuerit, syngrapham cui ex collegis placet, solet mittere; is verò causâ è volumine conclamatâ, inualentis excusationem explicat, actionemque licèt inceptam differri impetrat, cùm Aduocati semel assumpti ministeriũ electaque industria, non, sicut Cognitoris, per accensum, seu vicarium æquo semper queat pensari officio. Non ergo fides maior exigitur; non satisdatio; non Medici, non Chirurgi in scriptis authoritas, vlla ue desideratur exploratio; Ipsa syngrapha, aut si nulla sit, ipsa Collegæ vox, dignam vel Senatu fidem adstruit.

Mirati sumus igitur, vt iam diximus, nec quidem semel, tantam & in isto ritu simplicitatem, & in ista simplicitate religionem, incerti prorsus animo, an institutoribus illiusce disciplinæ, an obseruatoribus maior gloria deberetur. Intueamur enim, quæso, forensis nostri instituti patres prouidentissimos de ritu illius excusationis apud se statuentes; quid in se, quid in posteris attenderunt nisi mentem sanctam, ignauiæ nesciam, dolos exosam, tutéque adeò in summo veritatis & fidei conquiescentem ardore, vt inde euelli, inde extrahi, inde deturbari nequiret? Hanc igitur sibi soli credendam putauerunt, rati pro eo quo agebant animo summam fidei virtutem, è sola summa fide excitandam & fouendam.

At si posteros attendamus, quid in illis nisi mentem istam per varia micantem pericula, indeflexâque stantem rectitudine obser-

uabimus? Licèt enim clientes quàm plurimi refugiant iudiciorum aleam, causasque timoris, & forsan iusti, vel à temporibus, vel à Iudicibus adducant, nescit Aduocatio vel leuem fingere inualentiam vt pugnam detractet. Scit ferire *a*, scit & cadere, nescit fugere, candorque intemeratæ quâ nitet fidei non patitur vt quemquam fallat. Et sanè; da si potes per ea quæ fluxerunt sæcula, tantisper ab vllo sinceritatis illius summæ imminutam opinionem; Cúmque nè in vnoquidē labârit disciplinæ institutum fatere, simplicitatem *b* illam forensium Heroum quæ in actu videtur, coronari sinceritate quæ in effectu & repromittitur & inuenitur.

a Dictum Cæsaris ad milites; *Disce ferire, disce mori.*

b Simplicitas diuinorum operum quæ in actu videtur; Et magnificentia quæ in effectu repromittitur. *Tertullia. de Baptismo, cap. 2.*

CAPVT XXVII.

Habitus, locus, situs Causidici perorantis.

AD *a* agendum tandem accincti obseruandus nobis est habitus, locus, situs. Et peculiarem quidem habitum cedere peroranti Maiores voluerunt, vt virtutis haud gregariæ dignitas proprio insigni splendesceret, togæ enim, vesti, & byrrho, gestamen insuper forense addiderunt. Illud autem antiqui iuxta nonnullos, CAPITIVM vocitârunt, ætasque recentior, HVMERALE *a* appellauit, quo sicut tesserâ professionis assumpto, secernebantur olim ab auscultatoribus Causidici; nec nisi illud gestantibus, suggestum fas erat conscendere. Intermissa tamen per plures annos huiusce ornamenti gestatio, foro in posterum penitus exulatura videbatur, cùm Belliéureus * Protopræses, sopitâ quæ de duriore verbo exorta fuerat Togati ordinis querelâ, humeralâ sub sua purpura resumi voluit à perorantibus, vt quod ipse de forensis disciplinæ gloria gereret studium, Togatos omnes ad maiora quæque suscipienda accenderet. Abinde, igitur, perorantes in Senatu Causidici insigne illud gestauêre ornamentum, iamque Maiorum quantùm ad hoc reparatâ disciplinâ, mens etiam viget adhuc, fandi scilicet authoritatem & potestatem vnà cum humerali sortita, vt de Causidico non ineleganter diceretur: ***Cuius insigne potestatis, super humerum eius.***

a Togati quidam in Curia ad podium humerali pelliculato conspicui; Adhuc tamen puræ parmæ tyrones sunt, id est, agendarum causarum patrocinium nondum fecerunt, & adhuc sunt intrà tēpus echemythiæ, aditúque interim cācelli non arcentur. Cętera multitudo sacramēto iam adactorum pone septū Curiæ spectat, partim etiam auscultat, qui ob id auscultatores dici possunt, id est, ἀκουστικοὶ & catechesim curialem facientes ideò non intromissi, quod tesseram professionis non gestant, hoc est humerale gestamen; Malunt enim adhuc inter Mystas, quàm inter Epoptas conspici. *Budæus in forens. pag.* 178. *&* 179. *editio* 1548.

* *Monsieur de Bellieure premier President.*

De loco etiam, ipsimet statuerunt: Aiunt enim, RETRO *b* PRIMVM SCAMNVM PATROCINENTVR. Quod scitè Budæus ita reddidit: Causas prouocationum auspicantur Causidici è superiore loco & exteriore septo. Id tamen in prima tantùm obseruatur actione: sed in pomeridianis consessibus, ex interio-

b Quod stando & retro primum scamnum patrocinētur. *Styl. Parlam. part.* 3. *tit.* 15. §. 2.

re tantùm area loquuntur Aduocati. *c*

c Causas enim prouocationum auspicantur è superiore loco & exteriore septo; In secunda autem actione, & in altercationibus ex inferiore loquuntur. *Budaus in forens. pag. 167. edit. 1548. circa princip.*

Situs demùm in perorando Causidici, paucis ab iisdem nostris Maioribus præscriptus est. STANDO *d*, aiunt, PATROCINENTVR. Seu id deberi crediderint obseruantiæ Magistratuum, seu melius conuenire dicentium actioni putauerint. Et sanè quæ honestior seu impugnantis, seu repugnantis positura quàm stare est, id vnum siquidem vterque cauet ne cadat? Accedit primæui *e* Aduocati illius nostri in intercedendo situs; licèt enim ipsi à dextris sedere Patris concessum sit; Assurgit tamen cùm partes agit Causidici; nec suo detractum honori putat, si contempto sedendi iure, stantis munia impleat, præmia obtineat.

d Mornac. ad l. vlt. Cod. de Assesso. hæc refert. Duas autem rationes assignat Langlæus lib. 1. cap. 3. semestr. Cur Aduocatos dum perorant, stare oporteat. Prima est in gratiam Iudicum, quibus non à litigatoribus tantùm, sed etiam à Patronis & causarum Actoribus honos habendus est, quod non, vt à stantibus, ita fieret à sedentibus; Qui enim sedens causam agit; dignitatem quadam-tenùs ius dicentis aspernari videtur. Iudex autem ferè Patronum adit sese efferentem, tacitusque reuerentiam postulat. Altera ratio est, quòd non iidem impetus esse possint eius qui sedens & eius qui stans causam agit. Imò sedentibus accidit, vt hoc, quod sedent quasi debilitentur & deprimantur.

e Sedet quasi Iudex viuorum & mortuorum; stat quasi Aduocatus suorum. *Ambros. lib. 3. de fide cap. vlt.* Videamus ergo quę sit ratio, quod idem Dominus à Dauid sedens prophetatur, stans verò à Stephano prędicatur? &c. Nam vtique pro potestate Regis sedere dicitur, pro bonitate intercessoris stare suggeritur, ait enim beatus Apostolus; Quia Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum. Iudex ergo est Christus cùm residet; Aduocatus est cùm assurgit. *S. Maxim. Homil. 1. de Pentecoste.*

CAPVT XXVIII.

An & quando Causidici stent operto capite vel aperto?

DE brachio exerto, cæteroque gestu corporis consulat qui volet vel Fabium, vel alios artis oratoriæ Professores. Nos forensia seligimus quæ vix alius attigit, quæque non aliis nobiscum communia sunt, sed nobis peculiaria, veriusque nostra. Tecto igitur capite in Senatu dicimus, cuius tamen instituti ratio nequaquàm scriptis consignata est; Nec nobis arridet Plutarchi *b* sententia, quasi ritus ille Magistratus ab ea liberet inuidia, quam paterentur si æqua illis ac diuis exhiberetur veneratio; nam & clientes cuiuscumque dignitatis sint (ni gratia fiat illis) & Cognitores non aliter in Senatu, ac in templis; denudato, inquam, capite Iudices alloquuntur; solisque Aduocatis, non nudo sed tecto; non aperto sed operto dicere concessum est, ita vt perbenignè ab ipsis inuitentur Præsidibus operire caput, si tantisper distulerint.

a. *Vid. Quintilian. lib. 11. institut. cap. 3.*

b *Vid. Plutarch. in quæstio. Roman. cap. 10.*

Ego igitur pro tenuitate mea, qualemcumque illiusce instituti meditatus rationem, ipsos Maiores nostros idonea foro præstruentes exercitia oculis animi conspicatus sum. Cogitaui autem strenua hæc pectora quod decorum esset, quod honestum, quod

consonum diu scrutata, hunc tandem ritum existimasse dignum & Senatus benignitate, & Aduocationis ingenuitate. Et de Senatu quidem, super quem spiritum sapientiæ & intellectus, fortitudi-
Isai. 11. *vers.* 2. nis & consilij, scientiæ & pietatis requiescere nouerant, an aliter statuissent? Spiritus siquidem sapientiæ benignus est; eique in-
1. *Sap. vers.* 6. cumbit & iudicare pauperes in iustitia; & arguere in æquitate pro mansuetis terræ. O solium quantò augustius tantò humanius! cui liberare pauperem à potente datum est, & ad cuius ideò limen, maiori cum fiducia vniuersis debet aditus patere & accessus. Excelsum est equidem nomen eius; potestas summa, authoritas suprema; sed tamen propter miseriam inopum, propter gemitum
Psalm. 11. *vers.* 6. & 7. pauperum, ponitur in salutare, & fiducialiter agitur in eo.

Aduocationem iterùm si spectemus, an decuisset eam humiliùs agere apud illum cœtum, è cuius splendoribus tota ingenua prodierat? Seruilis supplicatio cunas dedecorasset liberales, nec potuisset vmquam, quibus data est adiutrix, cum authoritate patrocinari pauperibus. Non igitur tristemini humilia plebis capita; Viduæ, dico, pupilli, inopes, miseri, tamquam mundi purgamenta facti & peripsema vsque adhuc; non tristemini, inquam, etiamsi aduersus Principes & sæculi potestates vobis res sit; quinimò confortamini & accedite; facies vestræ non confundentur; vobis siquidem datur Aduocatio, quæ spiritum non accepit seruitutis in timore, sed libertatis in fortitudine, strenuaque patronatus ministeria, nonnisi libero peragit officio.

Tecto igitur dicere capite, Togæ præcipuum est, quod & in nuperrimè *c* constituto Tribunali constanter retinuit licèt Nomophylax Præsidis in eo partes ageret; è delegatis quippe Iudicibus conflatus cœtus non maiorem mereri visus est honorem, quàm quo Senatus ipse gaudere sineretur. Vnicum *d* sanctioris Consilij Tribunal excipimus; in eo quippe perpetua Principis splendet gloria, non vicaria dumtaxat, sed personalis; Vbicumque verò Princeps ipse sedet, nudo semper dicunt Aduocati capite, non secus ac ipsi Libellorum Magistri dum apud sacratius Regis Consilium supplicationes enarrant & referunt. In Senatu autem quoties *e* exordiuntur Aduocati, iudicari-ue postulant, aut si supplicationem meram exponunt; itemque quoties vel instrumentorum pacta, vel consuetudinum verba de scripto legunt, inueterati moris est nudo eos loqui capite, vt qui à Maioribus acceperint nedum clientibus præstare authoritatem, sed etiam Iudicibus exhibere venerationem.

c *En la Chambre de Iustice; & la forme de parler a esté*, Messieurs, *& non*, Monseigneur, *quoy que Monsieur le Chancelier y presidast.*

d *Le Conseil du Roy.*

e *Quand on cõmence, quand on conclud ou que l'on fait vne simple remonstrãce à la Cour.*

CAPVT XXIX.

Quæ legi debeant apud Senatum, & an de scripto liceat perorare?

NOnnumquam autem interorandum ipsa causæ postulat ratio, vt doceantur Iudices non solùm verbo, sed etiam scripto; quid enim si de interpretanda consuetudine; si de explicanda conuentione; si de testamenti clausula aliis ue similibus quæstio reponatur? Nonne æquum est ipsa-met statuti & instrumenti verba referri, pensari, ponderari? Et id quidem quotidie fit; Ita tamen vt dum illæ recitantur authoritates, Aduocati, quemadmodum monuimus, caput denudent.

Si verò de principalis alicuius *a* Sanctionis agatur interpretatione, haud fas est illius de scripto referri textum; Senatus quippe in sacro pectoris scrinio Regias seruans Constitutiones, illas nec tenere nec callere videretur, si pateretur recitari. Quapropter qui forensis disciplinæ periti sunt, numquam Constitutiones de scripto legunt.

a Le texte de l'Ordonnance ne se lit iamais au Parlement par les Aduocats plaidan.

Media quædam via seligitur cùm de legibus enucleandis oritur difficultas, tunc enim illarum recitari possunt verba etiam de codice capiteque non retecto, cuius, ni fallor, hæc instituti ratio est, quod authoritatis non legalis sit apud nos ius Romanum; Quemadmodum, igitur, sententiam aut è Tullio, aut è Seneca, alio-ue quouis Scriptore referens, nequaquam, vt nemo nescit, caput denudat, etsi de scripto propter defectum memoriæ recitet; sic qui vel legem vel paragraphum de codice pronuntiat.

Quid de tota ipsa actione seu oratione? author nobis est Tullius *b* nonnumquam suâ ætate, orationes integras de scripto recitatas fuisse, seu, vt coniicere est, quòd prolixioris essent sermonis, seu quia Patronus infeliciore laboraret memoriâ. Quid igitur, quantùm ad hoc, apud nos tulit vsus? Vidimus sanè, totumque Parisiense forum non semel miratum est Iobertum, multis senem clarum palmis celeberrimas de scripto recitare actiones, tantâ cæteroquin, animi moderatione adhibitâ, vt qui non illum vidisset, nequaquam de scripto putasset recitare; adeò scitè vocem cum oratione coniungere nouerat, *c* prout vel verborum vel sententiarum tùm inceptio, tum depositio, tùm transitus postulabat; neque vmquam (quod in legente declamatore mirum) linguâ periodos vel occupante vel decurtante. At iamdudum peritus fori, eò se contulerat propter fallentem memoriam, haudquaquam enim, vt docet experientia, Tyro vllus ab hoc-ce auspicari

b Recitetur oratio quæ propter eius magnitudinem dicta de scripto est. *Cicero pro Planco. vbi Godofred.* De scripto oratio esse dicitur, quę lecta non memoriter pronuntiata, vt hinc etiam obseruemus, moris interdum fuisse orationes de scripto recitare.

c Sunt quędam non ita magnę vocis declinationes provt aut verborum dignitas, aut sententiarum natura, aut depositio, aut inceptio, aut transitus postulabit. *Quintilia. 11. Institutio. cap. 3.*

quiret

quiret agendi genere, cùm multò difficilius sit, seruatis quæ Oratoris sunt, de scripto quàm memoriter recitare; quia tamen hoc rei satis arduæ, insigne nostra ætas tulit exemplum, religio mihi fuit illud prætermittere; cùm cæteroquin non àliter ille recitans quàm qui-uis memoriter perorans tecto capite audiretur.

CAPVT XXX.

Vnicum pro vna parte perorare Causidicum.

MOs fuit antiquitùs, vt primo libro dictum est, non vnicum dumtaxat, sed plures in eadem causa si grauior fuisset, Patronos assumi quo fœliciori exitu vel accusatio vel defensio absolueretur, nec nudâ eorum contenti clientes erant præsentiâ, sed vel omnes, vel saltem pars maior alij post alios, pro eodem litigante perorabant; Sic enim Tullius, vltimis agendi desumptis partibus post Crassum *a* & Pompeium pro Balbo; post Hortensium *b* pro Sextio; post eumdem *c* Crassum pro Cælio dixit; alteroque ab eo sæculo, Plinius *d* & Homullus pro Vareno; Iulius & Passienus, pro matre orbata filio; Saluius & Fronto pro Mario, vnam eamdemque egerunt causam. At Maiores nostri multiplicem illum dicendi ritum penitus respuerunt; & quamuis haud æquum putauerint vnico clientes adstringi patrocinio; ab vnico tamen *e* Aduocato quamcumque voluerunt peragi causam. Licuit itaque secundùm illos, plures nedum consuli, sed & aduocari Causidicos, ita vt plures illi simul in eodemque negotio septa replerent; Verùm, nonnisi vnicus ex illis loqui permissus est; concesso cæteroquin vel vniuersis de se, vel clienti de pluribus, quinam partes Oratoris absolueret, seligere.

Inoleuit autem ritus ille in causis promiscuis, etsi grauioribus, plures quàm vnum Causidicum adsciscere. Consulere, quidem, licet; at intra septa multos cogere cuneum effecturos, nequaquam hodierna fori disciplina patitur, ita vt, solus hinc inde quisque decertet; nec vllus alius in subsidium iam loquuti dicere permittitur, ni pro aliis forsan negotio principali accedentibus partibus sermone sumpto, motam difficultatem nouis velit agitare rationibus. Dixi in causis promiscuis; si enim ciuiles,* vt loquimur, impetratæ Literæ contra Decreti authoritatem causæ dederint materiam, tunc, vt moris est, bini de quorum sentẽtia impetratæ sunt, intersunt actioni. Attamen neuter palam loquitur, sed solus, cui Causidici datæ sunt partes, negotium explicat, tantâ veneratione etiam-num à nobis recolitur priscum ea de re institutum.

a v. Cicer. pro Balbo, in toto exordio.

b Et quamquam à Q. Hortensio clarissimo viro atque eloquentissimo causa est P. Sextij perorata, nihilque ab eo prætermissum est. *Cicero pro Sex. sub init.*

c Itaque illam partem causæ facile patior grauiter & ornatè à M. Crasso esse peroratam. *Cicero pro Cælio.*

d v. Plin. 5. Epist. 20. item 2. Epist. 11. item 7. Ep. 6.

e Quod licèt sint plures Aduocati in vna causa, vnus tantùm loquatur. *Styl. Parlam. part. 3. tit. 15. §. 2.*

* *Requestes Ciuiles.*

CAPVT XXXI.

Quanta & vndenam Causidici gloria?

SEd iam, ni fallor, tempus est vt Causidicum intueamur; Pythagorissat *a* enim Aduocatio, tacentemque hominem, nequaquam se videre fassa, loquentem solum intueri contestatur. Loquere igitur, totum ait forum, loquere, ô Aduocate, vt te videam; loquela tua manifestum te faciat, & quis quantusque sis, ex ore tuo innotescat. Quid-ni autem id expectetur & deposcatur à Causidico, CVIVS DICERE, AGERE EST; aut si malumus, CVIVS ORATIO, IPSA EST ACTIO? Non enim ieiuna, non arida, non infœcunda vt assecla Pythagoræus, verba profert; totus eius sermo, totum est opus, á dextra scilicet succurrente, à lingua iuuante trahens originem, ideoque non tam auris quàm oculi; imò veriùs & auris & oculi sustinet potentias, iamque ad illud agnoscitur conformari primi Aduocati munus & officium, in quo verbum operatorium est, dextraque vt loquitur, sic & sermo operatur. Et sanè, an alia mens Maiorum fuit, dum per ea quæ vidimus instituta, sedulo prorsus animo, mente sollicitâ & prouidâ, è congestis simul sapientia & iustitia, fide & veritate præstruxerunt Aduocati dotes? Exurgit, igitur, secundùm illorum vota hisce insignitus virtutibus, adeò vt *b* iustitia cingulum lumborum eius; fides cinctorium renum eius, potestas super humerum eius & effecta & posita; virum efficiant, qui virgâ tandem oris sui mendacium percutiat, & labiorum spiritu iniquitatem excidat. Audi, quæso, vnum ex illis qui non fastu philosophico, sed forensi *c* officio, sese & audientibus & videntibus venerationi fuisse manifestat. Auris, inquit, audiens beatificauit me, oculus videns testimonium reddidit mihi. Quâ de causâ autem, mox subiungit; quia, scilicet, liberaui pauperem vociferantem, & pupillum cui non erat adiutor. Tùm prosequitur recensere & opera á se edita, & testimonia sibi reddita. *Laborantis*, ait, *iamque perituri benedictio super me veniebat, dum cor viduæ consolatus; oculus effectus cæco, pes claudo, pater egeno, causas illorum inuestigabam*, dein, *iustitiâ indutus sicut vestimento, iniqui conterebam molas; de dentibus rapacis auferebam prædas; pauperemque de manu* d *violenti, egenum à gladio oris infidi eripiebam & saluabam.* O tuta egeno spes! ô lingua clarior operibus quàm sermonibus, aut potiùs sermone potens & opere, audiri digna, videri nata, compatiens scilicet & miserans, succurrens & iuuans! Obmutesce, Pythagora, non ad quinquen-

a Porrò noster Plato nil ab hac secta vel paululùm deuius Pythagorissat. *Apol. Florid. versus finem.*

b Percutiet terram virgâ oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium; & erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius. *Isa.* 11. *vers.* 4.

c Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimoniũ reddebat mihi; eò quòd liberassem pauperem vociferantem, & pupillum cui non erat adiutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduę consolatus sum. Oculus fui cęco, pes claudo; pater eram pauperum, & causam quam nesciebam diligentissimè inuestigabam; conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prędam. *Iob. cap.* 29. *vers.* 11. 12. *& seq.*

d Saluum faciet egenum à gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem; & erit egeno spes. *Iob.* 5. *vers.* 15. *&* 16.

nium dumtaxat, sed in perpetuum; haud tui est silentij hunc-ce præstruere sermonem; haud tui est labij hanc-ce operari virtutem; sed ex inani tuo silentio ieiunus tantùm sermo exoritur, infœcundo pullulans & semine & germine. Facessat itidem, heroïca Platonis *e* prosapia, è solo disserendi nominata officio; clarior nostra est, Oratorum gloria, quorum sermo viuus est & efficax, quique *f* linguam eruditam acceperunt, non vt innocuos premant, mores corrumpant, vrbes euertant, sed vt sustentent eum qui lassus est verbo. Cui, si non illis, Heroum debetur nomen ipsos etiam sæculi Heroas potenti subleuantes eloquio, tutantes officio? Gaude forum, gaude Aduocatio, tibi soli ea laus & debetur & datur; Manus *g* enim lassas roborasti; vacillantes confirmauerunt tui sermones; & dum trementia confortasti genua, ipsos *h* etiam cæli milites delectasti.

e Quòd si & perspicias vocabuli illius rationem ex antiquo Attici sermonis vsu, melius intelliges; constabit enim vocem illam ex nomine ἔρως vnde ἥρωας deductos diximus, paulò fuisse deflexã, quod attinet ad significationem nominis; nimirùm hoc nomine ἥρως innuebant illum qui dicendi siue disserendi facultate valeret, & ad interrogandum aptus esset. Nam εἴρειν est dicere vnde (quemadmodum diximus) antiquâ Atticorum linguâ ἥρωες ij qui dicendi seu interrogandi facultate valerent, appellati sunt. Itaque Oratorum & Sophistarum genus est Heroïca natio. *Plato in Cratylo.*

f Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum qui lassus est verbo. *Isa. 50. vers. 4.*

g Ecce docuisti multos, & manus lassas roborasti; vacillantes confirmauerunt sermones tui, & genua trementia confortasti. *Iob. 4. vers. 4.*

h Gaudent Angeli de pudoris integritate comperta, quod defendatur in terris veritas fatigata. *Augustin. serm. 242. de tempore.*

CAPVT XXXII.

Quid Causidico in oratione attendendum?

Eloquentiam igitur, foro semper, vel teste Lactantio, *a* peculiarem non respuimus, sed ordinamus, vt digno prorsus officio veritati defensandæ mancipetur & inseruiat; atque inter sæculi negotia, non pernitioso tamen sæculo, sed æquitatis legibus cum religione coniuncta famuletur. Verùm, si ADVOCATO DICERE, AGERE EST, numquid eidem AGERE, EST VIVERE, vt iuxta laudatam veterum *b* sententiam, TALIS SIT IPSI VITA, QVALIS EST ORATIO, CVI QVALIS ORATIO, TALIS EST ACTIO? Magna prorsus inde laus vel contumelia perorantis Causidici, pro vt eius vita cum oratione vel consentit, vel discordat. Speculum *c* siquidem mentis, in verbis, vt plurimùm, réfulget & radiat; Quid enim si pietas ab impio; si castitas ab impudico; si innocentia à

a Eloquens nũquam fui, quippe qui forum ne attigerim quidem. *Lactant. 3. institut. cap. 13.*

b Hoc quod audire vulgò soles quod apud Græcos in prouerbium cessit, talis hominibus fuit oratio, qualis vita. Quemadmodum autẽ vniuscuiusque actio dicenti similis est, sic genus dicendi aliquando imitatur publicos mores. *Senec. Epist. 114. in princip.* Mentem verbis exprimens, facta dictis accommodans, vt cum sermone vita congrueret; in summa qualis erat vita, talis & oratio, cùm nihil discreparet. *Philo. Iud. lib. 1. de vita Mos.* Vnusquisque cantat vt viuit; & talis hominibus oratio, qualis vita. *Sidon. Apoll. 3. Epist. 13.*

c Speculum mentis plerumque in verbis refulget. *Ambros. 1. Officio. cap. 18. in princip.*

proteruo; si veritas à falsidico; si denique æquitas ab iniquo defendenda suscipiatur? Nonne timere est ne ex abundantia cordis, linguâ loquente, is præuaricetur & decipiat, qui patrocinari deberet? An vllus vmquam, nisi perrarò, ea vitia fausto impugnat exitu, quæ ipse-met & fouet & amat? An veræ causam *d* aget iustitiæ, qui caput ipsum fontemque iustitiæ non tenet? An denique strenuo ore & opere virtutem tutabitur, qui inuitus illam respicit, factisque, quantum in se est, & deprimit & euertit? O tetrum agni patrocinium leoni datum, lupo delatum, vt fœdiùs discerpatur & deuoretur! Si autem, quod sanè frequentiùs accidit, compresso mentis affectu in contrarium feratur lingua, sermoque virtutem propugnet, quam vita impugnat, numquid depulsum à cliente periculum ipsum obruit Causidicum, qui dum clienti patrocinatur, sibi præuaricatur? Vlteriùs se fert eius inscitia; se ipsum accusat dum alium excusat; se ipsum damnat dũ alium liberat; fulmineque percussus Euangelico, proprio suo ore iudicandus reuelatur. O! numen inuocans verbo, quod negas facto; Ecclesiam defendens linguâ, quam proscindis vitâ; egenum subleuans eloquio, quem vexas dolo; castitatem laudans sermone, quam turpas opere; fidem extollens labiis, quam infirmas fallaciis; Quid tibi, contrà quàm sentis, eructata oratio, nisi verbera infligit; cùm adinstar illiusce proterui mancipij deprehendaris, *Sciens*, nimirum, *& non faciens*? *Luc. 12. vers. 47.*

d Patrocinari tamen veræ iustitiæ nullo modo poterat, qui caput ipsum fontemque iustitiæ non tenebat. *Lactant. 5. institut. cap. 17. sub princip.*

Sed abscedant labia illa dolosa in corde & corde loquentia, *Psal. 11. vers. 3.* discorsque ab oratione vita secedat, vt dignos foro Heroas inspiciamus, eadem explicantes sermonibus quæ moribus referentes. Quàm iusta hæc Patrum soboles! quàm legitimus Maiorum partus! quàm genuina atauorum progenies! Sed quanta etiam, quod vel inde patet, debet esse Causidici in sanctitate vitæ consummatio, vt talis sit eius vita, qualis oratio? & tamen id vnicuique in sua oratione attendendum est; Is enim à maioribus designatus est institutusque Causidicus; nil ab eo detrahendum, nil est demendum, ne positus in statera, minus habens inueniatur.

CAPVT XXXIII.

Quanta fides adhibeatur Causidico qui viuit vt loquitur.

QVanti autem id Maiores interesse putauerint Causidici, satis patebit, si maiorem è vita quàm è lingua fidem adstrui pensauerimus, imò vix aliam è lingua quàm è vita, è sermonibus, quàm è moribus. Quàm pulchrè Isocrates, boni *a* viri esse ait ita se gerere, vt eius integritas fide dignior habeatur, quàm vlla sacramenti religio. Fides sanè à nobis exigitur & quidem summa, illamque, vt iam vidimus, ex emisso sacramento tentauimus adstrue-

a Boni viri est ita se gerere, vt eius integritas fide dignior quã iusiurandum est.

re; at emisisse, parum est; euacuatur, ni seruetur; non seruatur autem si quod verbo dicimus, negamus facto; Quapropter, cura impensior Aduocati ea esse debet, vt morum integritas fidem vicissim & adstruat & exigat.

Sed ne putetur idealis dumtaxat esse virtus quam in Foro deposcimus, extiteruut qui veram illam demonstrarent Aduocati, adeò vt præclaris vitæ integræ, ad instituta Maiorum accedentibus exemplis, iam notandi simus tamquam degeneres, si noluerimus fieri imitatores. Intuere, quisquis es, laudatum *b* iam à nobis Mangotium, & in tanto viro fatere consummatam disciplinæ forensis institutionem, inculpata siquidem eius vita, operantis fomes eloquij, æquam sermonibus ac moribus faciebat fidem. Quid de Montholonio referam, spectatissimi patris integerrimo filio, probitatemque ab atauis acceptam purissimâ conseruante animâ? Eâ fuit, vt legimus, vitâ & famâ, quæ labem non tulerit vel minimam, adeò vt, dum causas ageret, si quocumque niteretur instrumento, ei cæcâ mente, imò tutâ & sanâ crederetur à Iudicibus; nequaquam instrumenti ratione imperatâ. O præclara fidei exigendæ methodus inculpata vita! Quid mirum posthæc si supremam nedum Senatus, sed & Principis vir ille meruerit fidem? Acceptâ sicut & pater Annuli Regij custodiâ. Tacebo-ne Mauguinium, candoris animi, veritatis, probitatis, adeò cupidum & obseruantem, vt haberetur ab omnibus HOMO NON MENDAX, nec minus sinceri animi quàm eloquij? Sed longum esset cunctos adducere iam fato functos; non desunt viuentes adhuc, qui, quod optamus in Causidico, potentiori reddant exemplo quàm nos calamo.

se videatur. *Isocrat. ad Damonicum.* Sunt autem fidei vincula quibus idonee caueri potest iusiurandũ, &c. & maximum omnium anteacta vita. *Polyb. 8. historiarum sub princip.*

b *v. sup. lib. 2. cap. 1. lit.* b *&* c

c *Le plus attrempé & moderé Aduocat de mon temps fut M. Frãçois de Montelon fils de feu M. le Garde des Seaux de Montelon, & qui fut aussi depuis Garde des Seaux, & tous deux auparauant Aduocats, &c. Mais quant à Montelon auquel ie retourne, il auoit acquis vne telle reputation de probité, qu'on le croyoit sur ce qu'il disoit, non comme Aduocat, mais comme s'il eust esté Rapporteur d'vn procez sans luy faire lire aucune piece; aussi estoit-il vn tres homme de bien, viuant honorablement, sans auarice ny ambition, venerable & craignant Dieu; ce qui le fit appeller par le Roy Henry III. pour luy donner la garde des Seaux de France.* Dialogue des Aduocats, confer. 3.

d M. Pierre Mauguin. *Il auoit enseigné le Droict dans Thoulouse, & de fait il fut au Palais vn des premiers Consultans de son temps, principalement pour les affaires de Droict; & n'y acquit pas moins de reputation pour sa candeur, estant dans l'estime de ne mentir iamais, & de dire toutes choses auec grande sincerité.* En la liste des Aduocats de l'année 1599. és opuscules de Loysel.

CAPVT XXXIV.

Quâ fortitudine & constantiâ suscepta patrocinia peragenda sint?

ID ergo sibi debet Causidicus; at ex hoc necessario erga semetipsum officio plurima alia ducunt originem, de quibus iam agendum est; An enim tacebimus quid clienti debeat, quid loco seu cœtui, quid aduersanti, quid repugnanti, quid Magistratui? Trunca sanè, si de illis sileremus, nostra euaderet pagina, contractior-

que ſperatâ & promiſsâ huiuſce libelli moles exurgeret.

Clienti autem deberi fidem & quidem vltimam nemo non nouit; vnde vel reſerare eius arcana, vel molliore in aduerſarium oratione ferri, ſumma Togatos inter, nedum opinionis, ſed & religionis labes eſt nota; & de oratione quidem vniuerſa, ni fallor, abſoluerimus præcepta, dum ita agendum eſſe Cauſidico impreſſerimus, NE QVID MINVS, NE QVID NIMIS. Quantùm verò ad cætera, miſſis quæ de præuaricatione dici ſolent, ad auguſtius tranſuolamus Aduocationis officium, ſtrenuam ſcilicet actionis impletionem, quæ meo quidem iudicio ſingularis fortitudo eſt, miraque conſtantia. Quo enim alio inſigniri poteſt nomine ea virtus, quæ ſpretis Aduerſariorum, potentium licèt, ſuique frequentius impotentium, & quod magis eſt, adſtantium, audientium, quidque in ſe dicatur & euomatur obſeruantium, ſpretis, inquam, talium commotionibus, offenſis, indignatione, odiis, impauido perſtat animo, & ne puncto quidem à ſuo ſcopo deuiare ſcit? Veritas, aiunt veteres, odium parit, etſi priuatos inter parietes amico ſuggeſta animo; quantò magis ergo in ipſo forenſi puluere, non ſuggeſta dumtaxat, ſed publicata, ſed exprobrata?

Hîc tamen attentos nos eſſe voluerunt Maiores noſtri, dum in primo *a* iuramenti formulæ articulo promiſſi, ſanciuerunt Aduocationis officium diligenter exercendum. Quid enim eſt aliquid diligenter facere quàm ſemotâ qualibet iniuriâ etiam leui, omnes animi conatus adhibere, non tantùm ne res excidat, ſed maximoperè vt fauſtè ſe habeat? Non ſola ergo ſedulitas in euoluendis inſtrumentis, in addiſcenda cauſa aliiſque de quibus iam præparationibus; ſed præſertim & maximè, ea fortitudo, ea conſtantia quâ defendendi, quâ protegendi, quâ fouendi ſunt clientes, nobis commendata eſt; fruſtrà ſiquidem cauſam domi diſceret Aduocatus, ſi concepto ob aduerſarium in foro adſtantem metu, vel obmuteſceret, vel dictu neceſſaria reticeret.

a Aduocati præſentis Curiæ iurabunt articulos ſequentes. In primis, quòd iſtud officiũ diligenter exercebunt. *Styl. Parlam. part. 3. tit. 15. §. 1.*

Agite ergo quicumque eſtis ſeu in Senatorio, ſeu in quouis alio puluere militantes; Agite, inquam, & ſtrenuè & fortiter, ſi diligenter. Adſint aduerſæ partes, eæque gratiâ potentes vel fortunâ; Primates, volo, Proceres, Purpurati, quinetiam Principes; quantò maior in illis potentia, tantò glorioſior in vobis conſtantia. An non vel inde vobis creſcit animus quod maiorem illis habeatis poteſtatem; Et ſanè iudicandi adſunt, vobis dicentibus, vobis agentibus & ingenuè & liberè. Periclitantur, vobis ſecuris; ſilent, vobis loquentibus; demittunt ſe, vobis ſtantibus; denudant capita (ni gratia fiat illis) vobis intereà iure veſtro vtentibus; nec tandem ab alio quàm ab Aduocato protectionem accipiunt. Magnâ, fateor, opus eſt animi præſtantiâ, fortitudine, præſentiâ, hiſce in caſibus; at in hoc nati eſtis, vt eripiatis pauperem à potente, & pauperem cui non eſſet adiutor. *Pſalm. 71. verſ. 12.*

CAPVT XXXV.

Singularis constantiæ viri Vrsinius, San-Romanus, & Buchardus.

PRæcepta autem si nos doceant, exempla etiam moueant necesse est; vix enim aliud est disciplinæ fori institutum quod frequentioribus periculis & Maiorum sapientiam, & posterorum obseruantiam commendârit, adeò vt quotidiana ferè in Senatu videre sit magnitudinis illiusce tùm argumenta, tùm trophæa. Ne tamen prolixior è diffusiori materiâ noster exurgat libellus, selectiores tantùm viros ex innumeris penè delibo, sat illis esse ratus ad excitandos Tyrones, confortandos acres, suffundendos degeneres.

Primus igitur quem adducam Vrsinius *a* est, potens si vllus vmquam, nedum sermone, sed & opere, inde vltimis Regni periculis, vltima, si dici fas est, exorta salus. Hic ex promiscuo clientum patronatu ad Regiam euectus Aduocationem, cunctos Regni proceres imperandi cupidos remouere non timuit, vnicæ Augustæ totius regiminis potestate impetratâ. Pulsatur Ecclesiæ Gallicanæ libertas; at in solo Vrsinio idoneum inuenit Patronum. Mox detrectans clientelam Lotharingus, subigitur; Pacis initæ conditiones accipiuntur, carceres innocuis reserantur Principibus, seditiosi fugantur, Burgundus eluditur, Rex liberatur & reducitur, solo Vrsinio inermi, intercessore, authore, pacatore, quodque mirum, ne humilioris quidem capitis fuso sanguine. Quantos, quæso, vir ille gerebat animos vt tantæ ambitionis solus obstaret progressibus! Sile Romana Respublica, Tullij eloquio ab internis hostibus conseruata, non incruenta saluatoris illius tui fuit eloquentia, ciues extinxit vt ciues seruaret; at gloriosior multò noster Vrsinius, cuius Togæ mansuetæ cesserunt arma, cuius linguæ seruatrici non laurea concessit sed olea; quo non Consule, sed Patrono, seruatis pariter publicæ quietis & amatoribus & turbatoribus, fortunata Gallia renasci visa est, experta scilicet, *quia melior est sapientia quàm vires, & vir prudens quàm vrbium expugnator.*

a Maistre Jean Iuuenel des Vrsins fut si fameux Aduocat en Parlement, que pour sa vertu & prudence il fut esleu Garde de la Preuosté des Marchands, lors qu'elle fut restablie par le Roy Charles VI. qui l'auoit auparauant abolie & reünie à la Preuosté de Paris, à cause de la mutinerie des Maillotins, &c. C'est aussi luy, qui fut esleu Aduocat du Roy en Parlement en l'an 1400. *& qui en cette qualité proposa en la presence des Princes du Sang, de plusieurs Prelats, & foison de peuple, qu'il estoit moins mal que la Reyne Ysabeau de Bauiere presidast au Conseil, & prist le gouuernement du Royaume pendant la maladie & indisposition du Roy, & minorité de Monsieur le Dauphin, diuision & discord des Princes du Sang, ainsi qu'il fut alors arresté, & qui se monstra roide & vertueux pour soustenir l'authorité du Roy de pouuoir assembler les Ecclesiastiques de son Royaume touchant le fait de l'Eglise, & d'y presider en attendant vn Concile general; reprimer & rembarrer ce qui auoit esté dit au contraire par M. Guillaume Filastre Doyen de Rheims, & encore sur la soustraction de l'obeissance à Pierre de la Lune, soit disant Benoist XIII. Pape, en se remettant aux anciennes libertez, franchises, & pouuoir des Ordinaires, suiuant & adherant à l'Vniuersité de Paris; & encore contre le Duc de Lorraine pour le soustenement de l'hommage de Neuf-chastel & de deux cent Villages qui en dépendent. Mais sur tout il fit monstre de sa vertu, prudence, eloquence, courage & dexterité de son esprit, lors qu'ayant ouy,*

ce luy sembloit, par trois nuicts, vne voix qui luy disoit ces paroles du Pseaume 126. Surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris, *qui l'admonestoient de pouruoir à soy & aux seditions des Cabochiens & Bouchers, qui lors regnoient ou plustost tyrannisoient en la ville de Paris les Princes, Monsieur le Dauphin, le Roy & la Reyne, & s'il faut dire toute la France, estant appuyez & supportez du Duc de Bourgogne; il eut la hardiesse & le credit d'y faire receuoir malgré eux les articles de la paix d'Auxerre; deliurer les Ducs de Bauiere & de Bar, detenus prisonniers au Louure, qu'on vouloit executer le lendemain; & mettre la Bastille és mains de Monsieur le Dauphin qui la bailla au Duc de Bauiere en depossedant le Duc de Bourgogne. Deschargea la Ville de la pluspart de ces seditieux, leur ayant à cette fin fait laisser les portes ouuertes afin de s'enfuir. Changea & remua la pluspart des Officiers qu'ils y auoient mis, & en establit d'autres en leur place, deliura en ce faisant la Ville de la captiuité où elle estoit, sans que personne eut esté frappé, pris, ny pillé; & si eut la hardiesse de tirer le Roy des mains du Duc de Bourgogne, qui sous pretexte de le mener à la volerie, le vouloit enleuer, afin de commander en son nom; ainsi qu'il auoit fait auparauant. Bref, il fit luy seul en vne semaine plus que dix mil hommes de guerre & cent des meilleurs Consellers de France n'eussent sçeu faire, &c.* Dialog. des Aduocats, Confer. 1.

Non tamen satis est; tentant *b* grassatores silentia redimere Vrsinij; At in pectus Demostheneo sacratius argentina nil potest. Accusatur ergo, ipseque propriam coram Principe causam agens, vitæ cum oratione concordis inuenitur extitisse.

b Et luy disoit-on & faisoit-on dire par ses amis, qu'il dissimulast, & il auroit des profits largemẽt; mais iamais ne l'eut fait; & pour ce induisirent bien de 30. à 40. tesmoins deposer faux contre luy pour le faire mourir, &c. Et le matin voicy vn Huissier d'armes qui vient & l'adiourne à comparoir en personne au bois de Vincennes où le Roy estoit à dix heures, lequel y alla accompagné de bien 200. Bourgeois de Paris, & proposa Andriguet; & nostre pere qui sçauoit qu'on deuoit dire contre luy respondit sur le champ, ce qu'on cuida empescher, mais le Roy le voulut ouïr. Et quand il eust proposé ses defenses, le Roy mesme se leua; & dit que son Preuost des Marchands estoit preudhomme, & l'en enuoya. Toutesfois le grand Seigneur qu'il ne faut ja nommer, & ses alliez, auoient deliberé de le faire mourir le lendemain aux Halles. Annotat. sur l'histoire du Roy Charles VI. qui sont à la fin de l'histoire de Iuuenal des Vrsins, pag. 572. 573.

Alter, quem nostrum tenuit forum, San-romanus *c* fuit. Is è Causidico, Regius in Senatu factus Cognitor, quos tuendæ iustitiæ, conseruandisque legibus deuotos in priuata Toga hauserat animos, ampliorem adeptus potestatem fortiori spirauit & edidit pectore. Rex enim ad Pragmaticam *d* abolendam Sanctionem ab ignaris, vt videbatur, quanti momenti res esset impulsus consiliis, obstantem habuit San-romanum, qui ne suo Principi deesset, ipsi restitit, tantâ cæteroquin animi magnitudine, vt diu cum purpurato Ballua conflictatus, spretâque exauthorationis comminatione superior tandem euaserit, O! pectus Regi & nolenti fidum; laboranti Gallicanæ prouidum Ecclesiæ, oppressisque populis, quoties deposcebatur, tutamen adeò firmum, vt permulto pòst tempore, in suis necessitatibus San-romano carere ingemuerint.

M. Iean de Saint romain.

c De Sanromano: ita Budæus in forensibus, pag. 135. editio. 1548. Hic fraudare non sustinuit vnum hominem Patrum nostrorum, auorumque memoriâ, qui Cognitoris Regij publicique honore, munere, officiis ita functus est, vt sui Magistratus memoriam, vel verius desiderium in hominum sermone conseruauerit, in Curia defixerit. San-romanus is fuit qui vnus sub Principe imperiosissimo Ludouico XI. coisse societatem salutis & periculi cum Republica visus est; quo nomine cûm in cælum elatus sit, mirâ æquitate successorum manes eius vsi sunt: nullus enim quod compererim æmulari homini sustinuit; eorum certè nemo prorsus quos ætas nostra aut meminit aut vidit. Audire nobis sæpè contigit, cùm res quæpiam vt fit nata est, quæ præsentis animi intercessore egeret, & libertæ, vt ita loquar, contumaciæ aduersus impressionem aulicę potentiæ, homines ita gemebundè dicere. *O tempora, heu pietas, heu prisca fides; hac res San-romani spiritus desiderat; iustitiæ tuendæ legibusque deuotos!*

d Audit temps au mois de Septembre, le Roy bailla des Lettres à vn Legat venu de Rome de par

le Pape pour la rompture dt la Pragmatique Sanction, lesquelles Lettres furent leües & publiées au Chastelet de Paris sans y auoir aucun contredit ny opposition. Et le 1. *d'Octobre ensuiuant, Maistre Iean Baluë fut à la Salle du Palais Royal à Paris, la Cour de Parlement vacant, pour illec aussi faire publier lesdites Lettres, où il trouua Maistre Iean de Sain-romain Procureur General du Roy nostre Sire, qui formellement s'opposa à l'effect & execution desdites Lettres, dont ledit Baluë fut fort deplaisant, & pour cette cause fit audit de Sain-romain plusieurs menaces, en luy disant que le Roy n'en seroit point content, & qu'il le desappointeroit de son Office; dequoy ledit Sain-romain ne tint pas grand compte, mais luy dit & respondit que le Roy luy auoit donné & baillé ledit Office, lequel il tiendroit & exerceroit iusqu'au bon plaisir du Roy, & quand son plaisir seroit de le luy oster, que faire le pourroit; mais qu'il estoit du tout deliberé & bien resolu de tout perdre auant que de faire chose qui fut contre son ame ne dommage au Royaume de France, & à la chose publique, & dit audit Baluë qu'il deuoit auoir grand'honte de poursuiure ladite expedition.* Chroniq. scandaleuse sous l'an 1467.

Altera mox ætas tertium in foro habuit Heroem, Buchardum nomine, qui quidem quantus fuerit, ex vna illius sat patet actione. Exagitatâ *e* iterùm Pragmaticæ Sanctionis abrogatione, Gallicana Ecclesia suos, vt Africana quondam, ambiuit è Causidicina Defensores, lustratoque foro, Buchardus dignus ipsi visus est, qui, quam totus Galliarum Clerus Parisiensisque Facultas æquam putabat, defenderet sententiam. Nec sibi delatæ Aduocationi vir tantus defuit, imò eâ egit constantiâ, vt absolutâ actione, in Arcem Luparam detrusus fuerit. At Socratico prorsus more nequaquàm illi carceris obfuit infamia, vt qui suâ magnitudine & gloriâ solitum loci illius dedecus abstulerit, solutusque vinculis transmissâ etiam ad posteros fulserit claritate.

e Vne autre opposition formée à la publication du Concordat, tant par Maistre Iean le Lieure, & Guillaume Roger Aduocat & Procureur General, que par l'Vniuersité de Paris & par les Eglises du Royaume, pour lesquelles M. Iean Bouchard auoit plaidé si vertueusement qu'il en fut enuoyé prisonnier au Louure, auec vn si grand honneur, que sa posterité s'en ressent encore aiourd'huy. Dialog. des Aduocats. Conference 2.

Hæc sanè digna sunt quæ nos in foro militantes intueamur fortitudinis exempla. Insurgant potestates, minæ audiantur, vincula parentur, NESCIT VERA ADVOCATIO AB IIS EXPLICANDIS, QVÆ VERA ET ÆQVA PVTANTVR DETERRERI. Putantur, dico, quâ tamen ratione suprà definiuimus, dum de sumendo egimus Patronatu; licèt enim Concordati authoritas iam à nullo debeat conuelli, tunc tamen reclamantibus Ecclesiis, licitum erat ceu in quæstione probabili argumenta adducere in contrarium, & pro suscepti claritate Patronatûs, fortiter dicere, constanter agere.

CAPVT XXXVI.

Mors Seruini.

M. Louys Seruin.

VLtimæ tamen gloria constantiæ nostro debebatur sæculo, præcipuis, vt iam non semel dictum est, ditato virtutum insignibus, maioraque protendenti posteris gloriæ facinora, quam obseruârit in atauis. Nil autem referam de longæuo illo Senatorij

fori silentio, dum in honorariis & in illustri suo pulsatum membro, inexpectatam animi constantiam edidit, tristique perdurante iustitio, & suam tutatum est honestatem, & illustriorem è sua relegatione virum recepit. Aut aptior fortasse locus, aut sublimior nostro calamus tantæ virtutis specimen edidisset, vnumque intereà Seruinum adducam, vt quem merito quotquot sunt, & erunt Causidici vltimæ Heroem fortitudinis intueri quidem & venerari debeant, at vix sperent imitari, saltem assequi.

Et sanè, cui vmquam ante illum contigerat, cui-ue deinceps forsan continget è priuatâ Aduocatione selecto, per triginta [a] & octo annos Regij Patronatûs onerosam perferre molem; molem, inquam, Athlanticos simul & Herculeos humeros deposcentem? Iam ergo vel è longæuâ illâ tanti ponderis sustinentiâ egregium Seruini pectus coniici posset, vt qui indefessâ fortitudine irruentium Magnatum impetus, sæpiúsque adstantium, eneruâsset, confregisset, dissipâsset. Verùm præclariora virtutis facinora acerbiores elicuere casus. Princeps ipse Senatum ingreditur, placita non tam proponit quàm edicit, iisque authoritatem dari à Patribus non expectat, sed imperat. Quid tùm Seruinus, Regiis è suo munere addictus partibus? Non illum circumpositus, vt Tullium, armatorum ordo terret aut numerus; non consiliorum authores ipsi, non augusta denique Regis præsentia; Quin-imò, quid Regi debeat, quid Rex ipse populis impauido voluens animo, liberam dicendi sibi, iudicandi Senatui inuersam queritur facultatem; clamores deinde viduæ & pupilli sub immoderato gementium tributo proponit & explicat; illorum lachrymis proprias miscet lachrymas; suggestorum opprimendæ libertatis deposcit nomina; finemque iussus facere, coactum se quod posceret rogare contestatur. O! digna & Seruino sententia, & foro Senatorio tùm virtus tùm anima, tandemque suspirantibus concessa populis rediuiua

a *Thuanus. lib. 95. historiar. sub Ann. 1589.* Id posteà Fisci officium in Ludouicum Seruinũ Caroli Cardinalis Vindocini commendatione collatum est, iuuenem eruditum, fideique erga Regẽ perspectæ. *De sorte qu'estant mort en 1627. il paroît qu'il a exercé la Charge d'Aduocat General pendant trente huict années.*

b *Nous tirerons la Remonstrance que M. Seruin fit lors au Roy, de la liste des Aduocats de l'année 1599. inserée és Opuscules de Loysel par les soins de M. Claude Ioly.*

Du 18. Feurier 1620. le Roy seant en son lit de Iustice. Seruin pour le Procureur General a dit; S IRE, *nous trouuons fort estrange que vostre Maiesté procede à la verification de ses Edicts par des voyes si extraordinaires, que de venir en sa Cour de Parlement, contre les anciennes formes gardées de tout temps par vos predecesseurs Roys, & par Vous iusques à huy, de nous ennoyer vos Edicts, pour en liberté de conscience en dire nos aduis, & les presenter à vostre Cour qui en deliberoit en toute liberté, & lors qu'elle les trouuoit de iustice, les verifioit à vostre desir; Mais si au contraire ils n'estoient trouuez iustes, vostre Cour faisoit Remonstrances qui estoient tousiours prises de bonne part; mesme, si quelquefois il estoit arriué que la necessité de vos affaires fust si fort apparente, vostre Cour s'est relaschée pour vous faire recouurer des deniers pour vos guerres, comme il est arriué encore depuis peu; Mais aujourd'huy,* S IRE, *sans aucune apparence de toutes ces choses, & vous estant preuenu de mauuais conseils, venez en vostre Cour par la splendeur de vostre Maiesté, qui doit seruir de terreur à tous vos ennemis, nous oster le moyen d'en deliberer auec la liberté de nos consciences. & vous representer les inconueniens qui peuuent arriuer de l'execution de ces Edicts iniustes, qui pourront vn iour estre cause du souleuement de vos peuples, & qui les contraindront de faire des peuplades pour habiter des terres estrangeres, où ils trouueront des dominations plus douces que la vostre.*

Pardonnez, S IRE, *à cette liberté Françoise qui nous fait ainsi parler, & prestez l'oreille aux clameurs de la vefue & de l'orphelin qui gemissent sous le faix des imposts, ce qui vous est dissimulé par vos Conseils, & qui vous est representé auiourd'huy par vostre Cour de Parlement, de laquelle sont sortis tous les bons & salutaires conseils qui ont iusques icy esté donnez à vos Pre-*

decesseurs & à Vous, & qui vous a fait entendre la necessité de vos peuples ; ce que nous continuërons, reconnoissans que vous estes l'image de Dieu en terre, nostre souuerain Prince, descendant & doüé du nom & des vertus de S. Louys, & que vostre bonté, clemence & magnanimité sont tellement empreintes dans les cœurs de vos peuples, qu'ils se resoudront facilement d'employer leurs vies & biens pour vous secourir & assister au besoin, & principalement quand ils verront que ce sera pour porter vos armes contre les estrangers ennemis de la foy & de vostre Estat, comme maintenant vous les pouuez faire aller en Allemagne, & mesme en Turquie & contre tous les Infideles, sans que nous entendions neantmoins parler de vos Alliez ny de vos Sujets, que vous souffrez par vos Edicts viure en liberté de conscience dans vos Royaumes ; ce qui vous rendra redoutable à tous les Estrangers qui vous feront, comme ils ont cy-deuant fait, Vous & vos Predecesseurs, Arbitre de leurs differends, comme portant ce titre de Roy tres Chrestien & estant le plus grand Monarque de tout le monde. Mais, SIRE, *si la presence de vostre Majesté nous contraint de passer pardessus toutes ces considerations, ce sera auec protestation, que pour le salut de nos ames que nous deuons à Dieu, & en apres nos corps & biens à vostre Majesté, nous entendons separer la charge qui en pourroit estre sur nos consciences, d'auec l'interest de ceux qui sont les autheurs de ces conseils, les noms & dignitez desquels nous supplions tres humblement vostre Majesté nous deferer, & en faire charger les Registres de cette Cour pour estre contre eux informé; Vous supplions aussi,* SIRE, *que les deniers prouenans de ces Edicts soient employez pour vous & non pour autres, & que doresnauant vous ayez des Conseils si preuoyans, que mesme la necessité de vos affaires ne vous porte plus à ces extremitez.*

Par Monsieur le Garde des Seaux furent repliquez ces mots ; Concluez Gens du Roy : *à quoy Seruin respondit ;* SIRE, *puisqu'il plaist à vostre Majesté nous nous contenterons de vous auoir representé l'importance de cette affaire & au reste tendrons le col à l'obeissance, & conclurons par vostre commandement, puisque nous y sommes contraints qu'il soit mis sur ces Edits.* Leu, publié, enregistré, ce requerant vostre Procureur General.

San romani fortitudo! Irritatur c tamẽ Aulicorũ potentia, nõ flectitur; & quasi nõ satis esset spretâ Seruini, spretâ Curiæ supplicatione quid intentassent perfecisse, accersiri curant primores è cœtu, nec non Seruinũ, castigationes quasi deliquissent, ab ipso Principe audituros. Et Princeps quidem Senatus, nil nisi cœtu dignum amplissimo locutus perhibetur ; at historiarum scriptor iure omninò obseruat Seruino silentium impositum, vt cunctis innotesceret populis compressam fuisse vocem illius, non ignauiâ sed potentiâ.

c Dupleix en l'Histoire de Louys le Iuste, sous l'année 1620. *Ceux, dit-il, qui faisoient de leurs interests la necessité publique, persuaderẽt au Roy pour en faciliter & authoriser la verification par sa presence ; ce qu'il fit, & le Garde des Seaux prenant la parole, remonstra entre autres choses, que le Roy eust bien desiré que les anciennes formes eussent esté gardées en la verification des Edits qu'il leur auoit enuoyés, mais doutant que la Cour y feroit quelque difficulté qui pourroit apporter du retardement à ses affaires, sa Maiesté bien instruite de l'vrgente necessité qui l'obligeoit de recourir aux remedes extraordinaires, estoit venuë en personne pour faire leuer tous les empeschemens qui y pourroient naistre.*

Le premier President repartant par vn discours concerté en la grand'Chambre, representa hardiment, que la Cour receuoit de la violence en la verification de ces Edicts, sans aucune deliberation precedente, &c. Le discours de Seruin Aduocat du Roy fut encore plus hardy, auançant entre autres choses que sa Maisté se faisoit tort de venir en son Parlement pour authoriser par sa presence, ce qui ne se pouuoit faire par raison & par iustice, & comme la chaleur de l'esprit & la vehemence de la passion faisoient couler des ardentes larmes de ses yeux, & des perçantes paroles de sa bouche, le Garde des Seaux l'interrompit, &c.

Tant y a que les Edits furent verifiez, & aucuns des Princes & Seigneurs qui assistoient aupres du Roy, estoient d'auis de faire vne seuere reprimande à la Cour de Parlement, afin qu'elle reconnust qu'il falloit parler auec plus de reuerence à la Maiesté souueraine. Mais la plus-part considerant que ces Remonstrances procedoient plustost du Zele que de malice, conclud seulement à ce que les Presidens & les Gens du Roy fussent mandez pour venir apres disner au Louure ; ce qui fut fait ; & sa Majesté leur dit qu'elle auoit esté tres mal edifiée de leurs Remonstrances & les auoit trouuées grandement insolentes. Le Garde des Seaux leur dit en suitte, Que mal à propos

ils auoient voulu separer le Roy de son Conseil, afin qu'en blasmant celuy-cy, ils semblassent exempter sa Maiesté de blasme; Mais qu'estant inseparables, l'offence portoit coup contre tous ensemble, chose insupportable au Prince souuerain, qui n'attend de ses Sujets qu'obeissance. Le premier President se mit sur les excuses & la satisfaction enuers le Roy, en sorte neantmoins qu'il ne laissa pas de donner plus de violentes atteintes à ses mauuais Conseillers, qu'il n'auoit fait au Palais. Et Seruin se fut eschappé encore plus loin, si on ne luy eut imposé silence. Voila le texte mesme de Dupleix; neantmoins à l'esgard de M. le premier President, en la liste des Aduocats, d'où a esté tirée la Remonstrance de M. Seruin, ces mots sont mis en marge de celle dudit Sieur premier President. Le Registre porte que le 20. du mesme mois de Feurier, M. le premier President ayant esté mandé au Louure auec d'autres du Parlement, il dit au Roy que c'estoit par charge & deliberation de la Cour, qu'il luy auoit dit les paroles contenuës en cette Remonstrance.

Feramur vlteriùs, strenua etenim illa quantumuis actio, splendidioris alterius veluti præludium erat, quâ Seruini fortitudo coronari debebat, vita finiri. Publica iterum si oculato *d* testi creditur, pulsatur libertas Galliarum, nec dissimili à præfato ritu, Rege scilicèt in supremo Iustitiæ solio recumbente. Adest quoque Seruinus, non inferiore quàm anteà magnitudine animi, sed procul dubio fœliciore, pro ea siquidem, quam Regium Patronatûs officium deposcebat agens sollicitudine interloquendum moritur, &

d Suit en la mesme liste. *La mort de M. Seruin est remarquable en ce qu'il expira aux pieds du Roy Louys XIII. seant en Parlement, en l'année 1627. comme il luy faisoit vne Remonstrance; surquoy M. Abel de Sainte Marthe a fait ces vers qui sont au 2. liure de ses Epigrammes.*

Seruinus medio dum insana duella Senatu
Culpat, & ante sui Principis ora notat,
Concidit exanimis, factoque hic fine quiescens
Hunc tandem extremi funeris hora tulit.
Non potuit supero pia Numine pectora plenus
Sorte, loco, aut cœtu nobiliore mori.

Mais il est à remarquer que M. de Sainte Marthe n'estoit pas bien informé, quand il a fait ces vers, du suiet de la Remonstrance de M. Seruin; estant constant qu'il parloit alors contre des Edits bursaux, si ce n'est que parmy ceux-là, il y en eût quelqu'vn qui concernoit les duels; quoy que c'en soit, M. Bouguier Autheur du Recueil des Arrests qui portent son nom, lequel estoit lors Conseiller en la grand'Chambre, & present, nous en parle autrement en ces deux vers qu'il fit en ce temps-là sur cette mort.

Seruinum vna dies pro libertate loquentem,
Vidit & oppressâ cum libertate cadentem.

in conspectu *e* supremi imperij vitâ priùs delinquitur, quàm constantiâ deseratur, O! præclarum omninò viri fortissimi & constantissimi exitum, vltimúmque futuris etiam sæculis quò strenuitas Aduocati peruadere queat, & exemplum & monimentum. Accedite, quotquot iam estis, quotquôtque futuri estis Aduocationis asseclæ, & quid quantumque debeatis pro eo tuendo quod æquum, quod iustum est ex vno Seruino cognoscite. Sed Seruino etiam vos iusta persoluere æquum est, in cuius linguæ *f* manibus & vita insignis fuit & mors illustris; Mors enim vitam illius non defraudauit *g*, imò iusto coronauit exitu, ita vt, & vitæ ipsius *h* mors testimonium extiterit; & vltimus *i* dies, æui transacti conditionem

e Inque conspectu summi Imperij exoptatâ securitate quieuit. *Valer. lib. 12. cap. 15. in externis, num. 1.*

f Mors & vita in manu linguæ. *Prouerbio 18. vers. 21.*

g Mors vitam non defraudat. *Ecclesiast. 3. vers. 34.*

h Mors igitur, vitæ est testimonium. *Ambros. de bono mortis cap. 8.*

i Humanę vitæ conditionem præcipuè primus & vltimus dies continet. *Valer. lib. 12. cap. 15. in principio.*

claro patefecerit argumento. Desine ergo iam, Roma, tuum nostro forum anteponere; PAPINIANI MORTIS GLORIA, SERVINI OBSCVRATVR SPLENDORE EXITVS, cuius anima non tollitur, sed ponitur; cuius integritàs non opprimitur, sed excitatur; cuius denique spiritum non inuitum eripit sæuitia, sed spontaneum excipit iustitia. Abest enim horror supplicij, imò quadamtenùs pompa sacrificij instruitur, dum vir tantus, Phœniceam suspirans sortem, monte iudiciorum conscenso subque ipsius conspectu solis, quo iam-pridem deuorabatur accensus zelo, paratas demùm inter flammas & exuritur & consumitur.

CAPVT XXXVII.

Egregia Montholonij constantia venerationem nacta & præmium apud ipsum Regem contra quem egerat.

PRæfatis rationibus quæ tùm è Maiorum institutis, tùm ex Heroum petitæ exemplis ad agendum strenuè nos impellunt, altera succedit ex ipsiusmet fortitudinis eruta visceribus, cuius præcipuum est, vt quàm frequentissimè obluctantem æquè demereat & vincat, subactumque aduersarium, contrario etiam lucretur officio. Cur ergo muneri suo deesset Causidicus, è cuius impletione nedum clientis studia, sed & nonnumquam repugnantis impetitæque partis animum sibi deuincit? Adsint, volo, sub oculis & in cancellis primariæ viri fortunæ; audiant & obseruent quodcúmque aduersùm se dicetur & egeretur; benè omninò; sunt enim in signum cui contradicatur necesse est, nilque peius ab iis potest timeri quàm quod infensos dicenti se præbeant; at præuaricantem, contemptus haud dubiè, strenuè verò agentem nonnumquam addictio, semper saltem admiratio sequitur; vnde nemini non patet duplo fœliciori exitu munus absolui quàm deseri.

Frequentissimis autem hac de re forum Senatorium exemplis pullulat, nemine, nisi stupido, non iudicante sibi strenuè omninò adfuturum qui contra se nauiter & fortiter decertârit; & econtrà, Siculi *a* adinstar hospitis, satiùs esse, ignauum ab aduersis stare partibus quàm à propriis; vt tamen claris omninò fulsit suâ ætate luminibus mira Montholonij strenuitas, gloriam nostræ Aduocationis mihi viderer obscurare, si de tanto viro silerem.

a *V. sup. lib. 1. cap. 14. litt. f*

Grauis aduersùs Borbonium *b* exorta fuerat tempestas, nil minus interminans quàm naufragium, è perituris tùm rebus, tùm personâ miserrimum. Authores suscitatæ procellæ, fœminei motus animi, sed irati; odia scilicèt dudum è spreto nata amore, ideóque & extremam vltionem spirantia, & vel minimi renixus impatientia. His adde fœminam augusto coram filio; sceptro nati super-

b *Mais Louyse* (c'estoit Louyse de Sauoye mere de François I.) *establie derechef Regente par le Roy son fils du-*

bientem; iuraque Regia scitè adeò suis adiungi curantem iuribus, vt iam semotâ irarum ferociâ è solis agere legibus videretur, cui Rex ipse accederet, nec alius obueniret arbiter quàm Senatus. Et quidem quamdiu secreto marte, nudoquè Cognitorum ministerio lis ordinata est, non defuit Borbonio qui curaret causæ progressum; At vbi peroranda fuit in Senatu, haud illum modica sollicitudo tenuit, Patroni, Heroem licèt, egentem auxilio, nec facilè inuenientem. Librabatur quippe à Causidicis istius-ce moles Patrocinij, nec minor quemque de tutando Borbonio quàm olim de defendenda Gelberga labor terrebat; Vnus *c* tandem inuentus est Montholonius, qui ceu alter Atlas orbem hunc suis humeris subleuandum assumeret, nequaquam adiutrice Herculis imploratâ operâ, & quò illustriùs tanti viri constantia subiret periculum, Rex ipse, ipsaque totius litigij incentrix, mater, dico, Regis, causæ intersunt orandæ, quidquid Montholonius in se iacularetur excepturi. Nil tamen mouetur strenuus ille Causidicus; pridem quippe gnarus, vel defensore Gelbergæ præuio, quid, quantùm & quatenùs deberet, tùm clienti, tùm aduersanti, etsi Regali iste fulgeret potentiâ. Tantùm igitur audet, quantùm debet, nouasque vires capiens ad illius contra quam stabat purpuræ aspectum, æquo se marte certare nouit, legibus scilicèt non armis; eloquio non gladio; veneratione quidem seruatâ, sed ratione nequaquam depressâ; In foro denique, in Senatu, in Curia, quem campum quoties ingrediuntur Augusti, nil sibi ampliùs quàm nobis licere contestantur. Dum autem strenua fit illius defensio, prudens quoque ex ipsius magnitudine animi fluit oratio; veneratur enim quos impugnat; reueretur quos refutat, saluâque Maiestatis amplitudine, verbulum hoc NON LICET ingenuo simul & impauido pectore iaculatur. Quis tandem constantiæ illius egregiæ finis fuit & exitus? aufugit-ne Montholonius Tullij adinstar Roscio *d* absoluto? Haudquaquam sanè, quin-imò non potuit Princeps non colere aduersatum sibi Causidicum, altéque adeò menti ipsius præclarum huius-ce libertatis hæsit facinus, vt decennio post, in-

rant son voyage d'Italie, ennemie mortelle du Duc (c'estoit Charles de Bourbon) *par le conseil du Chancelier du Prat, mal affectionné aussi au Duc, fit intenter action contre luy à la Requeste du Procureur General au Parlement de Paris, pour la reünion du Duché de Bourbon à la Couronne, & elle de son chef demanda les Seigneuries non reuersibles à la Couronne; le droict du Roy estoit fondé sur la disposition testamentaire de Louys II. Duc de Bourbon, nonobstant la renonciation de Louys XII. qui ne pouuoit preiudicier à la Couronne; & celuy de Louyse, sur ce qu'elle estoit plus proche de Pierre que Charles, &c. Par cette action le Roy destruisoit les conditions apposées au contract de mariage d'entre Charles & Susanne authorisé par Louys XII. mais quoy que ce ne fut pas de son mouuement, il laissoit pourtant agir sa mere à laquelle il deferoit grandement en toutes choses, &c. Or la cause de la hayne de Louyse contre ce Prince procedoit de ce qu'elle auoit desiré de se remarier à luy, & elle donc se voyant éconduite & mesprisée par Charles (comme c'est la coustume des femmes rebuttées en leurs amours) tourna son amour extreme en vne extreme hayne contre luy, & depuis ne cessa iamais d'employer toute son authorité & toutes sortes de ressors & d'artifices à la ruine de ce Prince.* Dupleix, François I. sous l'an 1522.

c En l'Indice Alphabetique des Aduocats, sous les noms de Montelon ou de Montolon, François, pere & fils, est escrit ce qui suit. *Sceuole de Sainte Marthe liu. 5. de ses Eloges, met en vn les Eloges de ces deux François pere & fils, & de Nicolas de Montelon, où il dit particulierement du pere, que luy seul entre tous les Aduocats de son temps eut la hardiesse d'entreprendre la cause de Charles de Bourbon contre François I. & Louyse de Sauoye sa mere, & de la plaider en plein Parlement, en leur presence, dont le Roy estima si fort la vertu & l'eloquence, qu'il le fit depuis Aduocat General, puis President au Mortier, & finalement Garde des Seaux.*

d Plutarch. in Cicerone.

uitis quos expertus fuerat variæ fortunæ casibus, & memor illius fuerit, & eodem voluerit Patrono defendi, quo fuerat lacessitus. Factus est igitur Montholonius Fisci Patronus, mox & infulatus Præses; quodque rarum in Senatorio viro, Regij etiam annuli custodia, infulatæ purpuræ adiecta est.

CAPVT XXXVIII.

Quomodo nonnulli Magnates se habuerint erga obstantium sibi Causidicos.

DIcat ergo Plinius, facundoque exaret calamo fidem in præsentiâ *a* quos repellit offendere, posteà tamen ab illis ipsis & suspici & laudari. Hoc sanè fuit vltimum quod in Romano foro consequi potuit illa virtus, si tamen adhuc consecuta est; At in nostro, non ieiunâ dumtaxat laude, sed dignâ insuper mercede coronari se vidit, nec ab inferiore dexterâ quàm Regiâ. Quid, quæso, miremur magis, an in Aduocato strenuitatem, an in Augusto, magnanimitatem? Sed absit, vt nostra Aduocatio cum Principe suo de gloria contendat, habemus secretam in vtroque nedum admirationis, sed imitationis insuper materiam, Aduocati scilicet, in Montholonio fortitudinem, litigantes verò quantæcumque sint dignitatis in Francisco Rege moderationem. Et sanè, quid ad hanc tanti Regis mansuetudinem afferre possunt ij Potentes, ij Purpurati, ij Togati (quod probrum & dedecus) qui nefas putant se impeti à Causidicis; Et, si quandoque quas vexant partes Aduocati defenderint, implacabili æstuant odio; audit Rex placidè contra se loquentem Aduocatum, hi verò inueniri nolunt qui contra se dicat, & si forsan detur si inueniatur, ipsius euadunt hostes infensissimi. O! tumido homunculi animo, vos Regium exemplum si non doceat, tandem confundat, iustoque demùm supremi Numinis iudicio, forum aliquando vos deserat, quod superbia vestra conculcat.

a Fides in præsentia eos quibus resistit, offendit; Deinde ab illis ipsis suspicitur, laudaturque. *Plin. 3. Epistol. 9.*

Vidit sanè nostra ætas Regni etiam Proceres moderatiùs se habere, debitámque Togæ libertatem nequaquam ab illis aut conuelli aut comprimi; Ecquis enim ignorat Guisiani Ducis de leuiori aduersùs Martillerium *b* prolato verbo plenitudinem: Dixerat Martillerius pro Condæo loquens Principe nonnihil è sibi transmissis schedis quod Guisianum pupugerat, quâ de re iste iratus, Martillerio mortem præcipiti minatus erat sententiâ; & tamen paulò pòst, recusantem vbi aderat conuenire Martillerium, fide datâ accitum amplexatus est, quodque calore iracun-

M. Pierre de la Martiliere.

b *Vn iour plaidant vne cause pour Monsieur le Prince contre Monsieur de Guyse, auquel il reprocha sur les memoires de sa partie quelque chose de la Ligue qui ne luy plaisoit pas, M. de Guyse au sortir de l'Audience le menaça de le faire tuer. Peu de temps apres M. de la Martilliere refusa de se trouuer en vn arbitrage auec M. de Guyse, lequel en ayant esté aduerty, & sçachant la raison, luy fit dire qu'il y pouuoit venir en toute seureté: & en effet M. de la Martilliere entrant dans la chambre où estoit l'assemblée, M. de Guyse vint au*

deuant de luy, & l'embrassant luy protesta amitié, & s'excusa des paroles que la chaleur luy auoit fait eschapper, & la conference se passa fort doucement. Liste des Aduocats de 1599. sous le nom Pierre de la Martilliere.

diæ protulisset, excusauit. Ea leuioris culpæ excusatio Magistratulum & homuncionem prægrauasset; sed à viro Heroïco non remissior Heroïcâ virtus expectanda est.

Mira quoque fuit demortui Condæi Principis prouida moderatio, Guisianâ tamen superior, vt quæ nihil excusandum admiserit. Condæus hodiè Princeps præfati filius, Richelij Cardinalis, cuius neptem ex sorore vxorem duxerat, hæreditatem sibi vindicabat ex parte; obiiciebantur illi tabulæ nuptiarum & testamenti, indeque magna lis ad Senatum deuoluta. Quantò autem Richelij dum vixerat potentia splendidior, tantò eo mortuo flagrantior populorum in agnatos eius inuidia, quos & à Condæi maiestate nominis deprimendos plurimi nedum optabant, sed & sperabant, victrixque filij Regios ducentis exercitus dextera, necnon vxoris simul & Patris indefessa apud Iudices commendatio, difficiliorem hæredum efficere defensionem videbantur. Inuenti sunt tamen qui patrocinia susciperent, Hilarius quidem Ducissæ Eguillonneæ, Rosæus verò Pontis-Corlæi Marchionis; tuncque Condæus pater paulò antequàm hæredum audiretur defensio, vnum è suis Honoratis misit ad Hilarium, qui ipsi fido prorsus animo quæcumque ad causam facerent schedis-ue essent obsignata, palàm dicere posse denuntiaret. Audiui ego c Hilarium, cuius quâdam die hærebam lateri, dum ab aduersante sibi Causidico, duriùs quàm fori vellet ingenuitas perstringeretur, vrbanitatem tanti Principis & referentem & commendantem; quem cæteroquin nemo non vidit supra quoscumque nostri æui Principes & Senatorij consessus obseruantissimum, & forensis studij fouentissimum.

M. Iacques Hilaire. M. Guillaume Rozée.

c Cela arriua au mois de May 1644.

Plura recensere possemus, sed bina hæc, ni fallor, moderationis exempla sufficient; in Condæo siquidem, Regia verè anima quid agat intueri potest; si quæ verò demissiùs se habuerit, discet è Guisio, humaniori pectore erratum compensare.

CAPVT XXXIX.

Senatus interesse ne fori libertas à quodam impediatur.

VLtima quæ nobis ad fortitudinem & constantiam impellit ratio, ex ipsius Curiæ petitur prouidentia, quæ tanto semper studio forensis ministerij tutata est libertatem, vt in eius sinu nostra securitas locata videatur. Quid-ni autem cùm sua etiam interesse sciat, libero patrocinatum peragi officio? Sermo enim ille qui è suggestu ad tribunal fertur, nonne iudicij præminister Decretique præcursor est, quo proinde suffocato, & verbum quo-

que

que iudicis necesse est intereat, eademque comprimatur violentiâ quâ Patroni lingua? O! vox Causidici super aquas *a* euecta, dum viduæ lachrymas, orphani fletus, egeni lamenta benigno subleuas officio; Vox in virtute, dum operatorio sermone potens lapsa erigis, fatigata reparas; Vox in magnificentia, dum illustri fulgens ministerio, ipsos Potentes, ipsos Principes, ipsos etiam Reges prouidâ tutaris eloquentiâ; Vox cedros confringens, dum iniqua sæuos fortuna, legibus impugnas, æquitate debellas. Vox intercidens flammam ignis, dum sæuientem potentis ferociam aspernata, strenuo apud Iudices decertas eloquio; vox desertum concutiens, dum explicatis dolosi fraudibus, condensa reuelas, & concinnatas in solitudine versutias, simul aperis & confringis; O! vox, inquam, Causidici non in his tantùm immorare dotibus, sed de vltimo tuo lætare præcipuo, quia præparans *b* ceruos es. Tibi enim obstetricantis etiam debetur gloria, tibi præparantis Senatus oracula, tibi præstruentis Curiæ iudicia. Sine te, Cerua *c* illa cui mons excelsus cedit iudicij, vitiis infesta, & omni nequitiæ virulentia potentior *d* parere non potest, CLAVSAQVE SEMPER STERILIS MANEBIT VVLVA, SI NON ACCESSERIS PRÆMINISTRA. Quid mirum ergo si te liberâ vult esse operâ, cùm è tua libertate suam accipiat fœcunditatem? Age posthæc, age fortiter; age constanter; non inferior tibi hortator, tibi moderator, tibi coronator accedet quàm Senatorius cœtus & illustris titulo & potens imperio.

a Vox Domini super aquas, Deus Maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas; Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani; vox Domini intercidentis flammam ignis; vox Domini concutientis desertū, & commouebit Dominus desertum Cades; vox Domini præparantis ceruos. *Psal. 28. vers. 3. 4. & seq.*

b Mira Dei potentia in eo cernitur, vt ceruas parere faciat, in Hebræo habetur, vox Domini parere faciens ceruas, vel vt sanctus Hieronymus vertit, vox Domini obstetricans ceruis. Idem significant verba Græca & Latina; nam præparare ceruos nihil est aliud hoc loco, nisi preparare ad pariendum. Nomen, ceruos, commodius legeretur, quàm ceruas, nam in Hebręo est nomen fœmininum; & in Gręco est nomen commune. Sed rectè etiam potest intelligi præparantis ceruos, nam ponitur nomen masculinum ad exprimendum ceruos in genere non distinguendo sexus, quasi diceretur: Vox Domini præparat ceruos, id est, speciem ceruinam ad partum, quæ species sine peculiari prouidentia Dei parere non posset. B*ellarm. ad Psal. 28. vers. 8.*

c Ipsi more ceruarum interemptis vitiis quasi extinctis serpentibus viuunt. *Gregor. lib. 30. in Iob. cap. 9.*

d Ceruus, infestum serpentibus animal & omni viperarum virulentia potentius. *Origenes lib. 1. contra Celsum.*

Hoc autem nonne in Brossellio *e* vltima experta est ætas, dum minaci ille pulsatus verbo, confestim vniuersæ sinum Curiæ sibi cedere in azylum audiuit? Nonne & nostra viderunt tempora, dum manu impetito sub ipso ferè Tribunali Causidico, commota sunt à voce clamantis superliminaria cardinum & tota Basilica impleta est zelo? Quanta adhibita est prudentia, ne in læso Aduocato vel sua Senatus, vel sua Aduocatio gloria excideret? Nouerunt tantæ sedatores procellæ quo ferebatur hæc iniuria, sagacique illorum prouidentiæ nostrum semper debebit forum seruatam fuisse sibi vbique strenuè agendi potestatem.

e *Le 22. Feurier 1571. seant la Cour aux Augustins M. Iacques Broussel, Aduocat en Parlement, ayant plaidé vne cause contre vn Capitaine Allemand nommé le Capitaine d'Aist. Le Capitaine sorty de l'Audience s'approcha dudit Broussel, & le menaça de luy frotter les oreilles; dont ledit Broussel ayant fait plainte à la Cour sur le champ, elle oüit deux témoins, & sur leurs depositions ordonna que le dit d'Aist comparoistroit le lendemain à sept heures du matin en personne, luy faisant defences de partir de la Ville iusques à ce, sur peine de perdition de tous les droicts par luy pretendus en la cause dont estoit question, qui estoient de huict mil liures, & aussi sur peine de dix mil liures parisis enuers le Roy; & si fut ledit Broussel mis en la protection & sauuegarde de la Cour, & de-*

fences faites au Capitaine d'attenter à sa personne sur peine de confiscation de corps & de biens; & cependant permis audit Broussel d'en informer plus amplement. IndiceAlphabetique des Aduocats, sous le nom Broussel, Iacques pere.

CAPVT XL.

Quantum verecundiæ studium debeat inesse Causidico.

SEd quid loco seu cœtui debeat Causidicus, iam disquirendum nobis est. Et Maiores quidem nostri plus factis quàm verbis de hoc-ce officio statuisse visi sunt, dum quælibet *a* eorum oratio, sacri thematis ceu lineæ circumscripta limitibus, suum foro, suum cœtui & honorem redderet, & decorem seruaret; siue enim id à Clericis causas ferè solis ab initio perorantibus, concionum ritu fuisset introductum; siue istiusmodi assumptio thematis sanctiorem dicentium mentem Iudicibus exponere videretur in confesso semper esse debet haud publicæ conuenisse honestati, si præuia dicendorum sententia è sacris eruta codicibus, inuerecundis sermonibus viam fecisset. Licèt autem iam à sæculo pauló-ue ampliùs mos ille auspicandi exoleuerit, ideó-ne minùs sancta euaserunt & Iudicum subsellia & audientium septa? Non lustrali quidem, vt olim apud Athenas, forum nostrum quotidie circumspergitur, sed maior ab initio sanctitatis effusio vniuersum expiauit locum, ipsaque cancellorum repagula consecrationis pristinæ exhalant adhuc odorem, quem piaculum est venenatâ *b* impudici sermonis aurâ vel corrumpere vel lædere. O! quid ad nos, si secus egerimus, quid ad nos, inquam, Periclis *c* cineres, deos antequàm suggestum conscenderet deprecantis, ne sibi inter orandum vel verbulum excideret quo populus læderetur? Quid ad nos Tullius *d* orationem expostulans castam, verecundam, virginem incorruptam? Quid ad nos *e* Seneca, verborum & sensuum obscænitatem increpans, satiusque ducens nonnulla causæ detrimento tacere, quàm verecundiæ dicere? Quid ad nos, inquam, non Ionicâ dumtaxat, non Academicâ, non Stoicâ imbutos Philosophiâ, sed verâ, sed infucatâ, sed Christianâ? Agamus ergo, non inuerecundè, sed castè. Iusta quidem iustè absoluenda sunt, & bona benè, at obscæna non obscænè tractanda sunt, sed pudicè. Nec dicat vllus strenuitatem à nobis postulatam molliori & effœminato iam corrumpi instituto; forensis ingenuitas & ruborem habet, & pudorem, sed qui ad dicendum stimulos addat *f* non detrahat; & si virginis illi post Tullium os adaptamus, cor leoninum nequaquam auellimus; quinimò in nostro ministerio, ceu in cælesti circulo *g* perhonorificum est, & animos leonis & ora virginis libræ coniungi iustitiæ.

a *C'estoit la coustume ancienne du Barreau de prendre au commencement des causes qui se plaidoient, quelque passage de l'Escriture sainte par forme de theme.*

b Obscœnitas, non solùm non foro digna, sed nec conuiuio liberorum. *Cicero 2. de Orat. nu 7.*

c Nec immeritò Pericles solebat optare, ne quod sibi verbum in mentem veniret quo populus offēderetur. *Quintilia. 12. institut. cap. 9. vid. Plutarch. in Pericle.*

d Oratio casta, verecunda; virgo incorrupta. *Cicero Orator.*

e Longè recedendum est ab omni obscœnitate verborum, & sensuum, quędam satius est causę detrimento tacere quàm verecundię dicere. *Sen. lib. 1. declam. 2. fine.*

f Addit ad dicendum etiam pudor stimulos. *Quintilia. 10. institut. cap. 7.*

g in Zodiaco.

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.

CAPVT XLI.

De Causæ obscœnæ Concinnatoribus.

AT quò nos sensim ista abducit materia, quó-ue iam ferimur? Insurgunt enim obstantque non eneruati sed strenui; non effeminati sed fortes; non molles sed inclyti; quorum phalerata eloquentia ex ipsis etiam obscænitatis fætoribus palmam nouit colligere. An nos fugit assueuisse *a* dudum cancellos impuris fictionibus subsellia Scurris, Tribunalia Ludionibus, & cœpisse tandem licitum haberi quod publicum extitit & solitum? Quis Hilariorum ignorat actionem tanto concursu & applausu edi solitam, vt titulo perillustri CELEBRIS appelletur? Confingitur quotannis industrium lasciuiæ argumentum; nomina personis è subtiliore desumpta libidine imponuntur, concinnanturque labore summo quas è cœtu selecti iuuenes recitent conciones, sed asperâ madentes Venere vt sensu molliori suauior pernicies auribus obrepat *b* & cordibus. Accedit probri illius blandientis authoritas; non tam causa agitur quàm scena editur, in ipsis etiam Curiæ penetralibus flagitiorum dicatis vltioni, adeò-vt Tribunalia vacua, stuprandis *c* moribus Theatra fiant, petulansque iuniorum procacia, Maiorum instituta scurriliter proscindens & vellicans effutire audeat; Senatum eo die citiùs quàm soleat assurgere, vt liberiore consessu spectaculum edatur obscænitatis; & è solio Iustitiæ, thronus insurgat spurcitiæ. At in tetro illo spectaculo quod nostrum est (si tamen id nostrum dici potest, quod iurato repugnat Causidico) manus ipsa solemni sacramento pudoris mancipata tutamini, internoscitur, postulatur, renuntiatur, applauditur, celebratur amodo verecundiam insectata, in pudicitiam armata. Iam ergo isti aduersùs nos fremunt, & qua in potestate suam coarctemus libertatem compellunt edicere, aut enim ea, quæ superiori diximus capite, ruere necesse est, aut illam ipsorum vigere licentiam.

La Tournelle.

a Cōsensere iura peccatis, & cœpit licitum esse quod publicum est. *Cyprian. Ep. 2. ad Donatum.*

b Nec deest probri blandientis authoritas, vt auditu molliore pernicies hominibus obrepat. *Cyprian. vbi suprà.*

c Theatra stuprandis moribus orientia, statim destruebant. *Tertullian. in Apolog. cap. 6.*

Nec sanè tecum, quisquis es, palam congredi vereor, haud parùm adhuc, vt mihi videor, assecutus, quod à tua manu non separetur vox, idemque mihi iam occurras & scribens & dicens. Loqueris enim quia scripsisti; non vicaria, non aliena, non personata tibi lingua est, bonoque penitus nostro & opus authorem probat, & author opus commendat. O! præclarum opus, dignumque prorsus tuâ, ni fallor, si non vitâ, saltem industriâ; imò veriùs, vitâ simul & industriâ, in quo scilicet absoluendo quidquid in te erat animi, solertiæ, salis, elegantiæ, leporis, argutiæ miro ornatu congessisti. Quis magis scitè spurcitiam Rhetoricâ, Venerem facundiâ, mollitiem gratiâ concinnauit & fucauit? Biberunt suauiter ex eo præparato poculo quotquot inuenti sunt auditores, nec tamen illius fæx inanita est, adeò altè singulorum hæsit animis, & præparantis virtus & propinantis habitus. Cur suo sæculo tam

eleganti mistâ Floralia, Bacchanalia, Saturnalia caruerunt, qui vafro artificio per vocem, *d* quæ non sunt, peritus exhibere, ea quæ vera sunt sine pudore fieri impellit, & per lubrica non vacillante passu, sed plano, sed facili, sed suaui gradiri instituit. Apage stupidior priscæ ætatis lasciuia. Venerem contudisti potius quàm acuisti, dum scenicos in theatris voluisti proludere, mimosque circumstante populo inuerecunda tractare; nauseat *e* frequentius ad istum conspectum libinosus etiam animus; nonnihil hoc in actu spectantem offendit, etsi deperditum, minusque in Mimorum speculis quàm in Cynicorum scholis aperta valuit vmquam impudicitia; Censorium saltem virum non sustinuit; & ad vnius Catonis *f* præsentiam nedum expauit, sed & defecit. At nostri Ludionis ars multò solertior, Venerem inflammat ex auditu; irritat non præfocat; fucat non turpat; sustentat non satiat; quia exornat non reuelat, potentique adeò id efficit imprudentiâ, vt Censorium, non virum, sed locum teneat & repleat. Hoc igitur, vt ad te tamdem redeam, tuum est opus, tuum est facinus, quod impugno, quod condemno, dum pudentem Causidicum expostulo; & quæris à me, qua in potestate loquar? Audi patienter, iam tibi dico, POTESTAS MEA, TVA CONFVSIO. Accede, congredere, eminus, cominus, punctim, cæsim; infirmus sum, non potens; & tamen audacter tibi dico; POTESTAS MEA, TVA CONFVSIO. Hoc opus quod amodò retuli tuum est! Tuum est, inquam, & agnoscis, & fateris, nec erubescis! Iam ergo viuis vt loqueris. & ex isto opere tuo qui sis intus innotescis. An autem vmquam seriò cogitasti palmas, vel cypressos potius tibi ex eo obuenturas? Cypressos, dico; te enim moriture, te moribunde, te iam moriens quia viuens, ego viuens quia iam moriens & alloquor & contestor. Ergo tuo tumulo titulus orationis imponetur, vt saltem post fata, obscænitates suum authorem indicent, cui superstes inuerecundus & virulentus, quia scriptus, manebit sermo! O! sermo iudicium præoccupans non viri sed Dei. O! dextra in cælum leuata quondam, non tàm iurans quàm ministrans, nuncque damnationis sententiam ante obitum exarans. Digna sunt hæc foro nostro? Non sanè quæ propugnentur, sed quæ potiùs expungantur.

d In quo fiunt per imaginem quę non sunt, vt fiant sine pudore quę vera sunt. Spectant hęc adolescentes, quorum publica ætas quæ frænari ac regi debet ad vitia & peccata his imaginibus eruditur. *Lactant. in Epitom. diuin. institut. cap. 4.*

e Non ibi pudibundos mimos, nullam verecundiorem scenicã vidimus, cuncta obscænitatis implebãtur officia, &c. nõnullæ pudẽtiores auertebant faciem ab impuris moribus Scenicorũ, & artem flagitij videre erubescẽtes furtiuâ intentione discebant. *D. August. 2. de Ciuit. Dei, cap. 26.*

f Catonem, inquam, illum, quo sedente negatur populus permisisse sibi postulare Florales iocos nudarum meretricũ. *Sen. Ep. 97.*

CAPVT XLII.

AD SENATVM.

De abolendâ turpi causâ.

FRustrà tamen Hydra hæc impetitur; ni totius Herculis vires accedant, parumque est arborem hanc concuti mortiferam, ni ad radicem securis apponatur. Vos igitur iam alloquor, Iudices integerrimi, publicæ vindices honestatis, cœtus è sacrâ pariter ac ciuili coactus purpurâ, dilectique *a* titulos augusto prorsus referens animo, rubeus scilicet maiestate, niueus sanctitate. Nouum, vt opinor, videbitur hoc spectaculum, me pridem à vestris abductum sedibus, suggestum nunc repetere, & è dumetis penè lacerum, cancellos rursus ingredi vestræ celsitudinis gloriâ refulgentes; verùm, si quæ mihi defendenda est clientula, inspicitur, maior haud dubiè tenebit animos stupor, nec tam me temerè credent agentem quàm rectè. Quænam illa est, Iudices? DVBITABITVR DE VERITATE CVM DE NOMINE CONSTITERIT, supplicemque illam sisti, quo in loco iudicare solet, extra fidem videbitur. Attamen parùm est supplicem illam exhibere; proscissâ veste Virginem, non labiis sed plagis acceptas explicantem iniurias lachrymari dicendum est, quodque stupendum, nec defensam, nec auditam. Diu nomen sciscitato, PVBLICA HONESTAS, mihi respondit. Cur fœdata sic iaceret? Se videri dixit, non attendi. An nullus sibi vmquam succurrisset percontatus; Pauci, ait, voluerunt, nullus absoluit. Cúmque institissem, vbi-nam tam fœdè fuisset habita? fata est ingemiscens, HIS VVLNERATA *b* SVM PLAGIS IN DOMO EORVM QVI DILIGVNT ME. Fateor, amplissimi Iudices, causam & locum his ex verbis suspicatus, quid tot á retrò spatiis in vestræ Basilicæ penetralibus ageretur attendi; At illa auctis cum dolore viribus, non vidisti *c*, inquit, sub sole impietatem in throno Iustitiæ, & iniquitatem in sede Iudicij? Aut si fortè modestior tibi fuit oculus, non audisti, saltem, inter ipsa *d* peccari iura, & innocentiam, ne quidem illic vbi * defenditur reseruari? Stat multis ab annis inconcussum turpe Idolum spurcitiæ, non in quouis iudiciorum atrio, sed in illo ipso quod diui * Principis memoria sublimat, & in sæculo Christiano videre est adhuc, DESOLATIONEM ABOMINATIONIS STANTEM IN LOCO SANCTO. Denique sub ipsa pendula sacri pignoris grassatur effigie, ita vt quod tunc in Ecclesia *e* legitur olim prædictum, in Senatus ædibus videatur consummatum. O! Senatum, mox addidit intercisis penè verbulis. O! Senatum, nil turpe, nil fœdum, nil quod tantisper morum honestatem lædat molliori vm-

a Dilectus meus candidus & rubicundus. *Cant. 5. vers. 10.*

b His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me. *Zachar. cap. 13. vers. 6.*

c Vidi sub sole in loco Iudicij impietatē, & in loco iustitiæ iniquitatem. *Ecclesiast. 3. vers. 16.*

d Inter iura peccatur; innocentia nec illic vbi defenditur reseruatur. *Cyprian. Ep. 2. ad Donatum.*

e Dominicâ ipsâ Quinquagesimæ legitur in Missa Euangelium desumptum è *Luc. 18. vers. 31.* Ecce ascendi-

* *La Tournelle.*

* *La Chambre de S Louys.*

Mat. 24. vers. 16.

mus Ierosolymam & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur.

quam tolerantem iudicio, numquam-ne dissipabuntur *f* aræ risus? Et ad hæc largiori effuso lachrymarum imbre, inuitis tamen quibus premebatur singultibus, ô Cineres! exclamauit; ô Cineres Principis quondam *g* Senatu Virdunij! O Purpura! quæ totum illud idolum impar euertere, piâ saltē & indefessâ curâ defæcari satagis. Quorsùm tot conatus, laudabiles quidem, sed ferè inutiles? compressum aliquandiu monstrum hoc, posteà ferociùs euadit. Non clauâ, non dexterâ, sed toto Hercule opus est, vt Antheus iste suffocetur; de sinu matris auellendus est, sublatusque in aëra discerpendus.

Ignoscite paupertati meæ, benignissimi Iudices, noua hæc iudicij materia, nouum sensim à me genus extorquet orationis, nec tamen aut inuitus, aut imprudens illud teneo, impar quippe huiusce ponderi actionis, verba clientulæ vobis notæ, vobis caræ non tam refero, quám reddo, ne vel suscepti Patronatus fidei, vel quam vobis debeo venerationi deesse comperiar. Pergam igitur si annuitis, derelictæ Virginis illius sensa promere, quæ paululùm sedatior, leuatisque in cælum oculis; Sed quid, ait, timendum est Senatui, imò verò quid non optandum? Et metus quidem Herculis ne premeret animos Pygmæa calcanti imperia vel euertentis? Tumultuata est, fateor, Bazochiana sodalitas, dum trophæata *h* sua illa quercus necessitate cogente cessit in patibulum, excandensque aduersùs Curiæ potestatem, truncum suâ mole vix vlli parem solo-tenus resecuit; At quid illi sua profuit indignatio? Coacta est aliam reponere arborem, quæ cum multò sit abscissâ gracilior, dementiam præcipitati consilij suis etiamnum authoribus exprobrat. Quid non pariter optandum Senatui? hesternæ diei malitia hodiernæ gloriam præstruit, habetque nostra ætas á superiorum ignauiâ temporum virtutis materiam, quam si non exercuerit, relinquet posteris absoluendam. Esto etiam, ipsimet errauimus. At non infœlix omninò culpa est, quæ nobis è suâ ruinâ illustriorem protendit palmam, mendaque nostra si reparamus, gloria est; si aliis exantlanda relinquimus, ignauia. Denique, si pro debellati monstri immanitate Heroum crescit gloria, da tetro hoc vel infestius, vel atrocius, Senatusq; potentibrachio conuenientius. Tunc autem & hilarior, minusque vt videbatur de suis sollicita vulneribus, ecquid etiam, subiunxit, mihi non sperandum est? Agedum, mox addidit, me obfirmato vultu intuita, agedum, rusticane. Digna Patrono, digna Aduocato, digna Causidico vel Senatorio mea

f *Amos 7. vers. 9.* Et demolientur excelsa Idoli. *pro quo Septuaginta.* & dissipabuntur aræ risus.

g Imò nec agi ampliùs causas histrionicas Hilariorum die patiuntur nunc vt anteà Iudices. Abrogauit eum morem Dominus Virdunius hodie Senatus Princeps literatissimus. *Morn. ad l. vlt. Cod. ex quib. caus. infam.*

h *Il y a quelques années que deux domestiques de maisons de condition ayant esté condamnez par Arrest de la Cour à estre pendus en Greue; les Laquais s'assemblerent, aracherent la potence, & la traisnerēt dans la riuiere; les patiers qui estoient déja hors l'enclos du Palais, sur l'aduis que l'on eut de ce desordre, furent ramenez; on ferma les portes de la Cour & on attacha vn crampon de fer à la tige de l'arbre des Clercs appellé vulgairement le May, où l'on les pendit; Les Clercs tenans cela à affront couperent ce May rez terre, dont la tige estoit prodigieuse; mais ils furent contraints d'y en remettre vne autre qui est celle d'apresent, beaucoup moindre que celle qu'ils auoient couppée; cela fut notoire à tout Paris.*

defensio est. Clama igitur vel verbo vel scripto, & de obscæna illa actione loquere fortiter ad supremos etiam Iudices, EXINANITE, EXINANITE VSQVE AD FVNDAMENTVM IN EA. Denique fac vt qui me vident plagatam, attendant etiam & corde recogitent. Si verò vel nolueris vel neglexeris, te pœna teneat Aduocati, miseris præ viscerum duritiâ succurrere aspernantis.

Psalm. 136. vers. 10.

Hæc fuit, Iudices, afflictæ Virginis illius vltima locutio. Virginis, dico, & quidem pudicæ, hæc enim Sunamitidis *i* instar in vestro incorrupta dormiens gremio, longæuum corpus vestrum tetris frigescens affectibus ad honestiora quæque accendit & excitat. At dum longiùs prouehor, non attendo me iam demandato functum esse officio; tamdem enim dixi, Iudices, quantâ cæteroquin potui modestiâ, impletâque, ni fallor, & vestræ obseruantiâ Maiestatis, & publicæ mihi relictæ clientelâ honestatis.

i Inuenerunt Sunamitidē & adduxerunt eā ad Regem; erat autem puella pulchra nimis, dormiebatque cum Rege & ministrabat ei, Rex verò nō cognouit eam. 3. *Reg. cap. 1. vers. 3.*

CAPVT XLIII.

AD BASILICANOS IVVENES.

Laudabilia Maiorum sectari instituta.

VOs autem, quotquot estis Iuuenes in ipsis Basilicæ ministrantes ædibus, ne nostram, quæso, putatis aut fugisse sollicitudinem aut iracundiam excitasse. Ad vos etiam os patet nostrum, nec tamen deturpante vllo intonans verbo aut proscindens eloquio; cor enim nostrum dilatatum est, & licèt in vestris forsan angustiemini visceribus, in nostris tamen dilatamini. Capite nos, quæso. Neminem lædimus, neminem offendimus, neminem incusamus, ni se-ipsum prius & lædentem, & deturpantem, & reuelantem. Non igitur ad condemnationem vestram aut loquimur aut scribimus; nulla luci vestræ cum tenebris conuentio sit, & ponemus eam super candelabrum, vt non secus ac nostra omnibus qui in foro sunt luceat & fulgeat. Pulchrum sanè est, Iuuenes, disciplinæ vestræ institutum, nec vmquam Attica, Romana-ue vlla ciuitas aliud simile tulit. Persarum quidem aliqua regio iisdem penè legibus imbuta perhibetur, adeò vt in ipsa ferè pueritia iudicandi munus eminens summa cum prudentia splendesceret; dubitatur tamen de rei veritate, quantóque illustrior ea disciplina à Scriptore enarrata est, tantò suspectioris fidei ab aliis est habita populis. Nil autem apud vos fidem fallit vel dubiam reddit; veritas quippe ipsa-met & loquitur, & auditur, stuporque vniuersis vos obseruantibus è vestra nasceretur solertia, ni iam multis à temporibus familiarem se præbuisset per tot pericula quot iudicia. Quantus vestro cœtui decor obuenit extemporalia etiam Decreta ferre, in quibus ipsa-met Senatûs prudentia, nil nisi iustè actum, scitè dictum pronuntiat? FOELIX IVVENTVS, QVÆ SAPIENTVM IVDICIO, SAPIENS

2. Cor. cap. 6. vers. 11. Ibid. cap. 7. vers. 2.

COMPROBATVR. Quorsum ergo ô Iuuenes! tam insigne ministerium spurcioris lasciuię dedecorare figmentis, quem-ue fructum habebitis in illa scena obscęna, de qua erubescatis aliquando necesse est? Insurgat, volo, insurgat, inquam, è vestro Collegio, si tamen vllus adhuc in eo lasciuus est, qui iam labantis Idoli sui ruinæ vel timeat vel caueat, ab illoque expertam Periclis facinus de sua Aspasia nedum timentis, sed vix sperantis. Scindat, sicut ille, vestes; nudet pectus; sinum promat. Experturus an Iudices in suas partes aut flectat, aut trahat. O! pudor nostri sæculi; imò verò, iam enim meliora de vobis speranda sunt, imò verò, inquam, ô! decor nostri sæculi ablata è vestro laudabili instituto scena obscæna, turpis dictio, lasciua fictio. Contristaui vos forsitan? sed haud moueor; si enim Apostolica de vobis premit nos cura, quid metuam adiicere de vestra tristitia me gauisurum? vt filios quippe charissimos moneo; vt ad meliora contristatos exopto. *1. Cor. 4. vers. 14.*

CAPVT XLIV.

De probris quæ ad causam faciunt vel non; & quâ prudentiâ in aduersarios egerenda sint.

DE digressione autem hâc nostrâ, nil tibi, quisquis es Lector, fastidij obuenturum existimo, si scopum operis nostri piâ libraueris sententiâ; itaque ne vllâ quidem propter hanc factâ tibi excusatione, nunc ad id vnde discessimus, redeo; quid, quantùm & quâtenus aduersariis partibus Causidici debeant paucis delibaturus. Quâ quidem in re aduertendum est Aduocationis institutum non tantùm iniqua respuere patrocinia, sed quæcumque iusta sunt non-nisi iustè implere & absoluere. Non gladio, vt pluries diximus, sed iure decertat & æquitate; quapropter nec clientum respicit personam, nec aduersantium, ni quatenus summæ iustitiæ ratio deposcit. Debet quidem, vt vidimus, illis fidem; at his etiam moderationem & humanitatem. Apage igitur animosior litigantis in aduersantem suggestio, è venenati pectoris erumpens visceribus; nil nobis & tibi; clientum efferimus affectus, non induimus, imò & efferimus & induimus, sed non vltrà quàm honestatis & veritatis limites patiantur, inimici quippe amaritudinem implere non nouimus. Si igitur quæ nobis suggeruntur ab illis causam *a* foueant, ea libenter dicenda suscipimus; sin minus, nostrum non est caninâ facundiâ inuisos illis, sed fortè innocuos, lacerare & discerpere.

Quàm pulchra his de rebus fuit à Maioribus compacta institutio! Miror sanè, nec satis vmquam, prouidos vel de rebus minimis illorum animos, sagaci prorsus solertiâ, dicentis *b* in duello Aduocati præscripsisse formulam; vt scilicet, vicario dumtaxat ore proloqui nosceretur, at non alieno moueri corde, regi pectore. Homo est, & qui impetitur; cui ea debetur iustitia, vt non

* Opprobriis contra Curiales Regis nullomodo vtaris, nec contra partem nisi quatenùs necessario faciet ad querelam. *Styl. Parlam. Part. 1. cap. 1. versus finem.*

b *V. Guido. Pap. decis. 619. & Styl. Parlam. part. 1. cap. 16. §. 8. 11.*

a Plin. 7. Ep. vlt.

non gratis infametur & deturpetur.

Insuper, quoties causæ poscit vtilitas reuelari probra, cautè id exequi debet Patronus, schedam scilicèt dicendorum manu clientis obfirmatam *c* accipere, scriptâque quantum in se erit, non excedere lineâ. Nonnulli pergunt vlteriùs, voluntque sciscitetur Aduocatus à cliente, an testes habeat criminis quod obiiciendum suggerit; & quidem id rectè putarem factum, sed quoties dumtaxat crimen & scelus arguitur aut euulgatur. Qui secùs faxit, haud leuiter vt plurimùm impingit, extantque non infrequentia temerariorum exempla, quorum animaduersio, aliorum instructio esse debet.

Notandum denique, si cliens adsit, *d* dum peroratur, & in se recipiat quidquid effutitum est, innoxium extare Patronum; sed de his multa apud scriptores inuenire est.

c Non temerè quæ à litigatoribus vt plurimùm animosis ac ferocientibus litium vel orandarum vel conscribendarum gratiæ in commentario referri solent, edenda sunt omnia. 13 Kal. Maias. 1543. cùm Hardium Conquisitorem Vrbanum Montecellus repetundarum per Causidicum inter orandum insimulasset, & à Regio publicoque Actore postularetur vt inquirendi criminis ergo, Montecellus maleficij testes indicaret; respondit ipse rem semotis (quod aiunt) arbitris esse factam. Quapropter hoc-ce tantùm placuit, vt ex Causidici oratione maledicta expungerentur; Et ita forsan aut iuri ac legibus illusum est; aut (vt apibus naturale est) infixo aculeo euolatum; sed hoc in commune sancitum est.

Causidicus si in causæ commentariis criminosum aliquid compererit; litigatorem an criminis testes habeat interrogato.

Si habere dixerit; crimen audacter obiicito,

Sin minùs; temperato.

Qui secùs faxit, postulatione pro amplissimi ordinis arbitrio summouetor. *Lib. 5. placito. 1. num. 5.*

d Ioannes Baudouin, Maior de Beluaco & magister Draco Felize Consiliarius dom. Ducis Burgundiæ, defensores fuerunt condemnati erga Iaquetam Ioliete & eius maritum petitores in 400. libris Parisiensibus, ac in 200. erga Regium Procuratorem nomine emendę, eò quòd aduoauerunt Magistrum Ioannem Iuuenel eorum Aduocatum, qui in placitando dixit iniuriam prædictis Iaquette & eius viro, licèt essent defensores, & in pronuntiando fuit per Præsidentem notatum quòd hoc fuerat propter Aduocati culpam. Sic aliàs fuit pronuntiatum in simili contra quemdam Presbyterum qui aduoauerat Magistrum Ægidium Nigri pro eo placitantem, qui Presbyter me præsente ob hoc fecit emendam honorabilem in Curia, quod transiit sub dissimulatione. Sic fuit aliàs pronuntiatum contra Dom. Guillelmum Messeti tunc Balliuum sancti Angeli, pro quo placitauerat Magister Ioannes de Rumilly quem aduoauit dictus Dom. Guillelmus. *Ioan. Galli. quæst.* 240 Notandum etiam maximè ad Aduocatos qui auditore cliente, facta ex sese perorando adiiciunt, ex quibus de læsa existimatione agere; sunt enim extra aleam, si modo cliens in se recipiat quidquid dictum est. Vtimur tunc fictione personarum, & velut ore alieno loquimur ait Quintilia. 11. institut. cap. 1. *Mornac. ad l. 1. Cod de errore Aduocator. &c.*

CAPVT XLV.

Quid sibi inuicem perorantes debeant Causidici?

SI autem & clientibus & aduersariis præfata debeant Aduocati exhibere officia, quantò magis & sibi inuicem professionis titulo alligantur? Nec multo sermone opus est vt quanta qualiaque alter alteri præstare debeat & referre explicentur, siquidem

vnusquisque ex his quæ sibi vel fieri vel non fieri exoptat. facilè cognoscit quid & ipse aliis aut præstare, aut negare teneatur. Non tulit sanè Curia inultam Aduocati fraudem, qui falsâ quam dederat fide, sibi obstantem circumuenerat. Monstrum illud (fraus dico & circumuentio) è cancellis nostris penitùs abigendum est; si enim nec nobis inuicem seruetur fides, cui seruabitur? *a*

a Magister Ioannes Andrignel, & Magister Ioannes Papignot fuerũt condemnati in emenda malæ appellationis ac in expensis Commẽdatoris de Capitulo Ordinis Hierosolymitani, eo quia appellauerant à Sententia lata per Magistros Requestarum Palatij, qui dixerant quòd non obstante defectu capto per ipsos Aduocatum & Procuratorem, procederetur in causa inter Priorem de Loye petitorem in casu nouitatis eorum Magistrum, & dictum Commendatorem, eò quia promiserat dictus Papignot Procuratori dicti Commendatoris, quòd non procederet contra ipsum, nec defectum caperet in dicta causa, nisi priùs sibi notificaret, & videret, quod dixerat dicto Aduocato, cuius contrarium fecerat. *Ioan. Gall. quæst. 346.*

b Quod illum cui fuerit audientia data nõ impediant. *Styl. Parlam. part. 3. tit. 15. §. 2.*

c Faire quelque Remonstrance, pour empescher la plaidoirie.

Interfari vel non *b* provt liceat, è varietate casuum iudicatur. Et quidem qui prior loquitur, numquam ab obluctante interpellari solet, nequidem in iis quæ facti esse vulgò dicuntur, cùm liberam iste postmodum habeat facultatem quæcumque seu iuris seu facti sunt contrario sermone repellere. Excipimus, ni obluctans *c* suggerere aliquid habeat Senatui quod prohibeat actionem tunc incipi. At qui vltimo perorat loco, etsi in his quæ ad ius spectant nefas sit interrumpi, si tamen in facto negotij explicando, secus quàm se habuerint aliqua adducat, è perpetuo fori more potest, imò debet, à priore loquuto interpellari.

Probris inuicem contendere supplosionibus pedum strepere, vno eodemque simul omnes vociferari impetu, Aduocatorum dignitati non conuenit, quorum verba, motus, animos, summa semper debet moderari prudentia. Hinc & illud Regiis etiam Sanctionibus *d* vetitum est. Contraria igitur quæ adducere habent pro suis partibus argumenta, modesto debent proponere animo. Tritum est adagium; *e* licere etiam bonis super eadem quæstione nata, non eadem sentire, saluis tamen amicitiæ præcipuis & iuribus. Haud sanè probata est ab vllo cordato viro illiusce Aduocati procacia qui Marinij exemplum contra sibi obluctantem Collegam attulerat, illum nempè palàm redarguens, tectéque insimulans, quasi Principem Regij Sanguinis, (cui adstanti, interfanti & neganti, scripta nihilominus in schedis vt vera asseruerat) dicti mendacij conuitio onerasset. Longè procul dubio à nostra ingenuitate remoueri debent eiusmodi facinora, facinorumque & exempla & supplicia. Palmæ nobis apponuntur; patibula verò in Collegam dicentem Causidicum, nulla vmquam, quod sciam, ætas (ni proterua) ab alio, quàm ab isto memorari audiuit.

d Defendons aux Aduocats, &c. d'vser de contẽtions & exclamations les vns enuers les autres; & de parler plusieurs ensemble, & interrompre l'vn l'autre; de parler par diuerses fois & à becquets, ains leur enioignons plaider & requerir modestement selon leur estat; & s'escouter les vns les autres sans interruption. Ordon. du grand Conseil de l'an 1539. art. 40.

e Non eadem sentire bonos de rebus iisdem
Incolumi licuit semper amicitiâ.

CAPVT XLVI.

Quantùm incumbat Aduocatis venerari Magistratus.

VLtimum quod in Togato deposcitur officium ipsos spectat Magistratus, decet enim nos omnem implere iustitiam, eosque præcipuè venerari obseruantia apud quos dicimus & peroramus. Tremant populi, metuantque potestatem Dei ministram, non enim sine causa gladium habet & portat; nos autem non tremimus, non metuimus, sed honoramus & colimus, ipsa enim timori non est boni operis, & non infrequenter laudem ab illa nostrum accipit ministerium. Agimus ergo, vt diximus, confidenter apud Senatum, non seruiliter; at, etiam reuerenter non petulanter, quantúmque à famulatu nostrum distat officium, tantùm abest à fastu.

Roman. 13. vers. 1. & 4.

Quid verò si peruicax euadat aliquando Causidicus? Pro diuersitate seu culpæ seu delicti, *a* variæ sunt etiam grauiorum Iudicum animaduersiones; modò enim publicè increpant irreuerentem, vt pudore oneratus, aduertat se stare, Iudicem sedere. Modo interdicunt ab Aduocatione, & nonnumquam ad tempus, nonnumquam in perpetuum, vt discat, *qui resistit potestati, sibi damnationem acquirere*; de quibus singulis passim occurrunt exempla. *b* Mirum sanè quòd de Nulliaco legitur, nam & eius nimia animositas partibus quas tutabatur adeò nocuit, vt mulctatæ fuerint, additque Gallus id factum præcipuè, vt aliis cederet in exemplum.

a *Vid. Mornac. ad l. 1. Cod. de postulando.*

b Per Arrestum dictum fuit contro quosdam particulares Aurelianẽses, quòd emendarent de 60. lib. Parisiẽ. quòd Magister Ioan. de Nuily eorumdem Aduocatus instantissimè contra Arrestum per Dominum Arnoldum de Corbie prolatum petebat, &c. Et reuerà fuit dictus Aduocatus super emenda benè calidè & de propè captus, sed fuit, vt audiui, causa, vt cæteris cederet in exemplum, & quia satis animosus. *Ioann. Gall. quæst.* 132.

Notandum tamen est, inferiores Iudices nonnisi grauissimis de causis solere in suis sedibus animaduertere Causidicos; cùm vel leuior reprehensio, non leuiter famam oneret increpati.

CAPVT XLVII.

Veritatem apud Iudices non impugnandam neque negandam.

PRæter venerationem quæ Iudicibus exhibenda est, haud illis veritas est reticenda, id est, vt loquar explicatiùs, neque mendacio, neque alio dolo malo efficiendum est, quo veritas aut impugnetur aut cadat, siue iuris moueatur difficultas, siue facti.

Pulchrè Athenienses; in foro ne mentiuntor, quæ cùm de venali dumtaxat foro statuissent *a*, ad iudiciale extendi recto iure Orator postulauit, siquidem apud Græcos, æquè turpe habebatur mentiri ac peierare. *b* At duplex præcipuè mihi occurrit ratio, quâ moueamur necesse est ad veritatem explicandam Iudicibus, non impugnandam. Prima quidem nostrum omninò sublimat ministerium; cùm enim in succurrendo periclitantibus omninò versetur, diuinum *c* quadamtenùs euadit Pythagoræ iudicio, si tanto beneficio veritatis amor accedat. Altera autem, quòd si secus fecerimus, iniquissimi fiemus prædatores. Nobis enim ipsi Iudices dum sacramentum emisimus, indagandam, defendendam, custodiendam credidere veritatem, adeò vt extunc seruandæ illius acceperimus depositum. Si ergo mendacij assumpto spiritu inficiemur depositum, numquid *d* suppilatores alienæ etiam rei deprehendemur & conuincemur? Nec mitior *e* quantùm ad hoc extitit Curiæ quàm Prætorum sententia; falsa enim recitans instrumenta Aduocatus, sciens nimirùm & prudens, maloque, vt aiunt, dolo seu animo, è fori liminibus & officiis expulsus est Senatu apud Turones sedes habente; Sed pridem etiam ante hæc tempora prohibitus *f* est Ruillacus à Protopræside Grancheo allegare vmquam iura quæ Curia non admisisset, adeò sanctum putauit is cœtus quem ceu scuto veritas circumdat, à suis eliminare cancellis quod falsum aut esset aut redoleret.

a Nam honestum esse quî potest, Athenienses in rerum venalium foro, vbi, si qua fraus aut impostura intercesserit Respublica nihil detrimenti capit, legem de vitando mendacio esse latam; publicè autem, ciuitatem eam, quę priuatis ipsa id imperârit, eadem lege non vti. *Demosthen. oratio. aduers. Leptinem. paulò à princip.*

b Atque adeò nisi apud Græcos æquè turpe haberetur, mentiri & peierare. *Demosthen. Oration. de Classib. versus finem.*

c Veritatem amplecti, aliis benefacere, cum deorum operibus Pythagoras asserebat comparari posse. *Ælian. lib. 12. histor. cap. 59.*

d Quotquot igitur semet irretiunt mendaciorum funiculis, frustrantur & eludunt Dominum, fiuntque prædones Domini; dum id quod penes se depositum est, non reddunt incolume & sanum; spiritum enim acceperunt nulla contage mendacij decolorem; hunc si reddiderint Domino interstinctum variis mendaciorum notis, vtique videri possunt contaminasse depositum, quo fit vt dici debeant rei alienæ suppilatores. *S. Antioch. homil. 66. vers. finem. extat to. 1. Biblioth. Græc. Lat. Patrum.*

e Aut enim secundò per vitium malamque Aduocati fidem interdictio pronuntiata est, veluti si falsò forsan instrumenta quædam legerit, vt disertus de eo textus in l. 13. §. ordine ff. de falsis, qua ex causa interdictus est iamdudum Aduocatus à Senatu an. 1590. apud Cæsarodunum Turonum. *Mornac ad l. 1. Cod. de postulan.*

f Primò fuit facta prohibitio Magistro Clementi de Ruillac Aduocato Parlamenti per Dominum Stephanum de la Grange tunc Præsidentem in Paalamento; allegandi quod Dominus d'Argentan poni non debebat in quæstionibus, eò quia Baro, iuxt. l. milites. & l. diuo Marco, Cod. de quæstion. quòd numquam allegaret quod miles vel Baro poni non debebat in quæstionibus; quia Comes poneretur casu exigente, nec Curia hoc iure vtebatur, cùm omnes ponerentur in quæstionibus indistinctè casu exigente. *Ioan. Gall. quæstio. 46.*

In omnibus ergo actionibus veritas conseruetur. Debetur id religioni iudicantis, cui & promissum est, & sanè quid prosunt mendacia *g* quorum ea natura est vt cohærere non possint, saltem vix stare? Valet autem vi suâ *h* veritas, quæ ceu *i* grando spem menda-

g Hæc est mendaciorum natura, vt cohærere non possint, *Lactant. 5. institutio cap. 3.*

h Valet enim vi suâ veritas. *Idem ibi. cap. 13. in principio.*

i Subuertat grando spem mendacij, & protectionem aquæ inundabunt, & delebitur fœdus vestrum cum morte. *Isa. 28. vers. 17. 18.*

cij solet subuertere, fœdusque cum morte initum nedum dissoluere, sed & delere.

CAPVT XLVIII.

Iudices inaudito Causidico pronuntiare nefas est.

AT illud quo erga Magistratus Causidicina tenetur officium, quodammodò reciprocatur; nec grauatur, seu Purpura, seu quæuis alia potestas, sibi quamdam erga nos à Maioribus impositam agnoscere pietatem. Quorsum enim nobis loquelæ demandatum officium, si à sedentibus Iudicibus non benignæ præberentur aures, sed negarentur? Inauditum est, ni piaculum ferè accidat, inaudito partes damnari Causidico, adeò-vt è trito adagio ipsius religio Iudicis à loquente Aduocato imbui diuulgetur; Audiant ergo nos qui sedent nec grauentur, ex ore siquidem nostro non tam verba quàm gemitus, lamenta, suspiria pauperum, orphanorum, oppressorum, periclitantium, aliorumque id genus ius sibi fieri deposcentium exeunt & prodeunt, quæ & in conspectu Numinis admittuntur.

Aliquando tamen in ijs putà quæ meri facti sunt, neuter è Causidicis auditur ex integro, veritate scilicet ab ipso fisci Patrono Iudicibus explicatâ. Id autem etsi nonnumquam in ciuilibus obseruetur negotiis, frequentiùs tamen in Criminali factitatur Prætorio, eò quòd arcana litis instrumenta penès solos fisci Patronos reponantur. Verùm, si intus & in visceribus penetretur hæc institutio, nequaquam comperientur Iudices contra id quod diximus vel ire, vel peccare, siquidem sat & quantum deposcit negotium, audiuntur Aduocati, dum cunctis adstantibus, de causæ merito veritateque Iudices edocentur. Accedit quòd si quidquam ampliùs ipsi Aduocati promendum habeant, modò faciat ad quæstionem, nequaquam prohibentur illud afferre, qua in re tum Magistratus sedentis, tum Patroni Regij referentis tota versatur religio, solertia, prudentia.

Non nostrum est autem vllam ex istis edocere potestatem; non eo temeritatis euolamus, & à nostro semper fastus aberit libello; si tamen suggerere aliquid licet quod ab ipsismet petitum sit, attendant, quæso, memorandum quod ætas nostra tulit exemplum de necessitate audiendi quandoque Causidici. Blignius quidam nomine, ob cædem licèt inuoluntariam laqueo addictus, Curiam appellârat, cuius demùm humaniori iudicio ad Triremes dumtaxat fuerat amandatus. Cùm igitur catenis [a] aliquamdiu fuisset oneratus in eo ergastulo quod à diui Bernardi porta nomen sortitur, amicorum ope & auxilio vincla exuit, diplomaque Regium impetrat, cuius authoritate fultus, litem denuò cognosci deprecatur. Causâ è catalogo euocatâ, Bricquetius, de quo iam suprà, fisci Patronus, integri vir animi altoque saucius dolore quòd

Lettres de reuision du procez.

[a] *Cette action de Maistre Iacques Cholet éclata fort au Palais, & y fut en admiration. De*

contra leges, non è vinculis vt par erat, damnatus Curiæ sententiâ, instauratiuum agitaret Iudicium, protinus, vt moris est, surgit, grauitateque eleuati quondam benigniori iudicio facinoris explicatâ, Blignium diplomatis beneficio depelli expostulat, cui si summum ius ab initio factum fuisset, inter mortuos liber, non inter viuos pœnæ seruus eloqueretur. Fine dicendi facto, incipit Protopræses rogare sententias. Blignio aderat Choletus, senior quidem inter Causidicos, attamen viuido, strenuóque prorsus pectore, qui nouâ orationis sumptâ formulâ, enixâ vehementique voce supplicat, sibi perscribi testimonium, quòd inauditus causâ caderet. Illum Præses intuitus, duriori pulsauit verbo, quo nequidem attento institit Choletus nequaquam remissis animis, imò obfirmatis. Itur nihilominus è consilio ad consilium, omnibus qui foro aderant, summa in expectatione constitutis quónam Curiæ vergeret sententia; tandémque ad solium Præses reuersus, Choletum iubet dicere. Tùm strenuè omnino demandatis functus partibus, causam vetulus ille, sed probus omninò intercessor, tantâ egit authoritate & solertiâ, vt Senatus audito altero Causidico, amplius de negotio deliberare voluerit; quodque magis, imò summè commendauit Choleti constantiam, fausto demùm iudicio, Blignius innocens declaratus est.

Habent, ni fallor, in eo exemplo quid cordati Iudices, quid prudentes Patroni fisci, quid constantes Aduocati intueantur & imitentur.

Bligny surnommé le Ieune auoit esté condamné à estre pendu par Sentence du Iuge du Bourg la Reyne, pour meurtre inuolontaire & nō premedité, mais par rencontre & prouoqué, disoit-on, d'vn nōmé Huot Estallier Boucher. Appel par luy; & par Arrest, au rapport de Monsieur Crespin, la Sentence infirmée, luy condamné seulemēt aux Galeres. Peu apres à la faueur de ses amis il fut retiré de la Chaisne, & obtint Lettres de reuision de son procez qu'il fit signifier à la vefue Huot; on voit bien qu'il y auoit manque en la procedure, ce qui donna lieu à Monsieur l'Aduocat General Briquet de se leuer si tost la cause appellée & de conclure; Mais Maistre Iacques Cholet voyant que l'on alloit aux voix sans qu'il eust plaidé, supplia la Cour luy donner acte de ce qu'il n'auoit pas esté ouy; il luy fut donc dit de plaider; la cause fut appointée, l'instance en suitte distribuée à Monsieur Laisné, au rapport duquel Arrest interuint qui receut de Bligny en ses faits iustificatifs & du depuis fut absous; comme i'auois fort ouy parler de cette action, m'en estant enquis à diuerses personnes; enfin i'en appris toutes les circonstances de Maistre Iacques Abraham; en la maison paternelle duquel la veufue dudit Huet auoit autrefois longtemps seruy domestiquement.

CAPVT XLIX.

Magistratus abstinere debere à durioribus in inculpatos Aduocatos verbis.

PRosequimur animo penitus ingenuo, perque lubrica sat vestigia, tuto semper gradu & certo, eam scilicet indesinenter spectantes Purpuram, cuius fulgor in tenebrosis etiam recessibus amica nostris lucerna pedibus est; ipsius enim in nos ea est benignitas, vt è suo dilapsos agnoscens gremio, tanquam filios habeat. nec nisi inuitas grauissimisque de causis in nos desæuiat. Pectus *a* igitur strenuum, & vt nonnulli aiunt, quodcumque ingenuum est, decorumque spirans, inesse debet Causidico, cuius haud rarum à

a Hoc enim *pour les Remonstrances des Iu-*

Mornacio *b* exemplum porrigitur, illius scilicet, eleuantis extempore, sibi à Regio Causidico, licèt non inuidâ forsan animâ, inustum cōcinnationis probrum. At magnanimum prorsus gestare debet sub Purpura, cuius strenuum semper & humanum Causidicina sinum experta est, ita vt, si quid humanitùs, vt aiunt, cuiquam è suo cœtu aduersus nos excederit, sedulâ prorsus benignitate vel compensari, vel emendari, si ita dicere fas est, curauerit.

Thuanum eâ de re obseruemus, nedum purpurâ fulgentem, sed & micantem infulâ; huic in Molinæum *c*, nostri fori lumen emicans, quemque Gallici iuris Papinianum, Thesaurum volo, nullus temerè appellet; Huic, inquam, in Molinæum se Præside perorantem cùm duriora præter spem excidissent verba, Portam è cœtu Aduocationis delegatum, miti prorsus virum animo, tunc tamen ore ingenuo de læso Collega conquerentem patienter sustinuit; postridieque contestatus est, quod in Molinæum dixisset, id sibi calore excidisse. O vir candore animi supremam quam adeptus erat superans potestatem!

ges, quia si seueriores sint & acerbiores, palamque omnibus fiant, pudorem onerant. Proinde eò nū quam transeunt benè cordati & graues Iudices, nisi quasi inuiti ex nimia scilicet eius cui interminantur, vel pertinacia, vel peruicacia. *Mornac. ad l. 20. ff. de his qui notāt infam.*

b Viderunt plures mecum an. 1587. in publicis causarum actionibus quantâ animi ægritudine disertissimus fori Patronus tulerit, imò & defensionem sui publicam confestim egerit, quòd cum concinnasse causam; seu vt loquimur, palliasse, dixisset palàm & publicè, citra tamen lædendi votum, perspicacissimus numquamque satis laudatus Orator Regius qui imparem commissi alterius Patroni videbat facundiam. *Idem. ibid.*

c Semel accidit, vt (Molinæus) à Christophoro Thuano Præside obiurgaretur, quod cùm accidisset pręter spem, Collegarum seniores Aduocati concursu ad eum facto quòd se quoque violatos existimarent, per Franciscum Portam antiquissimum dici ei iusserunt; Cùm hodie Molinęum Collegam verbo lęseris, quid abs te factum putas? lęsisti enim hominem doctiorem quàm vnquam eris. Postridieque Christophorus quem facti iam pœnitebat, dixit, quòd in Molinęum effudisset, id calore sibi excidisse; tantâ ille & summus & dignissimus Pręses humanitate fuit; & erga illos celebres Patronos, inter quos etiam ipse floruerat, reuerentiâ. *Papyr. Masson. Elog. viror. Illustr. in Molinæo.*

d Quid de alterius benignitate Præsidis & nostra & ventura non referet ætas, qui contabescentem audiens Causidicum, à sua, præter animum tamen, acerbiori correptum linguâ, & decumbentem inuisit, & opem promisit, & animos fecit, penéque iam in suo morientem ortu, vitæ reddidit hominem, foro seruauit Heroem? Attamen nihil, vt puto, nostræ ætatis claritati quicquam potest accedere, quæ potenter fulsit dum læsi dicerentur Causidici, alter quidem duriore verbo, alter autem etiam pugno. Quas tunc non agnouimus in primæ infulæ præcordiis pietatis actiones? Et sanè in vltimo, toga Purpuræ coniuncta est, coeuntibusque in angularem infulam vtriusque suffragiis, verbum potens eructatum mari, ventisque suauiter imperauit, & facta est animorum tranquillitas magna. Edat qui volet arcana illius-ce negotij; neminem suggillamus, neminem notamus, suum Purpuræ, suum Togæ & seruamus decorem & reddimus honorem.

d Audiebam ab antiquioribus Patronis cùm in forum veni, decubuisse olim per longos mēses ex tabe & morbo Aduocatum cui tunc surgebant in foro mœnia, & qui multi posteà nominis, quod acerbiùs paulò habitus in dicendo fuisset à clarissimo tunc Senatus Principe; secessit enim continuò febri asperâ correptus, diutissiméque contabuit. Contigit verò vt peteret tandem Præses ille maximus, quid ipse, & cur ampliùs causas non ageret. Tunc bono certè omine, narratur repentini casus iniquitas, quo audito, depositâ ille Maiestate imperij forensis velutique summissis fascibus, ne diceretur quasi interfecisse nascentem, venit domum decumbentis, blandè al-

locutus est, animos fecit, opem promisit. Quid plura? æger ille animus, qui quasi vltimum vale foro & causis dixerat, mox conualuit, verbisque impar, ac præsente gaudio (quod de inopino senis sui miraculo Apuleius lib. 10. Methamorphos.) rediit sensim ad palmas forenses, in quibus posteà diu multaque cum laude consenuit. Ingratum illud fore non puto vel superciliosis, facit enim ad duarum istarum constitutionum illustrationem maximè, tantique etiam Iudicis humanitatem commendat, ingentis verò animi Patronum, qui primâ suâ iuuentâ ebulliens ac æstuans, martiaque pugnando vulnera passus, sanatus est κατὰ θεῖαν τινὰ τύχην ἢ ἀφορμὴν ab eo ipso qui vulnus inflixerat. *Mornac. ad l. 17. Cod. ex quib. caus. infam.*

CAPVT L.

Conclusio Actionis.

AVdiant tamen Causidici & lætentur; audiant quoque inferiores Iudices & imitentur. Lætentur Causidici qui tales sortiti sunt, an Patres, incertum, an Iudices; sed veriùs, ni fallor, Iudices simul & Patres; Iudices potestate, Patres, benignitate. Imitentur etiam infimæ potestates supremarum humanitatem, & quanta decet eas patientia, Causidicos audiant, nec vmquam duriori verbo, pulsent aut lædant; dedit hac de re Romani fori claritas instituta & verba; at nostrum augustius insignia adiecit exempla & facta. Verùm dum in hæc ferimur, non aduertimus iam finem dicendi nobis instare, Causidico nempè ad vltima sui perducto officij; transilit enim fori septum, denudatoque capite, quænam in verba Senatum iudicare supplicet, enuntiat; pauca igitur quæ supersunt festinemus absoluere, quorum primum, ad ipsum transiliendi septa morem pertinet.

Perantiquus sanè apud nos ritus ille est; sed quantumcumque laborauerim neminem adhuc reperi, qui arcanam primæuamque huius-ce moris afferre mihi potuerit rationem; In solis quippe matutinis obseruatur sessionibus, primâque dumtaxat, causarum actione, tantâ cæteroquin, circumspectione adhibitâ, vt *a* periclitandæ prouocationis aleam detrectantes, nonnulla garrire potiùs quàm loqui affectent, cancellosque remorentur transcendere. Cogor igitur cum Iurisconsulto effari, non omnium quæ á Maioribus constituta sunt efferri posse rationem, nec tamen ea minùs religiosè obseruanda. *L. non omniũ ff. de legib.*

a Vltro citroque trãscendere Causidici septum Auditorij solent dum causas agũt qui & cancelli dici possunt, &c. Qui autem detrectantes periclitandæ prouocationis aleam, dicere tamen aliquid tentant quod in rem esse videatur eius qui prouocauit, cancellos non solent transcendere. *Budæus in forens. pag. 167. in princip. Edit. 1548.*

Alterum, in ipsius prolatione Iudicij sese offert; quanta enim tunc Aduocatis humilitas necessaria est, seu vincant seu cadant? Numerantur Sententiæ, non ponderantur, & quandoque, si, qui absunt Iudices, interessent; qui causâ cadit Patronus, vinceret, qui vincit, caderet. Intereà palàm, publicitùs, mediâ in luce cadendum est, postquàm millies forsan, nedum ab agente, sed & à Con-

consultis Prudentibus ius litigantis indubitatum renuntiatum est & euulgatum; summâ sanè humilitate opus est, ne deficiat corde qui cadit, ne efferatur animo qui vincit.

Vltimum ipsam sequitur actionem. Seu vincas, seu cadas, ô Causidice, victum non deprimas, victori non succenseas; Absint è cordibus ingenuis simultates, inuidiæ, contemptus & odia. Obseruaui dum Tuneti Barbaros inter degerem, Athletarum morem omninò celebrandum. Pugnant strenuè, nullaque in vllo collusio detegitur, at absoluto certamine, victi & victores sese inuicem osculantur, neutro de successu vel optato superbiente, vel aduerso deficiente. Quid-ni & nos similiter in palæstra fecerimus? *b* Mihi heri & tibi hodie *Ecclesiast. 38. vers. 23.*
1. Cor. 10. vers. 12. Heri *b* tibi, hodie mihi, & qui stare putat, videat ne cadat.

CAPVT LI.

Ad inferiorum Sedium Causidicos.

SEd iam, ni fallor, tempus est, vel infimarum Sedium nos alloqui Causidicos, ne in explicandis fori Senatorij officiis immorati diutius, cæterarum Sedium Aduocatos videamur aspernari. Ne, quæso, mihi quotquot estis, tantam faciatis iniuriam, Collegæ nedum sumus, sed & æquales, quantumcumque sit sedes infima cui ministratis, adeóque verum id comprobatur, vt nec ruralem excipiam, nec vlmeam; sum etenim tanquam vnus ex vobis, haud modicum adhuc reputans si vel vnus, quàm plurimum, si vel minimus. Quæ igitur vestra, imò verius nostra præcipua portio æstimabitur? impetitæ etiam per campos defensio æquitatis. Nec credamus Senatorios deturpari natales per impletum etiam sub vlmo iustum patrocinium; deturpantur à præuaricante, deturpantur ab infido; deturpantur ab obscæno, deturpantur ab ignaro. His si cares vitiis, Senatorium te probat Causidicum, digna vel Senatorio foro probata virtus. Abest, fateor, ab obscuris nostris actionibus splendor ille Maiestatis qui Senatorias sublimat functiones, veruntamen inter vepres & dumeta dapes leguntur, Regias etiam oneraturæ mensas, facturæ delicias. Strenuitas sit in nobis, sit fides, sit veritas. Nota sit nostra modestia nedum adstantibus, sed & Iudicibus; potestatem veneremur, etsi ruralem, MAXIMVS EST IVDEX QVICVMQVE CAVSAS AVDIT; sacrâ quippe fungitur eius vice qui diuinâ. Durior est, fateor, nonnunquam in ista re nostra conditio, cùm non rarò videre sit indoctiores sedere quàm dicere; nosterque interim pudor acriùs oneretur. Pulsamur etiam à rabulis, à formularijs, ab ignaris gnaros se dicentibus. Macte tamen animo, digna est defensio æquitatis quæ vel durioribus legibus impleatur; & quamuis perperam Iudex pronuntiat, non tamen pauper indefensâ iacet causâ, cui cùm præstiterimus quod nostrum est, munere defuncti sumus. In summa eum sæpiùs cogitemus Aduocatum, cui non rarò in terris obscura cessit actio, nec tamen ea vel infirmior, vel depressior.

CAPVT LII.

Quanti Causidicus suum debeat æstimare officium.

QVotquot ergo sumus aut in supremis aut in infimis Sedibus militantes, nostrum, quæso, peragamus negotium. Iam patet Causidicinæ claritas suarum exornata virtutum insignibus, nec dumtaxat idealium, sed quas Maiorum prouida mens sapienti delegit consilio. Nouatoris in me suspicio cadere non potest, vel fucatoris, vel deceptoris; felix meo iudicio, si explicatis tot materiis quarum nonnullæ in lubrico sitæ erant, dicere valuerim cum Apostolo, *Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumuenimus.* Deturpatur vulgò nostrum ministerium à procacibus conuitiatorum linguis, sed nil ad nos probra hæc, quæ tamen non aliâ vnquam meliore contundentur linguâ, quàm vitâ nostrâ. Agit Verbum, gemit Spiritus, & vocalis fit Virginis vterus, vt splendidior Aduocationis fulgeat ministratio; si igitur quiescens Verbum amplexati sumus; si gementem Spiritum imitati; in sinum amodò Virginis euolemus, quæ Causidicum enixa nostrum, nostra quoque Aduocata facta est; nec vllus posthæc suam è nobis sortem non amet, vocationem non æstimet; cælestis enim vocationis erimus participes, si Aduocationis.

2. Cor. 7. vers. 3.

E Tuguriolo nostro Monsmirellensi 5. Iulij 1664.

NIL NISI AMORE.



DE ADVOCATO
LIBER QVARTVS.

CAPVT PRIMVM.

Varia Iurisconsultorum nomina.



PENSI nostri pondere magna ex parte imminuto, ad id quod superest exantlandum libenter humeros supponimus, nequaquam deterriti sublimitate operis, quin potius & accensi & refecti. Cùm autem iam Tyronibus & Causidicis pro nostra tenuitate absolutis, de Consultis seu Prudentibus nobis disserendum sit, nemo non videt permixtam, ceu primi, fore huius-ce Libelli materiam, éque priscis simul & vltimis, nostris & exteris, tùm rebus, tùm ætatibus eruendam.

Et à nomine quidem incipimus, quod quàm varium fuerit & multiplex, augusta ipsorum monumenta dum produnt, euehunt. CONDITORES enim LEGVM ET IVRIVM antiquior *a* Romanorum ætas non erubuit eos & agnoscere, & appellare; media *b*, haudquaquam inuidiosum hoc putauit elogium, recentiorque *c* iustum adeò credidit; vt licèt Imperialis *d* authoritas, soli sibi condendi iura promulgauerit facultatem, condidisse tamen olim Prudentes nec tacuerit nec inuiderit. Quid ad hæc delicato quin & moroso illi animo quibus displicet *e* vel legere, vel audire Pruden-

a Me minoris facio prę illo qui omnium Legum atque Iurium fictor, Cõditor cluet. *Plaut. in Epidico.* Cluet autem, id est, audit, nominatur, dicitur. *Lambi. ibid.*

b Et ne fortè putes noua me tibi condere Iura. *Ouid. lib. 2. de remed. Amoris.*

c Veteris Iuris voluerunt conditores. *l. 23. in fine. Cod. de Procurator.* Omnes penè Iuris antiqui Conditores admiserunt. *l. 25. Cod. de Nupt.* Veteris Iuris Conditores, &c. Nihil hac lege derogante veteris Iuris Conditoribus, quia hoc & eis Maiestas Imperialis permisit. *l. vlt. Cod. de Legibus.*

d *l. vlt. Cod. de Legib.*

e Legitur in §. 8. Institutio. de Iur. nat. Responsa Prudentium, &c. quibus permissum erat Iura

condere, verùm sunt nonnulli qui legere malint de Iure respondere; de quibus ideò Cuiacius *7. Obseru. 25.* quam Scriptorum *Iura condere*, nimis delicato fastidio respuunt quidam.

tibus olim Iura condere licuisse? Historiarum *f* Scriptor suspectæ, si velint, sit dictionis; ipsi-met periti Iuris sibi nimium adscripserint & dederint; At quid tale in Imperatores cadit, inque ipsum Iustinianum, qui cùm promulgasset *g* solius esse Principis Iura condere, mox tamen alium Iuris antiqui Conditorem & appellat, & sublimat? Desine igitur, quisquis es, suggillator, titulis inuidere nostris & adlatrare; non illos palliato fastu, non incomptâ barbâ, non austero supercilio vsurpauimus; nec æquum est post tot præscriptionis sæcula, vel à liuore conradi, vel ab errore conuelli quos ingenua virtus, non exegit, sed excepit.

Alter è præfato sequitur titulus, AVTHORES *h* IVRIS; è præfato, inquam, non enim ita vocati sunt quasi Doctores, quasi Magistri, quasi Professores dumtaxat & Scriptores illius scientiæ quæ Ius attingeret; sed quia Ius ipsum definire, statuere, & demùm condere nedum nossent, sed & possent; tantâ cæteroquin authoritate, vt nec ab ipsorum *i* recedere responsis liceret Iudicibus, eorumque vel opinio, sententiæ vim haberet. Da, quæso, quos rectiùs, AVTHORES appellauerit Antiquitas, ab ipsis siquidem ius petitum, datum, latum, cusum totus orbis contestatur.

f Assessorem habuit vel scrinij Magistrum Vlpianum Iuris Cōditorem. *Eutrop. lib. 8. fine.*

g *Iustinianus in l. vlt. Co. de Legib. quæ lata est anno 529.* Constituit solius esse Imperatoris ius condere; anno verò 530. tulit legem 1. Cod. de com ser. manu. in qua ait; Sex. Ælius Iuris antiqui Conditor definiuit, &c.

h Vide Iurisconsultos fuisse appellatos Authores Iuris. in ll. 39. ff. de actio. emp. 32. in prin. ff. de vsuris. 17. ff. de Iure Patronat. 6. in fine Co. de donat. inter vir. & vx. 3. Co. de repud. 1. Co. quibus ad libert. proclama. 11. Co. de iniuriis. Seruius Sulpitius Iuris ciuilis author. *Aul. Gell. lib. 2. cap. 10. in princip.* Idque ait plerosque Iuris veteris Authores posse fieri scripsisse *Idem. lib. 5. cap. 19.* Adhuc Domitium Vlpianum, quem Heliogabalus Prætorianis præfecerat, eodem honore retinens, Pauloque inter exordia patriæ reddito, Iuris authoribus, quantus erga optimos atque æqui studio esset, edocuit. *Sext. Aurel. Victor. de Cæsaribus, in Alexandro.*

i Quorum omnium Sententiæ & opiniones eam authoritatem tenebant, vt Iudici recedere à responso eorum non liceret. *§. 8. Institut. de Iur. natur.*

Sed & inde SAPIENTES *l* dictos nemo potest ambigere, cùm haud obscura *m* sapientiæ videretur illa portio, quæ Iustitiam colere, æquum ab iniquo discernere, homines & metu pœnarum & præmiorum exhortatione bonos efficere, indefessâ, sed infucatâ satageret operâ. Et ideò sacratissima *n* etiam vocata est illa Sapientia, quæ licet ciuilis dumtaxat & politica, eò tamen sanctior existere visa est, quò sublimius esset obiectum circa quod versaretur, res scilicet, nedum humanæ *o* sed & diuinæ, quatenus earum notitia ad suum cuique tribuendum faceret.

l Libet argumēta conquirere in eo quod sapientioribus deliberatum est. *Tacit. Annal. 14. in Oratione Cassi de Sillaniani Edicti authoritate.*

m Iustitiā namque colimus, & boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes; bonos non solùm metu pœnarum, verùm etiam præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes, veram, nisi fallor, Philosophiam non simulatam affectantes. *l. 1. §. 1. ff. de Iustitia & Iur.*

n Est quidem res sanctissima ciuilis sapientia. *l. 1. §. 5. ff. de var. & extraord.*

o Iurisprudentia est diuinarum atque humanarum rerum notitia; iusti atque iniusti scientia. *l. 10. §. 2 ff. de Iustitia & Iur.*

Frequentiùs tamen PRVDENTES *p* appellati reperiuntur; seu quod Sapientum nomen nonnisi seriùs apud Romanos in vsu fuerit, vixque *q* ante Lælij tempora; seu quod ambitiosum fugerint ostentationis titulum; seu quod illorum professio non tam in notione *r* quàm in directione splendesceret; seu denique, quod maximè in præuidendo, prouidendo, & cauendo Consultoribus versarentur; futura, vt plurimum negotiorum euenta ab ipsis præsagientes initiis, & ideò commune fuit illis & vatibus seu oraculis, adiri, consuli, responsa dare, iussa fundere.

p Ius autem ciuile est quod ex legibus, plebiscitis, &c. authoritate Prudentium venit. *l. 7. in princip. ff. de Iust. & Iur.* Vt interpretatio desideraret Prudentium authoritatẽ, &c. Et hoc ius quod sine scripto venit compositum à Prudentibus. *l. 2. §. 5. ff. de orig. Iur.* Interpretatio Prudentium. *l. 5. ff. de transactio.* Iure statuliberi Prudentes munierunt. *l. 36. ff. de statulib.* Post varias Prudentium opiniones. *l. 4. Cod. de collat.* Sententiis prudentium virorum, &c. *l. 6. Co. de testam. milit.*

q Sapientiæ studium vetus id quidem in nostris, sed tamen ante Lælij ætatem & Scipionis non reperio quos appellare possim nominatim, &c. *Cicero lib. 4. Tuscula. in princip.* Ante ætatem Lælij & Scipionis nulli apud Romanos nominantur Sapientes. *Genebrard. Cronolog. lib. 2. an. ante Christ. 159.*

r *Vid. inf. caput 22.*

Plura alia passim reperire est, nomina incertum an præconia; qualia hæc, Consulti, Iurisprudentes, Iurisperiti, Iurisconsulti, de quibus nil nos; cùm vbique de his sat occurrat ipsa-met Iuris perlegenti volumina.

CAPVT II.

Iurisprudentiam Aduocatione antiquiorem.

SI autem secundùm Tullium, nullus omninò dicere benè *a* potest, nisi qui prudenter intelligit, adeò vt qui eloquentiæ veræ dat operam, det & prudentiæ necesse sit, in confesso esse deber Iuris scientiam Causidicinâ anteriorem fuisse, cùm, vt sæpè dictum est, ratione solâ, lege, æquitate, Iure, suas promoueat Aduocatio partes, nilque vmquam suscipiat quod non priùs iustum agnouerit & æquum. Nec nobis quis obtendat ipsammet, de qua suprà, Aduocationis originem *b* è sinu petitam verbi, in quo nil prius, nil posterius plenitudo sapientiæ videtur pati; Esto enim, deficiant, in quo tempus non est, particulæ temporis, exulentque & momenta & instantia, vbi nil nisi æternum est; attamen si saluâ coæternitate prioritas admittitur originis inter generantem & genitum; processionis inter spirantes & spiratum; cur non mentis, cur non conceptus, cur non ordinis suscipietur illa dispositio, quâ verbum prius nouerit succurrendi vias, quàm inierit? Sed, ni fallor, haudquicquam fictione mentis opus est, vbi veritas ex se prodit. Æterna sanè fuit in verbo Iuris illius notitia, quo seruatâ iustitiâ, misericordia præberetur, patrociniumque lapsis impenderetur subleuandis; at nonnisi in tempore misericordia loquuta est, inuento dumtaxat cui succurreret & subueniret egeno. Sic ergo suus

a Dicere benè nemo potest, nisi qui prudenter intelligit, quare qui eloquentiæ veræ dat operã, dat prudentiæ. *Cicero in Bruto. num. 28.*

b *Vid. sup. lib. 1. cap. 2.*

Iurisprudentiæ, manet prioritatis honos etiam in Verbo, in quo postmodum carnem induto non minus potenter quàm Aduocatio fulsit & eminuit, quod cuique liceat, ex ipsius manifesto oraculis. Sed & insuper, stupentes intuere inimicos, auditis eius de Iure connubij *c* & Cæsaris *d* supra quam sperauerant responsis & iussis; Intuere & Apostolos de norma orationis tantùm consulentes *e* Iurisperitum; dumque vel à dextris Dei stantem Aduocatum conspexeris, postulationis munus intellige & rationis authoritate munitum & peritia Iuris instructum.

c Accesserunt ad eum Pharisæi tentantes eum, & dicentes; Si licet homini dimittere vxorem suam quacumque ex causa, &c. *Matth. 19. vers. 3. Marc. 10. vers. 2.* Vt quasi cornuto teneant illum syllogismo; quodcumque responderit, captioni pateat, &c. Igitur Dominus sic responsionem temperat, vt decipulam eorum transeat, Scripturam sanctam adducens in testimonium, & naturalem legem. *Hieronym. Matth. 19. vers. 3.*

d Licet censum dare Cæsari, an non? &c. Et audientes mirati sunt, & relicto eo abierunt. *Matth. 22.*

e Cùm ergo quærerent supplicare Apostoli, & non inuenirent quomodo adirent Imperatorem, dixerunt Christo, Domine, doce nos orare; Iurisperite noster, Adsessor Dei, imò Consessor compone nobis preces. *Augustin. tractat. 7. in Ioannem.*

Fateor quidem Iurisprudentiam, vt suprà probatum est, successu temporis foro accessisse, Aduocationique fuisse mancipatam; Verùm non vtique infirmitatis fuit illa seu accessio, seu subiectio, sed virtutis sed honoris; quo scilicet tutiùs suas exequeretur Aduocatio partes, dum Iuris illustrata splendoribus, nonnisi iustè se incessuram prænosceret.

CAPVT III.

Qui Iurisconsulti in lege Naturæ?

CÆterùm si è diuinis ad terrena transeundum est éque ea quæ fulsit in Verbo ad eam quam primi homines habuerunt Iuris scientiam, paradoxum haud erit asserere, eos Authores fuisse Iuris qui & generis, posterosque ab iisdem & Ius & vitam accepisse, laborauerit *a* infirmata Gentilium sapientia, nec nisi præuiis sudoribus caligine mentis tantillùm discussâ coniectans balbutierit, PRÆCLARA QVADAM CONDITIONE GENERATVM ESSE HOMINEM A SVPREMO DEO; INTER VTRVMQVE RATIONIS SOCIETATEM INTERCEDERE, HOMINIQVE CVM DEO INESSE SIMILITVDINEM; addiderit insuper, NOS AD IVSTITIAM ESSE NATOS, NEQVE OPINIONE, SED NATVRA CONSTITVTVM ESSE IVS; denique obfirmatis quomodocumque animis eructauerit, AD PARTICIPANDVM ALIVM CVM ALIO COMMVNICANDVMQVE INTER OMNES, IVSTOS NATVRA ESSE FACTOS, VTQVE OMNIBVS MORTALIBVS RATIONEM

a *Cicero 1. de legib. num. 54.* Huc pertinet animal hoc prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & consilij quem vocamus hominem; *præclara quadam conditione generatum esse à supremo Deo*; Solus enim est ex tot animantium generibus atque naturis particeps rationis & cogitationis, cùm cætera sint omnia expertia, quid est autem non dicam in homine, sed in omni cælo atque terra ratione diuinius? quæ cùm adoleuit atque perfecta est, nominatur ritè *Sapientia*; Est igitur, quoniam nihil est ratione melius, eaque & in homine & in Deo *prima homini cum Deo rationis societas*; Inter quos autem ratio, inter eosdem etiam recta ratio communis est,

quæ cùm sit lex, *Lege quoque consociati homines cum diis putandi sumus*; Inter quos porrò est communio legis, inter eos communio Iuris est; quibus autem hæc sunt inter eos communia, & ciuitatis eiusdem habendi sunt; si verò iisdem Imperiis & potestatibus parent, multò etiam magis parent huic cælesti descriptioni mentique diuinæ & præpotenti Deo, vnde etiam vniuersus hic mundus, *vna ciuitas communis Deorum atque hominum existimanda*; & quod in ciuitatibus ratione quâdam de qua dicetur idoneo loco, agnationibus familiarum distinguuntur status, id in rerum natura tantò est magnificentius, tantóque præclarius, vt *homines deorum agnatione & gente teneantur.* Nam cùm de natura omni quæritur, disputari solent nimirùm ista, perpetuis cursibus, conuersionibus cælestibus, extitisse quamdam materiam serendi generis humani, quod sparsum in terras atque satum diuino auctum sit animorum munere; nam quod aliquibus cohærent homines, è mortali genere sumpserunt quæ fragilia essent & caduca; animum esse ingeneratum à Deo, ex quo verè *vel agnatio nobis cum Cælestibus, vel genus vel stirps appellari potest*; Itaque ex tot generibus nullum est animal præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei. De ipsisque hominibus nulla gens est tam immansueta neque tam fera, quæ etiam-si ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat; ex quo efficitur illud, *vt is agnoscat Deum, qui inde ortus sit quasi recordetur, ac noscat.* Iam verò virtus eadem in homine ac Deo est, neque vllo alio ingenio prætereà; est autem virtus nihil aliud quàm in se perfecta & ad summum perducta natura. *Est igitur homini cum Deo similitudo*; quod cùm ita sit, quæ tandem esse potest propior certiorue cognatio, &c. *Et paulò post.* Nunc quoniam hominem quod principium reliquarum rerum esse voluit, generauit & ornauit Deus, perspicuum sit illud ne omnia, differantur, ipsam per se naturam longiùs progredi, quæ etiam nullo docente profecta ab iis quorum ex prima intelligentia genera cognouit, confirmat ipsa per se rationem & perficit. ATT. Dij immortales, *quàm tu longè Iuris principia repetis*, atque ita vt ego non modò ad illa non properem quæ expectabam à te de Iure Ciuili; sed facilè patiar te hunc diem vel totum in isto sermone consumere; sunt enim hæc maiora quæ aliorum causa fortasse complecteris, quàm illa quorum hæc causa præparantur. M. Sunt hæc quidem magna quæ nunc breuiter attinguntur. Sed omnium quæ in hominum Doctorum disputatione versantur, nihil est profectò præstabilius quàm planè intelligi, *nos ad iustitiam esse natos, neque opinione, sed naturâ constitutum esse Ius.* Id iam patebit si hominum inter ipsos societatem coniunctionemque perspexeris; nihil est enim vnum vni tam simile, tam par, quàm omnes inter nos-met-ipsos sumus. *Et post nonnulla*; Sequitur igitur *ad participandum alium ab alio, communicandumque inter omnes iustos naturâ esse factos*, atque hoc in omni disputatione sic intelligi volo, quod dico naturam esse; tantam autem esse corruptelam malæ consuetudinis, vt ab ea tamquam igniculi extinguantur à natura dati, exorianturque, & confirmentur vitia contraria. Quod si quomodo est natura, sic iudicio homines *humani*, vt ait Poeta, *nihil à se alienum putarent*, coleretur Ius æque ab omnibus; quibus enim ratio naturâ data est, iisdem etiam recta ratio data est, ergo & lex quę est recta ratio in iubendo & vetando; si lex, ius quoque; at omnibus ratio, ius igitur datum est omnibus, &c.

DATAM, SIC ET IVS ESSE INDITVM; At seposito quolibet velamine multò clariùs cuncta ista patent in primis vniuersi generis parentibus, penes quos tùm diuini, tùm humani iuris notitia, à supremo fuit infusa Numine, posteris consignanda.

Intueamur *b* ergo, siquidem vacat, primarium diuinæ opus dexteræ; hominem illum dico, corpus habentem ab ipsius Numinis efformatum manibus, animam verò gerentem è viuifico Dei acceptam seu osculo seu spiraculo, & si quemquam alium diuinæ sortitum auræ particulam. Hic rerum opificis, cuius & genus extabat, agnatione illustratus & similitudine; primus & hominum Rex & sacrorum Pontifex, nec vnius dumtaxat vrbis, sed totius orbis constitutus oraculum, vtpote qui in pectoris scrinio animatam legum & iurium deferat tabellam, quid posteros edocet, nisi quod cuique debeatur & liceat? Sapiens est & prudens, à quo velut oraculo sacra simul & ciuilia petuntur & dantur iura, tantâ

b Constituendi verò iuris ab illa summa lege capiamus exordium, quę seculis omnibus ante nata est quā scripta lex vlla, aut quàm omninò ciuitas cōstituta *Cicero* I. *de legib.*

cæteroquin authoritate, vt illum tota rerum natura sui factoris vicarium veneretur & suspiciat. Nec quicquam lapsus obest, quominus sapienter vniuersi Iuris statuat disciplinam, imò verò suâ prodest necessitate, cùm exinde solum Ius definiendum fuerit, quod pronis post lapsum in malitiam sensibus illicitum per legem demonstrandum esset & arcendum.

Non alia quoque Sapientiæ professio in illis Adami successoribus eminuit, per quos traduce iustitiâ inclyta Dei ciuitas medias inter primæ ætatis corruptiones fundamenta habuit & tenuit. Numerosa *c* sanè singulis dies tribuitur; nongenti vt plurimùm accedunt anni, decimaque nepotum accrescit progenies, ita vt præ numero vix iam suum genus agnoscant; sed quò longior ætas, quò proles effusior; eò frequentior ad ædes patrum, non tam nepotum quàm populorum visitur concursus, de sacra, de ciuili sapientia edoceri postulantium.

Denique SVPERDVCTO DILVVIO EXPVNCTORE *d* TOTIVS RETRO CORRVPTIONIS, iidem qui generis, sic & Iuris liberati sunt authores, vt ad alteram ætatem non aliâ ratione quàm quæ decuisset homines, ferrentur Iura, renouatoque terrarum orbi eadem sapientiæ ciuilis, nec dissimili methodo accederet disciplina, quam quæ submerso effulsisset; tantos igitur Patriarchas, si iustis velimus celebrare præconiis, contestabimur extitisse, DIVINI IVRIS ANNVNTIATORES, NATVRALIS EMENSORES, GENTIVM DEFINITORES, CIVITATVM CONDITORES.

c Quid numerosa dies, quid tempore profuit illo, Cernere nongẽtos vltra fœliciter annos. Progeniemque senum decimam expectare nepotum? Iamque suum nescire genus. *Sedul. lib. 2. in princip.*

d Superducto Euangelio expunctore totius retro vetustatis. *Tertull. de Orat. cap. 1.*

CAPVT IV.

An & qui apud Iudæos Iurisperiti extiterint?

DAtâ demùm lege per Moysen, Iureque scripto penes Israëlitas posito in quo tùm de sacris, tùm de iudiciis cauebatur, iam necessarij visi sunt, qui de eo consuli quirent ab ignaris, ne plebs inerudita sub lege sine lege errare cogeretur. Et arbitror quidem faciliùs probari posse Consultos istiusmodi fuisse in Iudæa quàm Aduocatos; imò potiùs, quos Bochellus *a* & Amelius opinantur & vocant Causidicos nonnisi Iurisperitos extitisse. Siue autem Scribæ populi, siue Legisperiti, aut quouis alio nomine vltimis fuerint appellati temporibus, constat Moysen statuisse quos de iure plebs consuleret, eosque, vt ipse ait, Nobiles *b* & Sapientes de tribubus selegisse.

Iterùm, valde probabile est, responsa istiusmodi Sapientũ, sententiæ vt posteà apud Romanos, in plurimis vim habuisse, vt pote qui frequentiùs minutatim singula explicantis legis verba non tam interpretarentur, quàm Consultoribus renuntiarent.

Sed & illos quicquam à partibus accipere vetitos omnes ferè arbitrantur Interpretes; deque illis debere intelligi quod toties inculcatum est, munera Sapientum excæcare oculos, iustorumque Exod. 23. vers. 8. Deuteron.

a Vid. lib. 1. cap. 5.

b Tulique de tribubus vestris viros sapientes & nobiles, &c. qui docerẽt vos singula. *Exod. 1. vers. 15.*

verba ſubuertere. Cæterùm Sapientes illos aduerte præcipuo appellari & inſigniri titulo, etſi frequentiùs circa iudicialia occuparentur; Haud ignota quippe fuit Iudæis ciuilis ſapientia, quæ ſcilicet in viis iuſtitiæ *c*, in medio ſemitarum iudicij incorrupto & prudenti tramite ambularet.

16. verſ. 19.

c In viis iuſtitię ambulo, in medio ſemitarum iudicij. *Prouerb. 8. verſ. 20.*

CAPVT V.

Quinam apud Athenienſes Iuriſconſulti fuerint.

OMittimus, nec inconſultò, Ægyptios, Cretenſes, Laconas, & ſi quos Alios ſeuerior legum diſciplina coërcuit populos; Haud enim putandum eſt in Gentibus tenaci adeò iuſti & æqui, ſtudio-ne an vinculo colligatis, domeſtica veluti defuiſſe oracula quibus ciues conſilij inopes vterentur. Quid autem de Atticis quos laxioribus rectos habenis tota prodit antiquitas? Sanè priuſquàm conſcriptis vterentur legibus, probi viri apud eos, haud ſecùs ac vbiuis terrarum, ſeu Prudentes, ſeu Sapientes appellati, eò quòd & rectiùs viuendi ratione, & ſanioribus per longa experimenta conquiſitis notionibus præ cæteris eminerent, ſimplicioribus conſilio proderant, qualis ille Pytheus *a* Theſei auus & enutritor, necnon forſan Poëtarum antiquiores, qui etiam dogmata ſeu documenta ciuilis ſapientiæ verſibus vt plurimùm canebant. At cùm Theſei induſtriâ diſperſi anteà vicatim Attici in vnam coaluere ciuitatem, ſegregatiſque Patriciis & Plebeiis diſcreta impoſita ſunt munia, ceſſit Patriciis ſacrorum Præfectura, legum enucleatio, iuris interpretatio.

Et hoc quidem inſtitutum nequaquam Solonis immutatum eſt legibus, quin potiùs, peculiari ipſius diſciplinâ ſublimatum; ſiue enim qui vocati ſunt Sapientes, haud modicam, vt diximus, ſapientiæ portionem æſtimaſſent, iuris notitiam, ſine qua iuſtus eſſe nemo poſſet; vnde *b* peregrinati feruntur ad cognoſcenda etiam Gentium exterarum Iura, ſiue ipſe Solon quo magis ciues ad æqui & boni ſtudium accenderet, illius diſciplinam ſublimiori cogitaſſet inſignire titulo, exorta eſt tamdem authore ipſo ſapientiæ ciuilis inſtitutio *c* ſeu ſchola, in qua ſepoſitis de natura ſupraque naturam quæſtionibus, negotia tum publica, tum priuata, rectè, iuſtè, & vt ipſe volebat, ſapienter adminiſtrari docerentur. Floruit autem multis apud Athenas temporibus hæc Philoſophiæ profeſſio, Themiſtocles enim in èa traditur eruditus ſub Mneſiphilo eiuſdem inſtituti aſſertore, omnibuſque probis innotuit quàm latè pateret ſapientiæ ſtudium, ſi quidem non tantùm in palliati viri ſemotis meditationibus, ſed etiam in rerum ciuilium adminiſtratione inueniebatur; Sic ergo ſingulari Solonis in ciues prouidentiâ,

a *Plutarch. in Theſeo.*

b Peregrinationes in Ægyptũ ad iura & diſciplinas Gentis cognoſcendum ſuſceperũt *Diodor. Sicul. lib. 1. verſus finem.*

c *Plutarch. in Themiſtocle cap. 1.*

veluti domesticata sapientia fuit, depositoque seueriori supercilio, forensis etiam effecta est Philosophia.

Quanta autem huiuscemodi Philosophi pollerent apud ciues gratiâ, dum eorum consilio inextricati resoluerentur iurgiorum labyrinthi, nedum ex ipso Solone, sed multò plus ex Aristide *d* innotuit; quem tota penè Athenarum ciuitas priuatarum diremptorem litium gestiebat habere, & ferè vnicum cuiuslibet iurgij conciliatorem; vir quippe tantus, non palliatâ dumtaxat & solitariâ, sed Togatâ, sed ciuili, sed forensi demùm Philosophiâ conspicuum Iusti titulum promeruerat.

d Plutarch. in Aristide cap. 5.

Cæterùm binis propè à Themistoclis *e* sæculo ætatibus, Iurisconsultos Athenis floruisse nobis author est Demosthenes; eorumque munus fuisse, non solùm de Iure petentibus respondere *f*, sed salubria etiam periclitantibus consilia præstare & suggerere.

e Themistocles floruit circa annũ mundi. 3483. Demosthenes verò circà annum. 3696.

f Eâ defunctâ Iureconsultos adij, vt cognoscerem quid ea mihi de re faciendum esset, & eis omnem rem gestam exposui, aduentum istorum, & beneuolentiam mulieris, & vt eam in ædibus habuissem, & vt propter cymbium retentum obiisset; His Iureconsulti auditis me interrogauerunt, vtrum-ne mihi de Iure dumtaxat responderi, an etiam consilium dari vellem; me respondente, vtrumque prouide tibi, & de iure, inquiunt, respondebimus, & vtilia consulemus. *Demosth. in orat. contra Euergum paulò à fine.*

CAPVT VI.

Penes quos Iuris notitia fuerit è priscis Romanorum Institutis.

ROmam haud secùs ac Athenas è primis lustrabimus fundamentis, prius enim Ius condi necesse fuit, quàm eius cuiquam scientiam demandari. Romulus ergo, vt iam vidimus *a*, vrbem fundatam legibus instruxit, diuisoque in Plebeïos & Patricios populo, varia, sicut Atticis fecerat Theseus, officia impertiuit & munia, hisque inter alia, Patronatum, illis clientelam seu obsequium. At clientes suos nedum tueri, sed & leges edocere Patricij tenebantur, ita vt penes illos tantùm, & sacrorum ceremoniæ, & legum custodia necnõ notitia, è prisco hoc instituto fuerint; Vnde Numa *b* Pompilius è Sabinis licèt, in Regem tamen electus, priuatam quamdiu vitam egit, tùm ciui, tùm aduenæ sapienti *c* consilio profuisse recensetur; omnis quippe, si in illa ætate quisquam vllus fuit, Iuris tum diuini tum humani consultissimus extabat.

a Vid. lib. 1. cap. 9.

b Consultissimus vir, vt in illa quisquam ætate esse poterat, omnis diuini atque humani iuris *Liuius lib. 1.*

c Plutarch. in Numa.

Exactis autem Regibus, licèt regiminis alia prorsus fuerit conditio, nequaquam tamen Patriciorum quantum ad hoc infirmata est potestas, quin aucta, adeò vt per tria ferè sæcula ius haud æquum

d Nondũ enim erat apud Romanos ius æquum omnibus

æquum vniuerso populo, solique intereà Patricij in ea versarentur scientia quæ tunc è perpaucis legum Codicibus potentiorumque eruta præiudiciis totam conflabat Iurisprudentiam. Graues inde tamen plebis aduersùs Patres querelæ nonnisi post octennium *e* lege duodecim Tabularum promulgata sopitæ sunt; per quæ omnia tempora, Papyrium *f* Appium Decem uirum si demas, vix alios reperias nominatos Iurisprudentes, ni fortè Publicolam *g* his adnumerare volueris pauperiorum etiam sermones benignè audientem, negotia strenuè suscipientem.

ciuib⁹ nec omnib⁹ ex æquo dicēdi potestas erat nec in tabulas relata erant iura omnia, sed o m quamdiu regnatum est in Vrbe, Regum arbitrio lites dirimebantur, & quod iustum illi iudicassent, id erat pro lege; translato deinde à Regibus ad annuos Consulatus imperio, inter cætera officia Regia, iuris quoque reddendi ad eos deuenit, ita vt quacumque de re orta esset controuersia, illi de Iure responderent. Id Ius maxima ex parte constabat virorum potestate præditorum præiudiciis, & perpauca in sacris libris habebantur quæ legum vim obtinerent; & horum ipsorum scientia penes solos erat Patricios, quod hi soli in eius cognitione versarentur. *Dionys. Halicar. lib. 10. in princip.*

e Discordia ob leges ferendas cœpit anno V. C. 293. sopita est anno 301. *Idem ibi.*

f *l. 2. ff. de orig. Iur. §. 36.*

g *Plutarch. in Publicola. cap. 1.*

At latis *h* perscriptisque in publico loco legibus quo possent apertiùs à quocumque percipi, obscurior earum textus, Prudentium exciuit & animos & labores; interpretatio quippe plerisque in casibus necessaria videbatur, quæ nonnisi à peritis Iuris elici poterat; Haudquaquam igitur pauci erant vel his temporibus qui iura callerent, magnaque *i* in potentia omnes qui consulebantur; verùm vt notat Pomponius *l* ipsammet, quâ præstabant scientiam, cogitabant in latenti retinere, nec discipulis instituendis, sed solummodò Consultoribus excipiendis vacabant; quin etiam ius ipsum è variis eorum coactum sententiis inter *m* sacra recondebatur solis notum Pontificibus, quo-ad vsque Flauius Scriba confixis cornicum oculis abdita hæc euulgauit mysteria, & singulis diebus, ediscendos fastos populo proposuit.

h *l. 2. ff. de orig. Iur. §. 4. & 5.*

i Erant in magna potentia qui consulebantur. *Cicero pro Murana.*

l *l. 2. §. 35. ff. de orig. Iur.*

m Ius ciuile per multa secula inter sacra, ceremoniasque deorum immortalium abditum solisque Pontificibus notum

Cn. Flauius libertino patre genitus & Scriba cum ingenti nobilitatis indignatione factus Ædilis Curulis, vulgauit, ac fastos penè toto foro exposuit. *Valer. Max. lib. 2. cap. 5. num. 2.* Ciuile ius repositum in penetralibus Pontificum euulgauit; fastosque circa forum in albo proposuit; vt quando lege agi posset sciretur. *Liu. decad. 1. lib. 9. fine.* Inuentus est Scriba quidam Cn. Flauius qui cornicum oculos confixerit, & singulis diebus ediscendos fastos populo proposuerit. *Cicero pro Murana.* Id factum anno V. C. 459. aut vt aliqui volunt 449.

CAPVT VII.

Iurisconsultorum excogitatæ latebræ.

ENudatis igitur Pontificum penetralibus, seu, vt verbis vtamur *a* Tullij, enuntiatis hisce mysteriis, totum quod apud Maiores in isto studio fuerat admirationis, contemptum visum est & abiectum; tenuitas enim rerum innotuit, quæ cùm paruæ

a Dignitas in tam tenui scientia quæ potest esse? Res enim

omnino essent in singulis prope litteris necnon verborum interpunctionibus occupatæ, non stupere non poterant, quibus noua veluti dies elucescebat quod tãdiu fascinatis animis dies fastos á Prudentibus tamquam á Chaldæis postulassent. Verùm iratos fuisse de proditione Flauij Iurisconsultos subdit Tullius *b*, veritosque ne dierum ratione peruulgatâ & cognitâ, sine sua opera lege á quouis agi posset, quasdam extunc notas composuisse, formulasque & carmina, nedum partibus, sed ipsis etiam Iudicibus præscripsisse, vt ad se, nouâ hâc necessitate impositâ, vndique recurreretur. Det igitur nobis antiquitas vel inanius studium vel humilius; verbosa scilicet dumtaxat quæritans artificia, syllabarum aucupia reuoluens, literarum adstruens tendiculas triduanæ exercitationis opus; inanissimum prudentiæ, fraudis & stultitiæ plenissimum, denique Iurisconsultum efformans, non sapientem, non prudentem, vt vulgus autumasset, sed Leguleium *c* quemdam cautum & acutum, præconem actionum, posticum suggestorem, Latinum tubicinem, cantorem formularum, pleraque tandem quæ præclarè legibus constituta essent versuto detorquentem & deprauantem ingenio. Et sanè, dum abdita erant huius-ce artis studia, à nemine venerationi non habebantur; at peruulgata semel iactataque in manibus & excussa, meris fucata ineptiis visa sunt, adeò vt ætas posterior huiusce nugationis depulso iugo, formulas iuris *d* aucupatione syllabarum cunctis insidiantes actibus, radicitùs amputauerit, superuacuâque obseruatione damnatâ, & inextricabiles circuitus sustulerit, & verborum inanium captiones exciderit.

sunt paruæ, prope in singulis litteris atque interpunctionibus verborum occupatæ. Deinde etiamsi quid apud Majores nostros fuit in isto studio admirationis, id enuntiatis vestris mysteriis totum est contemptum & abiectum; posset agi lege nec-ne pauci quondam sciebant; fastos enim vulgò non habebant; erant in magna potentia qui consulebãtur, à quibus etiam dies tamquã à Chaldæis petebatur; inuentus est Scriba quidam, &c. *Cicero pro Murena.*

b Itaque irati illi, quod veriti ne dierum ratione peruulgatâ & cognitâ sine sua opera lege posset agi, notas quasdam composuerunt, vt omnibus in rebus ipsi interessent, &c. Transit idem Iurisconsultus tubicinis latini modo, &c. Prætori quoque carmen compositum est cum cæteris rebus absurdum, tum verò nulli vsui, &c. Hæc iam tum apud illos barbaros ridicula credo videbantur, &c. ijsdem ineptiis fucata sunt illa omnia, &c. quæ dum erant occulta, necessariò ab eis qui ea tenebant petebantur; posteà verò peruulgata atque in manibus iactata & excussa, inanissima prudentiæ reperta sunt, fraudis autem & stultitiæ plenissima, nam cùm permulta præclarè legibus essent constituta, ea Iurisconsultorum ingeniis pleraque corrupta & deprauata sunt, &c. In omni denique Iure ciuili æquitatem reliquerunt, verba ipsa tenuerunt, &c. itaque vt dixi, dignitas in ista scientia Consularis numquam fuit quæ tota ex rebus fictis, commentitiisque constaret; gratiæ verò multò minùs haberet, &c. itaque si mihi homini vehementer occupato stomachum moueritis, triduo me Iurisconsultum esse profitebor. *Cicero pro Murana.*

c Iurisconsultus ipse per se nihil nisi Leguleius quidam cautus & acutus, præco actionum, cantor formularum, auceps syllabarum. *Cicero 1. de Oratore.* Tum illud quod dicitur, vti lingua nuncupâsset, irrident; tum aucupia verborum & tendiculas literarum in inuidiam vocant. *Idem pro Cæcinna.*

d l. 1. Cod. de formulis & impetratio. l. 4. Cod. de arbitr. l. 1. Cod. commun. de legatis.

CAPVT VIII.

Quàm necessarium, quámque honestum habitum fuerit à Romanis iuris studium.

LIbuit ista hæc verbo ferè tenus tum ex ipso desumpta Tullio, tum è diuis petita Sanctionibus adducere, quo si quid antiquitùs aduersus Iurisprudentiam probri congestum fuerit, innotesceret, iamque diligenti volueremus examine. Num, sicut pridem Aduocatio, quiret à tot sordibus aut vindicari aut defæcari. Multiplex *a* ergo Iurisconsultorum fuisse munus intelligendum est, RESPONDERE, scilicet, CAVERE, & E IVRE COMPONERE FORMVLAS quod alio verbo SCRIBERE vocabatur; RESPONDERE dicti sunt, cùm de mero Iure consulti vel à partibus vel à Iudicibus, quid fas esset, rectum, æquum, licitum sanâ definirent sententiâ; CAVERE, dum Consultatores ne in laqueos inciderent captionum prouido muniebant remedio; SCRIBERE tandem dum in forum deducendo deducto-ue negotio, formulas aut actionis, aut exceptionis, aut iudicati peritâ exararent dexterâ; primum autem sapientis, alterum prudentis, vltimum periti quis negauerit officium? At sicut spretis omninò cæteris vltimo tantùm incumbere Leguleij dumtaxat fuisset non Consulti, sic singula ingenuo complecti studio nonnisi præclari hominis esse poterat, ita tamen vt diuersa hæc munia suo singula ponderaret merito, nec humilius præstantiori aut præferret, aut æquaret.

a Proprium munus iurisconsultorum, respondere, cauere & ex iure formulas cõponere quod est scribere. *Cuiac. ad l. Gallus ff. de liber. & posth. tom. 1.*

Iam ergo quis non Tullij næuos facilè nedum aduertat, sed & detegat? Oratoriè non solùm ludit, sed etiam vellicat, infirmiorique disciplinæ selecto studio, quasi tota in illo ars consisteret, ironicè, scurriliter, ludibriosè demùm insultat. Sed quid ais, ô Marce Tulli, de responsis Prudentium, de cautionibus Consultorum? Hæc-ne futilis est scientia, ineptiis scaturiens & fucis? Quomodo ergo *b* iuris noscendi necessitas tantoperè à te-ipso celebrata est? ius enim illud, ipso te authore, vincula non modò iudiciorum, sed etiam vtilitatis vitæque communis adstruit; diligenterque adeò retinendum est, vt eo sublato nullus quid suum quidue alienum sit queat asserere. At, amabo, *c* quantum est ius in ciuitate esse, nisi sit aliquis Iurisperitus per quem possit quotidie

b Qui ius ciuile contemnendum putat, is vincula reuellit, non modò iudiciorum, sed etiam vtilitatis, vitæque communis; qui autem Interpretes iuris vituperat, si imperitos iuris esse dicit, de hominibus non de iure ciuili detrahit; sin peritis non putat esse obtemperandum, non homines lædit, sed leges ac iura labefactat; Quod vobis venire in mentem profectò necesse est, nihil esse in ciuitate tam diligenter, quàm ius ciuile retinendum; Etenim hoc sublato nihil est quare exploratum cuiquam possit esse, quid suum aut quid alienum sit, nihil est quod æquabile inter omnes, atque vnum omnibus esse possit. *Cicero pro Cæcinna.*

c Constare non potest ius, nisi sit aliquis Iurisperitus per quem possit quotidie in melius produci. *l. 2. §. 13. ff. de orig. Iur.*

vel ignaris aperiri vel in melius produci? En ergo, te fatente, consulentium munus populo *d* necessarium est, ipsique etiam *e* oratoriam profitenti.

Iterùm quomodo effutire ausus es in isto studio, quod artificium *f* dedignanter vocas, nullam esse dignitatem? Numquid adhuc teipso teste, summi *g* semper in ciuitate tua viri ius interpretari populis & respondere visi sunt? Tantâ cæteroquin claritate studij, vt nec ipse tu exclamare abstinueris *h* magnam esse laudem gratamque hominibus, vnum hominem elaborare in ea scientia quæ multis profutura sit. Sed quid pluribus opus est cum viro domesticas res & exteras, priscas & nouas tenaciter adeò percallente, vt ipsum solum Romana *i* historia scriptorem æquum exoptauerit? An enim fugit illum Appij Iurisperiti *l* claritas, qui cæcus licèt, videntior tamen & ipso Senatu comprobatus est, Pyrrhi depulsione impetratâ? An Sempronij *m* sapientia quem totius populi vox, nouo suscepto nomine, σοφὸν vocauit? An Nasicæ probitas clariùs *n* imperatorio nomen sortiti, cuique vt faciliùs adiri posset, domus in sacra via publicè data est? An denique Mucij magnanimitas bellum & pacem in suo portantis sinu, tumidis data aduersariis quod-nam vellent optione? Et hos tamen omnes quos Iurisprudentia suos patres agnoscit, nonne & dignitas, quidquid dicat Tullius sublimauit?

d Quid est enim tantum quantũ ius ciuitatis? Quid autem tã exiguum quàm est munus hoc eorum qui consuluntur, quamquam populo necessarium. *Cicero 1. de legib. num. 33.*

e His ego de causis dixeram, Scæuola, iis qui perfecti Oratores esse vellent, iuris ciuilis cognitionem esse necessariam. *Cicero 1. de Orator.*

f In isto vestro artificio, Sulpici, nihil est. Primũ dignitas in tam tenui scientia quæ potest esse? *Cicero pro Murana.*

g Ego memini summos fuisse in ciuitate nostra viros qui id interpretari populis & respondere soliti sint. *Cicero 1. de legib. num. 33.*

h Seruius hîc nobiscum hanc vrbanam militiam respondendi, scribendi, cauendi, plenam sollicitudinis ac stomachi secutus est; Ius ciuile didicit, multum vigilauit, laborauit, presto multis fuit; multorum stultitiam perpessus est; arrogantiam pertulit; difficultatem exsorbuit; vixit ad aliorum arbitrium, non suum, magna laus & grata hominibus vnum hominem elaborare in ea scientia quæ sit multis profutura. *Cicero pro Murana.*

i Postulatur à te iamdiu vel potius flagitatur historia, sic enim putant te illam tractante effici posse, vt in hoc etiam genere Grecię nihil cedamus; atque vt audias quid ego ipse sentiam, non solùm mihi videris eorum studiis qui literis delectantur, sed etiam patrię debere hoc munus, vt ea quę per te salua est, per te eumdem sit ornata; abest enim historia literis nostris vt & ipse intelligo & ex te persępè audio, potes autem tu profectò satisfacere, &c. Intelligo equidem à me istum laborem iamdiu postulari, Attice, quem non recusantem si mihi vllum tribueretur tempus vacuum & liberum. *Cicero 1. de legib. num. 15. & 20.*

l Post hunc Appius Claudius eiusdem generis maximam scientiam habuit, &c. Et de Pyrrho in vrbe non recipiendo sententiam tulit. *l. 2. §. 36. ff. de orig. iur.* Perorante Appio Cęco, pulsi cum muneribus suis ab vrbe legati. *Florus 1. cap. 18.*

m *Vide l. 2. §. ff. de orig. Iuris.*

n Rarum specimen honoris à Scipione quoque Nasica oboritur, eius namque Manibus & Penatibus nondum quæstorij, Senatus Pythij Apollinis monitu, pessinunte accersitam deam excipi voluit, quia eodem oraculo pręceptum erat, vt hęc ministeria Matri Deûm à sanctissimo viro pręstarentur. Explica totos fastos, construe omnes currus triumphales, nihil tamen morum principatu speciosius reperies. *Valer. Maxim. lib. 8. cap. 15. num. 6.*

CAPVT IX.

Qui primi in vrbe, & quomodo Iuris ciuilis ſcientiam publicè profeſſi fuerint?

VErùm maior haud dubiè Prudentibus Iuris cœpit affulgere claritas, cùm publica ſcientiæ illius facta eſt in vrbe profeſſio. Et Coruncanius *a* quidem primus adducitur qui ludi adeò neceſſarij palæſtram aperuerit, poſt quem & Ælij fratres, & Attilius recenſentur. Sed mirâ prorſus ſimplicitate tum illi, tum eorum poſt aliqua tempora ſucceſſores, Mutius, Brutus, & Manilius feruntur vſi, quæ & docentium humanitatem, & audientium docilitatem commendat & ſublimat; Tranſuerſo *b* etenim illi foro ambulare ſolebant, quod quidem inſigne erat eos ciuibus omnibus conſilij ſui facere copiam; & quis, poſt-hæc, quacumque de re angeretur, non adiiſſet Sapientes illos ſiue in plateis deambulantes, ſiue domi ſedentes in ſolio? Sapientes dico, cœpit enim primum illa ætas Sapientes Romano dare populo, quæ publicos Iuris edidit Profeſſores. Nec me vllus putet plus quàm par fuerit iuris deferre ſtudio; Attilius *c* enim, de quo mox, nonne primus à populo SAPIENS appellatus eſt, eò quòd prudens eſſe in iure ciuili putaretur? Nonne *d* Curium, nonne Coruncanium de quo item mox, ætas illa Sapientes iudicauit? Nonne *e* tandem Lælius, qui & ipſe ſapiens habitus eſt, Catonem Porcium ſapientem declarauit, tanto cæteroquin præconio, vt nequidem illi an-

a l. 2. §. 35. 38. 39. ff. de orig. Iuris.

b Equidem ſæpe hoc audiui de patre & de ſocero meo, noſtros quoque homines qui excellere *Sapientia* gloriâ vellent, omnia quæquidem tum hæc ciuitas noſſet ſolitos eſſe complecti; meminerant illi Sex. Ælium, M. verò Manlium nos etiam vidimus tranſuerſo ambulantem foro, quod erat inſigne eum qui id faceret, facere ciuibus omnibus conſilij ſui copiam; ad quos olim & ita ambulantes & in ſolio ſedentes domi ſic adibatur; non ſolùm vt de iure ciuili ad eos, verùm etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omnium denique aut officio, aut negotio referretur. Hæc fuit P. Craſſi illius veteris, hæc Titi Coruncanij, hæc proaui generi mei, Scipionis prudentiſſimi hominis ſapientia, qui omnes Pontifices maximi fuerunt. *Cicero 3. de Oratore, num 21.*

c Sunt iſta vera, Læli, nec enim melior vir fuit Africano quiſquam, nec clarior, ſed exiſtimare debes omnium oculos in te eſſe coniectos; vnum te Sapientem & appellant, & exiſtimant. Tribuebatur hoc modo M. Catoni; ſcimus L. Acilium apud patres noſtros appellatum eſſe Sapientem, ſed vterque alio quodam modo. Acilius quia prudens eſſe in iure ciuili putabatur; Cato, quia multarum rerum vſum haberet, multaque eius & in Senatu & in foro vel prouiſa prudenter, vel acta conſtanter, vel reſponſa acutè ferebantur. Propterea quaſi cognomen iam habebat in ſenectute ſapientis; te autem alio quodam modo dicunt non ſolùm naturâ & moribus, verùm etiam ſtudio & doctrinâ eſſe ſapientem; nec ſicut vulgus; ſed vt eruditi ſolent appellare Sapientem, qualem in Gręcia neminem; nam qui ſeptem appellantur, eos qui iſta ſubtilius quęrunt, in numero Sapientum non habent; Athenis vnum accepimus & eum quidem etiam Apollinis oraculo ſapientiſſimum iudicatum, *Cicero de amicitia ſub princip.*

d C. Fabricium, M. Curium, T. Coruncanium quos Maiores noſtri Sapientes iudicabant. *Idem ibi. paulò infer.*

e Tu autem, Fanni, quid mihi tantùm tribui dicis, quantùm ego nec agnoſco nec poſtulo. Facis, amice, ſed vt mihi videris non rectè iudicas de Catone, aut enim nemo, quod quidem magis credo; aut ſi quiſquam, Sapiens ille fuit; & quamobrem caue Catoni anteponas, ne iſtum quidem ipſum quem Apollo, vt ais, Sapientiſſimum iudicauit; huius enim facta, illius dicta laudantur. *Idem ibid. paulo ſup.*

reponendum censuerit quem vel Apollo sapientissimum iudicasset? At Cato *f* inter nostros recensetur Iuris seu Authores seu Professores; tunc igitur cœpit apud gentes etiam clamare *g* in plateis sapientia, & in capite turbarum satagere, vt spiritum suum inerudi- tis proferret, & imprudentibus consilia sua suggereret.

f V. l. 2. §. 38. ff. de orig. Iur.

g Sapientia foris prędicat, in plateis dat vocem suam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum profert verba sua, &c. En proferam vobis spiritum meum, & ostendam vobis verba mea. *Prouerb. 1. vers. 20. 21. 23.*

CAPVT X.

Prudentes Iuris, Dignitates assequuti.

AT quo animo tantus Orator addere potuit, dignitatem in ea scientia Consularem numquam *a* fuisse, an ignaro antiquitatis, an veritatis oblito? Ælios *b* enim fratres, Mucium, Manilium, Rufum Consulatum gessisse nescire vix poterat; Catonem insuper obtinuisse Dictaturam. Brutum Præturam; Mutium, supremum Pontificatus fastigium, & sanè quidquid dixerit Tullius (Orator, vel in eo potiùs quàm vir bonus comprobatus) quinam digniores gerendæ potestatis extitissent quàm illi homines, scientiâ conspicui & sapientiâ? Accedat Plato *c*, fatidicoque eructet pectore, tùm demùm beatas fore Respublicas, si aut Philosophi summam habeant Imperij, aut Reges primas Philosophiæ teneant partes; En viri, non inuidiosum, non superbum, non austerum, confictæ, fucatæ, impossibilisue *d* & desperatæ assequuti gradum sapientiæ; sed in vsu communi, in vita ciuili, in boni tandem viri constituti limitibus, ad Præturam, ad Consulatum, ad Dictaturam, ad Pontificatum euecti; digni sanè qui Prætores sint cùm ius dicant; qui Consules, cùm consulant; qui Dictatores, cùm prouideant; qui Pontifices, cùm sacra sciant. Et sanè si Tullium sui compotem alio in loco differentem audiamus, quid non ille de tantorum hominum refert gloria? De rebus, *e* ait, omnibus tum diuinis, tum humanis ad eos referebatur, ijdemque & in Senatu & apud populum, & domi & militiæ consilium suum fidemque præstabant. O! præclara omninò sors & professio, longéque ab ijs dissita ineptiis quas illi Tullius idem temerè affixerat.

a Dignitas in ista scientia Cōsularis numquā fuit. *Cicero pro Murana.*

b V. l. 2. §. 38. 39. ff. de orig. Iur.

c Plato lib. 5. de Repub. *vid. sup. lib. 1. cap. 18.*

d Sed eam sapientiam interpretantur (Gręci) quam adhuc mortalis nemo est consecutus; nos autem ea quę sunt in vsu vitaque communi, non ea quę finguntur, aut optātur sperare debemus; numquam ego dicam C. Fabricium, M. Curiū, T. Coruncanum, quos Sapientes nostri Majores iudicabant, ad istorum normam fuisse Sapientes; quare sibi habeant sapientię nomen & inuidiosum & obscurum, concedantque vt hi boni viri fuerint. *Cicero de Amicitia.*

e Vt ad eos de omnibus diuinis atque humanis rebus referretur, ijdemque in Senatu & apud populum, & in causis amicorum & domi & militię consilium suum fidemque prę stabant. *Cicero 3. de Oratore num. 21.*

CAPVT XI.

Quamplures Iurisprudentiam simul & Causidicinam professos fuisse.

FEramur vlteriùs, nec enim nos deceret in tam patenti campo vel viæ angustias pati vel obicis moras. Summa *a* est, fateor, dignitas in ijs qui militari laude præcellunt; grauis etiam omnino est plenaque dignitatis dicendi facultas & orandi, ita vt bello clari & eloquio ad imperia populorum formati videantur. At qui vel illi vel isti ni sapientiâ emineant; ni prudentiâ vigeant? Ergo Prudentes nostri, Sapientes nostri tutam omninò in sua disciplina tenebant ad dignitates viam, vt qui eâ pollerent arte, sine qua nec Orator stare valet, nec Imperator; & tamen haud pauci inuenti sunt qui iuris scientiæ, dicendi artem adiunxerint, nec minùs clari euaserint eloquio, quàm consilio, vt apti linguâ defendere quos monitis instruxissent; ad nullum non dignitatis fastigium euehendi probarentur. O! quàm illustri fulsit ea ætas prodigio, dum in vna eademque actione, *b* Consulares Patroni inuenti sunt qui dicerentur, alter quidem eloquentium Iurisperitissimus, alter verò Iurisperitorum eloquentissimus. Stupuit, ni fallor, ipsa Roma, nec se quicquam dignum habere, quo tanta coronatur virtus, indigo fassa præconio, artes coniunxit dum diuisit, neutramque alteri anteponere ausa est, adinuento quod vtramque sublimaret elogio dum adæquaret. Quid *c* de Crasso altero in quo summam industriam, maximam gratiam fuisse constat, cùm plurimum & consuleretur & diceret? Quid de Sulpitio qui simul & magnum munus de iure respondendi sustinuit, &, si non primas, *d* saltem alteras à Tullio partes tenuit? Quid tandem de plerisque aliis non iam dicendum nobis est quam recolendum, de quibus non secùs ac de Catone *e* potuit referre antiquitas, an quia Ius ciuile didicerant, causas non agebant; an quia causas nouerant dicere, Iuris scientiam negligebant?

a Summa dignitas est in ijs qui militari laude antecellunt, omnia enim quæ sunt in Imperio & in statu ciuitatis, ab ijs defendi & firmari putatur; summa etiam vtilitas, siquidem eorum consilio & periculo, cum Repub. tum etiam nostris rebus perfrui possumus; grauis etiam illa est & plena dignitatis dicendi facultas quæ sæpè valuit in Consule deligendo, posse consilio atque oratione, & Senatus & populi & eorum qui res iudicant posse promouere. *Cicero pro Murana.*

b Atque ita cum ab his Patronis equalibus, etiam Consularibus causa illa dicta est, cùm vterque ex cōtraria parte Ius ciuile defenderet, vt eloquentium Iurisperitissimus Crassus, Iurisperitorum eloquētissimus Scæuola putaretur. *Cicero in Bruto. num. 54.*

c P. Crassum valde probatum Oratorem iisdem ferè temporibus accepimus; qui & ingenio valuit & studijs, &c. Domi Ius ciuile cognouerat; in eo industriam constat summam fuisse, cùm & consuleretur plurimum & diceret. *Cicero in Bruto, num. 40.*

d V. l. 2. §. 43. ff. de orig. Iur.

e Quid enim M. Catoni præter hunc politissimam doctrinam transmarinam atque aduentitiam defuit? Num quia Ius ciuile didicerat, causas non dicebat? Aut quia poterat dicere Iuris

ſcientiam negligebat ? At vtroque in genere & laborauit & præſtitit. *Cicero 3. de Orator. num. 21.*

CAPVT XII.

Illuſtriores etiam viros in ſua ſenectute Ius reſpondiſſe.

CОncidiſti, Marce Tulli, tuis non aliis confoſſus telis, quodque noſtram de tuo caſu auget lætitiam, tuus ille ſermo eſt, quo etiam ſenium prudentes inter tranſigendi votum facis & explicas. Quid ? non recuſas quominus MORE PATRIO SEDENS in ſolio Conſultoribus reſponderes, ſenectutiſque non inertis grato hoc ac honeſto fungereris munere ? At Iuri-ne ſatis operam dediſti vt ad reſpondendum populo te dedas ? & fateris planè, ſiquidem nullum tibi fore ais in experimento periculum. Verùm non times tibi exprobrari ab aliquo quæcumque in Sulpitium effutire auſus es ? an hæc tibi vox excidit, IVS CIVILE DIDICISTI, PENE OPERAM PERDIDISTI ? an oblitus es te Iuriſconſulto dixiſſe, *in errore c verſaris, ſi iſtud neſcio quid quod tantopere didiciſti, præclarum eſſe arbitreris* ? O ſummam Oratoris contumeliam ea dixiſſe quæ contra ſe retorta diluere nequeat! Carneadeum vel Tullio, dogma placuit & nocuit, propriiſque irretito laqueis ſola palynodia ſubuenire potuit & proficere. Nunc igitur ille, conuerſo ad meliora ſermone, non aucupia ſyllabarum, non tendiculas literarum, non captiones verborum in Iuris attendit ſcientia, ſed ſapientiam illam ciuilem quæ Iuriſconſulti domum totius efficit oraculum ciuitatis; nouit quippe ſummos ſemper fuiſſe in vrbe viros qui illâ ſplenduerint, ipſam verò per ſeſe ijs qui ei præſint ſummum attuliſſe ſemper honoris, dignitatis, gratiæ faſtigium; tacere non potis eſt ſenectuti celebrandæ & ornandæ haud honeſtius cedere perfugium quàm [d]Ius interpretari, denique conteſtatur nil præclarius perfuncto ſeni Reipublicæ muneribus & honoribus poſſe accedere, quàm ſi ab eo ciues conſilia quærunt & expetunt. O ! quanta

a Ego verò ætatis potiùs vacationi confidebã, cùm præſertim non recuſarem quominus more patrio ſedens in ſolio, conſulentibus reſponderem, ſenectutiſque non inertis grato & honeſto fungerer munere. *Et paulò pòſt.* Ego arbitrabar poſſe te populo noſtro probari ſi te ad Ius reſpondendum dediſſes. Quamobrem cũ placebit tibi experiendum cenſeo. M. Id ſiquidem, Quincte, nullum eſſet in experiendo periculum. *Cicero lib. 1. de legib. num. 24. & 26.*

b Aliis ego te virtutibus continentia, grauitatis, iuſtitiæ, fidei, cæteris omnibus Conſulatu & omni honore ſemper digniſſimum indicaui. Quod quidem Ius ciuile didiciſti, non dicam operam perdidiſti, ſed illud dicam nulla eſſe in illa diſciplina munitam ad Conſulatum viam. *Cicero pro Murana.*

c Non patiar te in tanto errore verſari, vt iſtud neſcio quid quod tantoperè didiciſti, præclarum aliquid eſſe arbitrere. *Idem ibid. paulò ſuperius.*

d His ego de cauſis dixeram, Scæuola, iis qui perfecti Oratores eſſe vellent, Iuris ciuilis cognitionem eſſe neceſſariam; iam verò ipſa per ſeſe quantum afferat iis qui ei præſunt honoris, gratiæ, dignitatis quis ignorat ? Itaque vt apud Græcos infimi homines mercedula adducti miniſtros ſe præbent in iudiciis oratoribus ij qui apud illos ραγματικοὶ vocantur, ſic in noſtra ciuitate contra ampliſſimus quiſque & clariſſimus vir, vt ille qui propter hanc Iuris ciuilis ſcientiam, ſic appellatus à ſummo Poëta eſt,

Egregiè cordatus homo Catus Ælius Sextus multique præterea qui cum ingenio ſibi authore dignitatem reperiſſent perfecerunt, vt in reſpondendo Iure plus etiam quàm ipſo ingenio

valerent

valerent. Senectuti verò celebrandæ & ornandæ quod honestius potest esse perfugium quàm Iuris interpretatio? Equidem mihi hoc subsidium iam ab adolescentia comparaui, non solùm ad causarum vsum forensem, sed etiam ad decus atque ornamentum senectutis; vt cùm me vires (quod ferè iam tempus aduentat) deficere cœpissent, ista ab solitudine domum meam vendicarem; quid enim est præclarius quàm honoribus & Reipublicæ muneribus perfunctum senem posse suo Iure dicere idem quod apud Ennium dicat ille Pythius Apollo, se esse eum, vnde sibi, si non populi & Reges; at omnes sui ciues consilium expetant; suarum rerum incerti, quo ego meâ ope ex incertis certos compotesque consi'i dimitto, vt ne res temerè tractent turbidas. Est enim sine dubio domus Iurisconsulti totius oraculum ciuitatis. Testis est hujusce Q. Mucij ianua & vestibulum, quod in eius infirmissima valetudine affectaque iam ætate, maximâ quotidie frequentiâ ciuium ac summorum hominum splendore celebratur. *Cicero 1. de Oratore, num. 47.*

Ælij gloria qui authore Ennio & CATVS ET CORDATVS HOMO celebratus est! O! quanta Mucij dignitas qui licet in infirmissima valetudine affectaque iam ætate, maximâ tamen ciuium frequentiâ, summorumque splendore hominum non tam responsa quàm oracula ceu Pythius alter Apollo fundere videbatur! O digna vel augure Scæuola *e* senectus; in hemicyclio sedere, & in corona Prudentium ciuilem profiteri sapientiam! O iusta tandem Crassi votorum emissio, simili in senecta claritate responsorum, suam á solitudine domum & eripere & vindicare! Is ergo mos apud Romanos fuit, sed illustrium virorum, sed sapientium, quem proinde non mirum est Tullium, etsi Consularem, ceu tamen tranquillum ac fœlicem senectutis portum exoptasse.

e Nunc redeo ad Augurem, cùm sæpè multa narraret tum memini domi in hemicyclio sedentem vt solebat, &c. *Cicero de amicitia in princip.*

CAPVT XIII.

Iurisperiti sub Augusto.

ATque vtinam plus sapientiâ illâ ciuili eminuisset, quàm eloquentiâ; duriores enim, vt opinari est, casus vitasset; verùm ad cætera quæ Iuris spectant disciplinam, ipsa nos temporum ducit successio Tullio iam minùs infensos, ex ipsius siquidem in nos contortis probris, illustrior nostræ sapientiæ resplenduit gloria.

Translato igitur orbis Romani dominio, atque ad vnius arbitrium ipsis-met Reipublicæ incuruatis columinibus, Cæsar Octauius non minùs de Iurisprudentia quàm de cæteris Imperij muneribus satagere visus est; & sanè quomodo scientiæ illius disciplinam non excoluisset, è qua sibi viros veluti necessariò sumendos imposuerat fixus ratusque consilia *a* sortiri semestria? Huic igitur tum *b* Ofilius, ex Equestri ordine; tum Nerua *c* omnis diuini humanique Iuris sciens, familiarissimi extitisse referuntur; atque vt probaret non aliter se regnante quàm florente Republicâ patere Iurisperitis ad Consulatum viam, Alfenum *d* Varum, decennali-

a Sibique instituit consilia sortiri semestria, cum quibus de negotiis ad frequentem Senatum referendis antè tractaret. *Sueton. in Augusto, cap. 35.*

b *l. 2. §. 44. & 47. ff. de orig. iur.*

c Omnis diuini humanique Iuris sciens. *Tacit. Annal. 6. vid. cap. seq. litt. b.*

d *l. 2. §. 44. & 47. ff. de origin. Iuris.* Alfenus Varus Consul fuit anno Augusti 44. Christi 3. Ateius autem Capito anno Augusti 54. Christi 13.

que interiecto spatio Ateium Capitonem Consules renuntiauit; At quam-non de tanta disciplina venerationem habuisse illum opinari est probata sectatorum ipsius tum doctrina tum modestia? Ipso enim summas tenente Imperij & Trebatius peritior *e* Cascellio, & Cascellius Trebatio eloquentior, & Ofilius vtroque doctor proclamatus est, mutuam sibi palmam & protendentibus & vindicantibus peritiâ, eloquentiâ, doctrinâ. Iterum inuenti sunt qui primùm Consulatus insignia respuerent, delatisque honoribus se superiores probarent dum subducerent; Aulus enim *f* Cascellius noluit vltrà Quæsturam progredi, etsi Cæsar illi fasces offerret; Labeo *g* verò ipsius Augusti locum ingredi recusauit; eâdemque fastorum *h* paginâ suum noluit sacrari nomen quæ Cæsaris contineret. Stupeat ad hanc virorum modestiam non Cæsar solus, sed totus orbis, veréque illos Sapientes renuntiet non pallio sed animo. Delectatus interim Octauius tot quæ comperisset in Consultis virtutum insignibus, responsa illorum principali authoritate munire *i* & cogitauit & constituit.

e d. l. 2. §. 45. ff. de orig. Iur.

f d. l. 2. §. 45.

g Labeo noluit cùm offerretur ei ab Augusto Consulatus quo suffectus ei fieret & honorem suscipere. *d. l. 2. §.* 47.

h Ergo non alia nos pagina quã te Consulem accipiet, & nostra quoque nomina addentur fastis quibus ipse perscriberis. *Plin. in Panegyr.* Eâ nempe ratione, quod Consules ordinarij nomen darent anno, suffecti verò sic adderentur fastis honoris causa vt sub ordinariis Consulibus, honorarium dicerentur gerere Consulatum *Baro. anno 103. num. 1.*

i Primus diuus Augustus, vt maior Iuris authoritas haberetur, constituit vt ex authoritate eius responderetur. *d. l. 2. versus finem.*

CAPVT XIV.

Principalis authoritas responsa firmat Prudentium.

FOrma igitur responsorum accedente Principali sanctione quomodocumque mutata est; anteà *a* enim, quemadmodum libera cuique erat ciuilis professio sapientiæ dummodo studiorum habenti fiduciam, sic simpliciori cautione responsa cuiuscuis muniebantur; aut scriptâ scilicet ad Iudices schedâ, aut testatione in fauorem exaratâ Consultorum; At cùm ipsæ-met Prudentium opiniones & sententiæ omnimodam à principali decreto sumpsissent authoritatem, ita-vt ab ijs recedere haudquaquam liceret Iudicibus; signari responsa consultius visum est & augustius. Id autem vnicum, vt notat Pomponius, Octauius intendebat, maiorem scilicet iuris stabilire authoritatem; at cùm animaduersum esset ex ipsius potestate purpuræ responsa dari, prudentesque nouos veluti effectos fuisse Magistratus, cœpit Iuris scientia angustioribus coarctari limitibus, nec à quodam exinde attrectari se passa est, ni Cæsareo munito diplomate. Siue tamen Augustus iam senior hanc emisisset sanctionem, siue ipso regnante haud illud adhuc excogitatum fuisset beneficium, non ab illo sed ab eius successore Tiberio primùm postulatum est, & à Masurio Sabino impetratum.

a Vid. l. 2. §. 47. vers. & vt obiter sciamus. vsque ad. huic successit. *ff. de orig. Iur.*

Is Equestri clarus ordine, iam ferè quinquagenarius receptus exhibetur publicéque primus scripsisse; quo ex verbo, RECEPTVS, facile coniicere est, formato ex iis qui sub Augusto floruerant Collegio, Masurium Imperialibus munitum litteris aggregatum fuisse.

Gaude iam, si lubet, Iurisprudentia, inter sacra recenseri beneficia sub eo Principe. Quo vix authore quicquam boni perfectum est; sed tamen haud crediderim plus illum tibi contulisse quàm detraxisse, dum Cocceium Neruam *b* intueor mali Principis mores exosum acerbiora fata spontaneo interitu & præsentire & præuenire.

b Haud multò pòst Cocceius Nerua cõtinuus Principis, omnis diuini humanique Iuris sciens, integro statu corpore inlæso moriendi consilium cœpit; quod vt Tyberio cognitum, adsidere, causas requirere, addere preces, fateri postremo graue conscientiæ, graue famæ suæ, si proximus amicorum, nulli moriendi rationibus vitam fugeret; aduersatus sermonem Nerua, abstinentiam cibi coniunxit. Ferebant gnari cogitationum eius, quantò propiùs mala Reipublicæ viseret, irâ & metu dum integer, dum intentatus, honestum finem voluisse. *Tacit. lib. 6. Annal.*

CAPVT XV.

*Iurisperiti in Consilium assumpti * Principum.*

LIcet autem Iurisperiti, professores conscripti fuerint publicæque authores scholæ; non minori tamen dignitate eminuerunt, testibus nobis & Celso & Neratio *a* ad Consulatum euectis. Verùm sublimius aliquid moueor coniicere, dum elapsâ sub Cæsaribus iniquiore temporũ iniuriâ, suffectos Imperatores video Prudentum coronâ cinctos, & quocumque pergerent, ambulatorium veluti secum trahere Senatum; omnia enim qualiacumque essent dignitatum munia, (cùm ab vno conferrentur Principe) gratia frequentius quàm vlla virtus impetrabat; at adlegi in consilium Cæsaris, solâ merebatur prudentiâ, solâ scientiâ, solâ sapientiâ.

*Iurisperitos qui tutelam gerere cæperunt, *in consilium Principũ assumptos*, optimi, maximique Principes nostri constituerũt excusandos, quoniam *circa latus eorum agerent*; & honor delatus finem certi temporis ac loci nõ haberet. *l. 30. in princip. ff. de excusatio. tuto.*

a Vid. l. 2. ff. de orig. Iur. vers. finem.

Da igitur quid augustius, si potes, corruerunt Reipublicæ ordines, iacent liberi populi dignitates, vmbra non corpus iam comprobatur Senatus ille, populus ille, cuius vt insignia agitantur ventis, sic & conditio Domini vnius iactatur imperiis; & interim ipsa Iurisprudentia suum veluti tot è ruinis fabricata trophæum Maiestatem subinduit dominantis; illi siquidem viros subministrat, qui vice consilij quod præstent, Imperij recipiant portionem. Adrianum *b* adi, quisquis es, & si consilij res agitur, num Priscum, Iulianum, Celsum obseruabis adsessores non tam purpuræ quàm iustitiæ; imò purpuræ quia iustitiæ. Sed & Marco *c*

b Cùm iudicaret, in consilio habuit, non amicos suos, aut Comites solum; sed Iurisconsultos & præcipuè Iulium Celsum, Saluium Iulianum, Neratium Priscum, aliosque quos tamen Senatus omnis probasset. *Spartian in Adrian.*

c Visus autem est Scęuolâ pręcipuè Iurisperito. *Capitolin. in M. Anton. Philosopho.*

d Multa de Iure sanxit, vsusque est Iurisperitis Vinidio Vero, Saluio Valente, Volusio Metiano, Vlpio Marcello, & Iaboleno. *Capitolin. in Antonino Pio.*

Philosopho numquid Scæuola adfuit in sanciendis etiam legibus? Num Pium *d* Antoninum Valens, Metianus, Marcellus, Iabolenus suâ peritiâ vallarunt? Num Papinianus Seuerum? num denique Alexandri latus cinxerunt *e* Alphenus, Vlpianus, cæterique omnes quos historia nominat, quasi extunc Iustinianeo *f* more, legibus armaretur pectus Principis, protectoresque ille acciperet ex vtraque militia?

e Negotia & causa priùs à scriniorũ Principibus, & doctissimis Iurisperitis & sibi fidelibus, quorum primus tunc Vlpianus fuit; tractari, ordinarique, atque ita referri ad se præcepit; leges de Iure populi & fisci moderatas & infinitas sanxit; neque vllam constitutionẽ sanciuit, sine viginti Iurisperitis, iisdéque disertissimis non minùs quinquaginta, vt non minùs in consilio essent sententiæ quam Senatusconsultum conficerent, & id quidem ita, vt iretur per sententias singulorum, ac scriberetur quid quisque dixisset, dato tamen spatio ad disquirendum cogitandumque priusquàm dicerent, ne incogitati dicere cogerentur de rebus ingentibus; Fuit prætereà illi consuetudo, vt si de Iure aut de negotiis tractaret, solos doctos & disertos adhiberet. *Lamprid. in Alexandro.*

f *Vide proœmium institutio.*

g *V. l. 1. ff. de Iust. & Iure.*

h In rebus omnibus vnius Iuriscõsulti cõsilio vsus est (Alexander) & præter hunc vnum, neminem solum in colloquium admisit; Id verò indignè ferebant milites, vel eâ potissimùm causâ quòd ex huius viri consilio à Cæsare in officio retinebantur duriùs, & cum hoc nomine irruentes semel in eum, mortem minitarentur; prosiliit Cæsar & suum corpus periculis Vlpiani interposuit, & suo eum pallio texit, vt intelligerent milites salutem Vlpiani Cęsari curę esse. Insigne hoc erat virtutis Imperatorię exemplum, quo significatur clarè maximos Principes vitam & corpus suum pro iustitia & ęquitate conseruanda postponere debere. *Chronic. Carion. anno 225.*

Nec illi sanè, codices solos apti erant reuoluere aucupia-ue obseruare syllabarum, vnus siquidem ex illis cognitâ rerum quas agitabant sublimitate facundo pectore eructat *g*, IVRIS ET IVSTITIÆ EOS ESSE SACERDOTES, SAPIENTIAMQVE PROFITERI NON VANAM, SED VERAM. Vlpianus *h* ille fuit qui cùm assiduè sacrum Cæsaris cinxisset latus, & ab ipso etiam toto obiecto corpore meruit protegi. O plena dignitate Principis custodia, quæ ipsius etiam periculo Principis non tam commendatur quàm compensatur!

CAPVT XVI.

Prisci apud Gallias Iurisperiti.

LOngum esset, nec sine tædio cæteras Prudentium in orbe Romano ad Gallica vsque sæcula recensere vel partes vel dignitates; maximè cum occupatis Occidentis partibus, Quæstores *a* nihilominus totos se Prudentium dare responsis iubeantur, voxque non Imperiali remissior intonet, professionem *b* esse Iustitiæ legum peritos Iudices ordinare; saluâ verò orientali plagâ opus desperatum *c* per multos annos, consummatum tamdem exurgat, Principali quidem curâ, sed solâ tamen Prudentium operâ, quapropter misso tum de horum, tum de inferiorum temporum Iurisperitis prolixiori sermone, ad nostra aduolamus regna & sæcula.

a Totum te legibus, totũ responsis trade Prudentium. *Cassiodo. 10. variar. 6.*

b Professionem constat esse Iustitię legum peritos Iudices ordinare, quia vix potest negligere qui nouit ęquitatem nec facilè erroris vitio sordescit quem doctrina purgauit. *Cassiodo 8. variar. 18.*

c *Proœm. instit. §. 2.*

Obscurior autem, quàm tanti claritas muneris videretur exposcere, fuit huius-ce studij apud nos professio; vix enim quicquam de illa scriptum inuenies in prioribus sæculis, ni velimus paradoxeo quadamtenus contestari more, splendidiùs è tanta obscuritate lumen enasci. Et sanè, si nulla vera est sine scientia Iuris Aduocatio, cùm supra probauerimus sub prima atque altera nostrorum Regum sobole fora *d* non vacasse Causidicis, indubitatum relinquitur, nec Consultis fuisse destituta, maximè cùm leges & sanctæ & prouidæ per illa ipsamet sæcula à piissimis sancitæ fuerint & Augustis & Regibus. Sed & insuper, carebant his temporibus lue venalitiâ quæcumque Tribunalium potestates; an ergo ignari deligebantur Assessores, Missi, Comites, Scabinei, & non potiùs Iuris patrij imbuti scientiâ, instructi peritiâ, cessante quâuis aliâ ad impetrandos Magistratus viâ? Quapropter hos-ce priscos disciplinæ nostræ patres non immeritò possumus dicere nostri Iuris ciuilis *e* scientiam, omnium artium benè viuendi disciplinam vitâ magis quàm literis commendasse.

d V. lib. 1. cap. 33. 36. & 37.

e Qui cùm cætera literis mandarent, alij Ius ciuile, alij orationes suas, alij monumēta Majorum, hāc amplissimam omnium artium benè viuendi disciplinam, vitâ magis quàm literis persecuti sunt. *Cicero 4. Tusculana sub princip.*

Sub vltima tamen stirpe Regia splendidiùs Iuris scientia emicuit, nominatis etiam qui illâ eminuerint apud Scriptores viris; Admisso *f* quippe, suggerente Irnerio, quod apud Byzantinos asseruabatur Romano Iure, atque è Germania in nostras etiam aduecto terras, probari cœpit à nobis illius & æquitas & vtilitas, licet vel teste *g* Honorio, nequaquam pro lege patria admissum fuisset. Hinc translatæ à Fontano *h* in linguam patriam nonnullæ tum Codicis tum Pandectarum paginæ nostrisque accommodatæ moribus; hinc *i* Bella-perticensis publicata volumina; hinc *l* efforma-

f Notauitque optimè vnus Interpretum esse aliquid à veteribus illis Iurisconsultis tam sagaciter & acutè, tamque admirabili æquitatis temperamento excogitatum, vt in nostrorum hominum ingenia tanta vnquam sagacitas & solertia cadere non potuerit; quod cùm primus Occidentalium didicisset Irnerius qui Antecessoribus Constantinopolitanis operam dederat, auctor ille fuit circa annum 1130. Imperatori Lothario, vt cæterarum legum quæ eâ ætate obtinebant barbariem profligaret, atque intermortua tamdiu diuæ illius prudentiæ studia, non accerseret modo; sed & doceri etiam in scholis, seruarique deinceps in iudiciis promulgatoque in id edicto iuberet. Nullus ex eo tempore laborum finis apud cuiusque gentis studiosos, vt deterso squalore rudis sæculi, puriores tandem cultioresque haberentur tam pretiosę Imperij Romani reliquię; nullusque ferè in hunc diem qui non fateatur ius illud omnium Christianarum Gentium vsu & approbatione commune ideò effectum, quia non authoritate & imperio, sed per se continuisque rationum viribus adrepat animis legentium, mirâque arte ac ingenio, & boni ac periti artificis instar componat singula quæque in rebus seu priuatis, seu publicis. *Mornac. ad l. 1. in princip. ff. de Iustit. & Iure.*

g Quia tamen in Francia & nonnullis Prouinciis, Laïci Romanor. Imp. legibus non vtuntur. *Honorius in cap. 28. de Priuileg. & excess.*

h *Mais que direz vous, dis-je, de Messire Pierre de Fontaines, Autheur du liure de la Reyne Blanche mere du Roy S. Louys, auquel sont contenuës plusieurs de nos Pandectes & de nostre Code tournées en vieux François & accommodées aux vs & coustumes du temps?* Dialog. des Aduocats, Confer. 1.

i *M. Pierre de Belleperche qui fut depuis si grand Docteur en Droit Ciuil & Canon, que Cynus, Bartole, Balde & autres le citent souuent auec honneur.* ibid. *il viuoit sous Philippes le Bel vers l'an 1300.*

l Obseruarunt ista longè plurimi maximéque inter nostros; Durandus summus doctor Gal-

lus (Speculatorem & vocant) Tit. de Emphyt. qui ſcripſit circa annum 1311. *Mornac. ad l. 1. ff. de Iuſtit. & Iur.*

tum Durandi Speculum, hinc exaratus à *m* Brolio ſtilus, hinc & à *n* Gallo collecta Curiæ placita Romani Iuris, vbi res poſtulaſſet allegatis textibus exornata, ſingulis, ſuâ ætate, manum tanto operi admouentibus, cùm è Romanarum legum notitia fuiſſent vehementiùs excitati.

m Stylus tamen iſte ante ducentos annos circa annum 1330. deſcriptus eſt non publicâ authoritate vllâ, ſed priuatâ qualicumque operâ Guillelmi de Brolio temporis illius in ſuprema hac Curia (tunc recenter Pariſiis per Ludouicum Hutinum fixa) Aduocato. *Molin. in Præfatio. ad Styl. Parlam.*

n *Arreſta Ioan. Galli. inter opera Molin. tom. 2.*

CAPVT XVII.

Quibus licuerit vltimis ſæculis de Iure apud nos reſpondere?

AT quibuſnam apud nos licuit è Maiorum inſtitutis iura populis vel condere, vel reſpondere? Condere, dico; licet enim ſolius ſit regnantis fabricare leges, & edicere; haud rara tamen apud nos non tam moris quàm Iuris Gallici celebrantur principia *a*, quæ ſuos vel è foro authores habuerint, vt nec in eo Prudentes noſtri, Romanis inferiores poteſtate comprobentur. Quibus-nam ergo, vt ad rem redeam, tantum munus licuit? Locum ſanè ſi ſpectes, Forum, vt plurimum hemicyclij ſcena fuit, ſed ad illud tamen cuiuſcumque dignitatis acceſsêre viri, Sapientium non tam ambientes titulum quàm ferentes. Intuere, quiſquis es, *b* Villetanum & Fontanum, qui ipſi-met etiam diuo Principi facti Aſſeſſores populis nihilominus recta ſuggeſſere conſilia reddidere oracula. Quid de toto dices à libellis Magiſtrorum *c* Collegio? nonne frequentiſſimos celeberrimoſque dedit plebi noſtræ reſponſores, qui ſepoſitis etiam ad tempus, ſi ita fas eſt dicere, Maieſtatis inſignibus, è potentia, ad prudentiam aduolarent, iuſté-

a *Telles Regles ſont celles-cy & ſemblables, dont les Autheurs ſont icy cotteZ. I. Aucun doüaire n'eſt tenable quand il ſurpaſſe la moitié du vaillant de celuy qui doüaire.* Iean Filleul. *II. Femmes roturieres peuuent renoncer à la communauté auſſi bien que les nobles.* Iean Iacques de Meſmes. *III. Celuy qui peut eſtre arreſté par loy & priuilege de Ville, eſt tenu d'y eſlire domicile.* Raoul de Preſles. *IV. Reſpits ny ceſſions de biens n'ont lieu en debte deniée & adiugée; loüage de maiſons; moiſons de grains: debtes de Mineurs contre leurs Tuteurs, Victuailles, ſeruice de mercenaires, & condamnation d'intereſts procedans de delict & quelques autres.* Pierre Rebuffe. *V. La femme mariée eſt doüée, non ſeulement de la moitié du bien qu'auoit le mary lors du mariage, mais encore de ce qui luy eſcheoit pendant iceluy en ligne directe.* Eude de Sens; Indice Alphabetique des Aduocats. Voy pluſieurs autres citez par Loyſel es Inſtitutes couſtumieres.

b *C'eſt celuy* (de Fontaines) *duquel le ſieur de Ioinuille eſcrit qu'il eſtoit ſouuent appellé auec Meſſire Geoffroy de Villette par le Roy S. Louys pour luy aider à rendre la Iuſtice à ſes Suiets.* Dialog. des Aduocats, Confer. 1. *Puis ſouuentesfois appelloit Monſeigneur Pierre de Fontaines & Monſeigneur Geoffroy de Villette & leur diſoit; deliureZ moy ces parties.* Ioinuille; en l'hiſtoire de S. Louys apres le commencement.

c *Les Maiſtres des Requeſtes conſultoient auſſi bien que les anciens Aduocats.* Molin. ad

queſt. 160 Ioan. Galli. & ex eo Mornacus ad l. 2. §. primus Auguſtus.ff. de orig. Iur.

que ſe probarent iudicare, quia rectè noſſent conſulere? Quis tibi ſenſus erit de Regiorum *d* Patronorum amplitudine? nonne & iſti conſilia impertire populo per multa ſæcula geſtierunt, impetratâ etiam ea de re ab ipſo Principe veniâ? Denique quid vel noſtra reſpondentium non refert adhuc corona, de Paſchaſio *e* apud ſupremos ærarij Præfectos Exaduocato ad forenſe reuerſo hemicyclium, tum de *f* Præſide Magiſtro, qui Purpurâ & infulâ dimiſſis, domum ſuam voluit totius ciuitatis extare oraculum? Prædicare amodò ſi lubet à tuis Sapientibus priſci Romani Iuris claritas; Patricios illi ſe fuiſſe dictitent, Prætorios, Conſulares; Quid huiuſce noſtri debet illis Hemicyclij celſitudo; in quo Principis Aſſeſſores & Patroni; Purpura inſuper & infula viri conſpicui, proprio denique ſpectabiles pondere Magiſtratus Cauſidicis nihilominus adunati ſedent, ſuoque conteſtantur ſæculo quia ingenuo, NOTA PROXIMITATE ADVOCATOS *g* ET SENATORES INVICEM SOCIARI.

d *Les Aduocats du Roy plaidoiēt auſſi & conſultoient pour les parties lors que le Roy n'y auoit point d'intereſt, ce qui eſt meſme remarqué par M. Iean Boutillier en ſa Somme rurale; & cela s'eſt continué iuſques au temps du Roy Louys XII. pour le regard de la plaidoirie; & iuſques à celuy de François I. pour le regard des conſultations; car lors que Maiſtre Robert Thibouſt fut receu Aduocat du Roy au Parlement, au lieu de M. Iean de Gannay lors premier Preſident & depuis Chancelier de France, ce fut auec permiſſion de plaider & conſulter pour les parties pourueu que le Roy n'y euſt point d'intereſt, & longuement apres Maiſtre Pierre Lizet, Guilaume Poyet & François de Monthelon eſtant faits Aduocats du Roy furent diſpenſez de conſulter.* Dialog. des Aduocats, Confer. 1. *V. Molin. & Mornac. vbi ſuprà & d. Mornac. ad l. 33. ff. ex quibus cauſ. Maiores.*

e *Apres auoir quitté ſur la fin de ſes iours à M. Theodore Paſquier Aduocat en Parlement ſon fils aiſné ſa Charge d'Aduocat General en la Chambre des Comptes, il retourna à l'exercice de ſa premiere vacation d'Aduocat en laquelle il mourut.* Sainte Marthe. Rapporté en la liſte des Aduocats de 1599.

f *Quant à Maiſtre Iean le Maiſtre, il fut Aduocat du Roy pendant la Ligue & depuis Preſident en la Cour, & y fut confirmé par le Roy, à cauſe de l'Arreſt de la Loy Salique, auquel il auoit preſidé: Arreſt qui fut en partie cauſe de faire ouurir les portes de Paris au Roy; c'eſtoit de verité vn fort & puiſſant Aduocat reſolu en poincts de droict, de couſtumes & de pratique. fort prudent & aduisé en ſes cauſes, ſelon qu'il a fait paroiſtre tant au Barreau, qu'en l'exercice de ces Eſtats: depuis ayant reſigné celuy de Preſident à Monſieur de Sillery, il voulut viure & mourir priué en ſa maiſon, en laquelle il conſultoit ſans aller au Palais & eſtoit ſouuent employé aux arbitrages.* Dialog. des Aduocats, Confer. 3.

g Notâ proximitate ſociantur Aduocatus & Senator. *Ennodius.*

CAPVT XVIII.

Conſulti dignitates aſſequuti & aſpernati.

SEd ſi dignitas in hemicyclio refulſit conſpicua, non deſuit etiam quæ à tantæ virtutis ſolio in ampliorem excreuerit Majeſtatem; nec vt id probemus, Guidonem *a* rurſus vel Yuonem nobis adducere eſt; non enim adeò ſolium noſtrum ſterileſcit vt in vno dumtaxat vel altero ipſi conquieſcere aut expediat aut oporteat? Et ſanè, num purpuratis Eccleſiæ Patribus annumeratus eſt

a *Vid. ſup. lib. 1. cap. 39.*

b M. Pierre de Fontebrac aussi Aduocat en ce mesme temps & simple Chanoine de Chartres ne s'entremettant que des affaires cõmunes au Palais, & principalement pour la defense des causes des Ecclesiastiques, fut fait Cardinal par le Pape Clement VII. qui lors seoit à Auignon, selon que disent nos Annales, car il n'est pas denommé entre les Cardinaux recueillis par Onufre. Dialog. des Aduocats, Confer. 1. Pierre de Fontebrac estant simple Aduocat des parties au Parlement de Paris & faisant sa charge auec integrité defendant les droits de l'Eglise, des pauures veufues & orphelins, fut creé Cardinal par le Pape Clement VII. seant en Auignon en l'an 1385. non seulement sans auoir fait aucune brigue, mais mesme sans qu'il y songea; ce qui fut attribué à vne recompense diuine de l'integrité qu'il auoit gardée en sa charge d'Aduocat. Indice Alphabetique des Aduocats.

quondam *b* Fontebracus, tanto cæteroquin probitatis elogio, vt inscius, nec quicquam simile attendens adlectus fuerit à Pontifice, ipsius scilicet potentiùs agente virtutis famâ, quàm multorum solertiâ? Sed & vltimo sæculo nonne Pratensis *c* itidem Cardinalitiâ fulsit purpurâ? Quòd si ciuiles maluerimus quàm Pontificias intendere dignitates, cùm ciuilis sapientiæ professoribus magis illæ conuenire videantur, an nostra vel in hoc disciplina quicquam Romanæ cedere innotesceret? Quis enim nescit è Consultis ad Senatoriam tandem prouectos infulam Lizetium *d*, Thuanum, Seguierium, Magistrum? Ad Purpuram Brulartium, Marilliacum, Tiraquellum SVI PROCLAMATVM VARRONEM SÆCVLI? Ad Præfecturam Alberium, ad Regij annuli custodiam, Montholonios, ad supremum dignitatis fastigium, Foresium, Dormantium, Pratensem, Oliuerium, & si memorari non piget Poyetium; Denique innumeros alios ad primarias supremorum Tribunalium assumptos potestates, tunc sibi inuicem (ô sæculi decor illius!) Tunc, inquam, sibi inuicem mirâ penitus reciprocantibus Præturis concordiâ; priuatis scilicèt & publicis. Iam ergo sæcula Romana exæquauimus in demerendis gerendisque supremis etiam Imperij dignitatibus, at in recusandis victi-ne sumus? Haudquaquam sanè, bono enim penitus nostro, seu potiùs ad majorem disciplinæ nostræ gloriam Molinæus *e* inuentus est, qui Senatorium sibi munus oblatum, & à Curia, vt tunc moris erat, vltrò delatum constanter

c M. Antoine du Prat, auoit esté Aduocat, qui depuis fut fait Chancelier, Archeuesque de Sens Cardinal & Legat à latere en France. Dialog. des Aduocats, confer. 3. Indice Alphabetique. *in verbo* du Prat.

d Pour connoistre ce qui est dit des cy-nommez, il ne faut que voir l'Indice Alphabetique en chaque nom & aux endroits qu'il renuoye.

e Testatum reliquit (Molinæus) circiter viginti annis ante id tempus se bono publico cœpisse scribere ac Iurisprudentiam Gallicanam in oculis omnium mortalium ponere; quo studio ita affectus erat, vt recusauerit munus Consiliarij Regij à Senatu Parisiensi, sibi vltrò delati, vt tunc moris erat, existimans se non posse simul ei muneri quod graue est, & librorum compositioni operam dare. *Papyr. Masso in vita Molinæi.*

abnuerit, ne à Iuris perpolienda doctrina, cui potissimùm incumbebat, præ Iudiciorum tædiis auocaretur. O dignum penitus Parisiensis hemicyclij Maiestate virum! En nonne alter in nobis Labeo, multa ingenij qualitate & doctrinæ fiducia de ciuili Iure nostro innouans non in faciliùs, sed in meliùs, priscique Labeonis constanter adeò anteuertens vestigia, vt non suffectitias *f* dumtaxat sicut ille fasces, sed ordinariam Purpuram Iuris studio posthabuerit. Cur tantus homo sanæ fuisse fidei è suis potiùs quàm è mortuorum codicibus non probatus est? Nec verò vnicum hunc dignitatis recusantem forum nostrum protulisse putandum est; non enim immemores Airaldi, *g* Martillerij, Gallandii qui Comitiniæ sibi

f V. sup. cap. 13 litt. f g

sibi delatæ potestati, Iuris præferentes disciplinam; maluerunt in Sapientium sedere solio quàm Principum; Sic ergo nostrum splendescit Hemicyclium, suorum nedum dignitate Nestorum, sed & modestia, Sapientesque profert non minùs detrectatis conspicuos honoribus quàm impetratis.

CAPVT XIX.

Quadrigarius, Versorius, Portæus, & Odoardus.

PRosequamur autem & dicamus Labeonem in Molinæo nos tenere, sed & Pegasum in *a* Choppino *b*, si Massoni credimus, vel Tuberonem si Mornacio; Pomponium in Loysellio *c*; Aquilium in *d* Conchylio; Cæcũ Appiũ in Bœssellio.* Verùm obruere nos videtur Sulpitij iustitia, Crassi eloquentia, Mutij doctrina; quos enim in anterioribus inueniemus sæculis qui tantas ingenij dotes & animi nobis exposuerint, quantas in illis populus Romanus gloriatur exhibere? Nil tamen quod desperemus nobis vel vltimum videtur sæculum inclamare, cùm viros tulerit nequaquam præfatis impares, si spectes studia; at longè superiores, si morum attendas exercitia.

* *Pictauiensis erat Causidicus, de quo Mornacius ad l. 2. ff. de orig. Iur. §. 86.*

a Pegasum Iureconsultum excellenti memoriâ rerum & verborũ fuisse traditum est; nec verò imparem illi Renatus cognomine Choppinus nostrâ ætate se præbuit, cuius memoriã Senatus Parisiensis admirari & in cælum ferre cum viueret, postque exitum vitæ, laudare amplissimis verbis ac posteritati commendare testarique visus est. *Papyr. Masso. in vita Choppini.*

b Quantùm verò optauerit studiosus quilibet, vt ne velut antiquo sermone affectasset scribere ingens illud fori Gallici ornamentum Ren. Choppinus, tædiosa enim ex hoc librorum illius lectio est. *Mornac. ad l. 2. §. Tubero sermone antiquo. ff. de orig. Iur.*

c *M. Antoine Loysel Autheur du* Dialogue des Aduocats, & autres opuscules.

d *M. Guy Coquille, qualifié subtil.*

Et primus quidem *e* Quadrigarius ille est quem ætas vltima totius nostri ordinis Coryphæum, Iurisconsultissimum, probitate eximium, honore conspicuum vel ipso teste Molinæo & agnouit & proclamauit; Senatoria verò infula tantâ Maiestate plenum venerata est, vt an illi quandoque anteiret, toto stupente *f* sæculo.

e Math. Quadrigarius, cuius etiã sanctitas ac peritia tantis passim elogiis celebratur à Doctore fori Gallici Carolo Molinæo. *Mornac. ad l. 2. §. Caius Scipio Nasica. ff. de orig. Iur.* Coætaneos sui ordinis laude dignos excellit (Molinæus) vt Mathæum Quadrigarium his verbis. In consessu Peritorum audiui consultissimum totius ordinis nostri nemine dissentiente respondentem & in consiliis nostrum Coryphæum tum vocari. *Papyr. Masso. in vita Molinæi. Or entre les Aduocats celuy qui tenoit le premier lieu des Consultans estoit feu M. Mathieu Chartier, &c. Estant donc en mon ieune aage fort ancien Aduocat, il ne venoit plus guere au Palais. Mais le Palais, s'il faut ainsi dire, alloit chez luy, car il estoit comme l'oracle de la ville à cause tant de son sçauoir, experience & long vsage, que de sa preud'hommie & integrité de sa vie.* Dialog. des Aduocats, Confer. 3.

f Tantâ ille & summus & dignissimus Præses (Christophorus Thuanus) humanitate fuit & erga illos celebres Patronos, inter quos etiam ipse floruerat, reuerentiâ; imò tanta, vt aliàs visus sit in ęde D. Andreę etiam iam Præses aliquando noluisse oblationi faciendæ anteire illum quem toties consuluerat Mathæum Quadrigarium, Iurisconsultissimum probum & venerabilem senem. *Papyr. Masson. in vita Carol. Molin.*

lo dubitârit. Da, Marce Tulli, da, inquam, si potes, Seruij titulos quorum Quadrigarius indigus videatur; non tam Iuris enim *g* quàm Iustitiæ Consultus fuit, ita vt quodcumque proficisceretur à legibus ad æquitatem referens, diligentiùs studuerit controuersias tollere quàm legum constituere actiones. Sed & *h* aliis etiam continentiæ, grauitatis, fidei, constantiæ virtutibus excelluit quas Sulpicio tribuis; ita vt Consultores non passim *i* sed turmatim ad illum accederent, tāta viri istius, nota cuique fuit sanctitas. Auditores etiam si spectes, numquid vel vnus *l* Molinæus Quadrigarij obseruator, Alfenos, Ofilios & quotquot recensentur profecisse *m* sub Seruio, si non vicit, saltem æquauit? Nec illum tandem statua *n* pro rostris posita indiguisse iam cognoscimus, datâ scilicet *n* sobole quæ non in capite platearum, sed in ipsis Curiæ penetralibus genitoris dotes eximias haud remissiori posteris publicauerit exemplo quàm animo.

g Omnes ex omni ætate qui in hac ciuitate intelligentiam Iuris habuerunt, si vnum in locum conferātur, cum Ser. Sulpitio nō sunt comparandi; neque enim ille magis Iuris Consultus quàm iustitiæ fuit. Itaque quæ proficiscerentur à legibus & à Iure ciuili, semper ad facilitatē æquitatemque referebat, neque constituere litium actiones malebat, quàm tollere controuersias. *Cicero Philip. 9.*

h Aliis ego te virtutibus, continentiæ, grauitatis, iustitiæ, fidei; cæteris omnibus Consulatu & omni honore dignissimum iudicaui. *Cicero pro Murana.*

i *Il ne venoit plus guere au Palais, mais le Palais, &c. sup. litt. e*

l Quem (Quadrigarium) & Gabrielem Mariliacum consulebat (Molinæus) *Papyr. Mass. in vita Molin.*

m Ab hoc plurimi profecerunt, ferè tamen hi libri conscripserunt Alfenus, &c. *l. 2. §. 44. ff. de orig. Iur.*

n Seruius Sulpitius statuâ pro rostris donatus est, quia Legatus ad Antonium mortuus fuisset; impetrante Cicerone Philippica 9.

o *Il estoit pere de feu M. Chartier qui mourut Doyen des Conseillers du Parlement, & qui pendant la Ligue ayant esté fait premier President par M. de Mayenne, suiuant l'eslection qui en auoit esté faite par la Cour, se bannit volontairement du Palais, sans y vouloir retourner, iusques à ce que Dieu nous ayant fait la grace de reduire la Ville en l'obeissance du Roy, il reprit plus volontiers la place de Conseiller que l'honneur de premier President qui luy auoit ainsi esté deferé.* Dialog. des Aduocats, Confer. 3. *Feu Monsieur Molé Procureur General, depuis premier President & Garde des Seaux, estoit petit fils dudit sieur Chartier Conseiller.* Indice Alphabetique des Aduocats. *Et partant M. Matthieu Chartier Aduocat estoit bisayeul dudit sieur Molé, & trisayeul de M. de Champlasteux à present President au Mortier.*

Alter Versorius *p* est, cuius si spectetur facundia, Crassum, si doctrina, Mutium, vel vnus comprobetur adæquasse, ita vt adunatis qui diuisi fuerant titulis & eloquentissimus, & Iurisperitissimus à sua nobis ætate proponatur. Quanta, quæso, viri celebritas erat, vt vltimis vitæ suæ temporibus itare in forum desuescens, forum ipsum ad se traheret; totque fama sua Consultores alliceret, vt ab ipso peterentur dies, horæ, momenta, instantia? Simile-ne aliquid Romanum tulit hemicyclium; & numquid vel isto vno plus satis est ad Crassum adæquandum & Mutium, ideoque alterutrum superandum?

p *M. Pierre Versoris, estoit plein de belles & subtiles inuentions, & si fort entendu aux affaires du Palais, qu'encore qu'il l'eust, par maniere de dire, quitté, toutesfois le Palais ne le quitta iamais, sa maison estant vn autre Palais, iusques là qu'il luy falloit demander non seulement les iours, matinées ou apresdisnées, mais aussi les heures, lesquelles il distribuoit tellement aux vns & aux autres, qu'il y auoit perpetuellement des attendans en sa grande Salle, pendant qu'il consultoit en la petite. Et comme il estoit ainsi recherché sur les dernieres années pour les consultations, aussi auoit-il esté employé en ses ieunes ans plus que nul autre de son temps aux plaidoirses, comme celuy qui*

parloit auec vne eloquence viue, prompte & naturelle, & auec vne grande facilité & persuasi n; se qui le faisoit charger des plus grandes & plus belles causes de son temps. Dialog. des Aduocats, Confer. 3.

Attamen, vincat ille solus Crassum, non deest etiam qui suâ virtute Mutium obruat & superet. Portæus *q* autem ille est, nunquam, vt ait Mornacius, aut Consultoribus, aut iunioribus Togatis Mutius inuentus, tanta viri comitas profundam quâ pollebat doctrinam sublimabat. Et sanè, quid tua mihi prodest doctrina, Muci *r*, si ad alterum tertium-ue quæsitum non des responsum, sed probrum? Superbit *f* illa scientia, tumidoque inflata spiritu, non tam te decorat quám turpat. Sed fœlicior insuper Mucio Portæus inuentus est, si spectemus sobolem, cùm totus terrarum orbis vel ad vnius nepotis *t* fortunam obstupuerit, nomen contremuerit.

q *M. François de la Porte.* Amor ille olimfori, nec vnquam Mutius, iuueni Togato, &c. *Mornac. in feriis forens.* Audiui sæpissimè clarissimum illum non ita pridem fori Paris. Patronum Francisc. Portanum Parthenacensem fuisse apud omnes Consultores suos, maximè verò apud Causidicos iuniores, comitate tam eximiâ & suaui, eamque splenduisse in eo ὁμιλητικὴν ἀρετὴν tantoperè laudatam ab Aristot. lib. 1 Magn. Moral. vt & iura illos ciuilia Gallica, receptasque vsu quotidiano regulas comiter, vultuque semper & ore amico, neque vnquam tetrico & infesto doceret. *Idem Mornac. ad l. 2. §. post hos Q. Mutius. ff. de orig. Iur.*

r Seruius Sulpicius cùm in causis orandis primum locum, aut pro certo post M. Tullium obtineret; traditur ad consulendum Q. Mutium de re amici sui peruenisse; cúmque eum sibi respondisse de Iure Seruius parùm intellexisset, iterum Quintum interrogasse & à Q. Mucio responsum esse, nec tamen percepisse, & ita obiurgatum esse à Q. Mucio; Namque eum dixisse, turpe esse Patricio & nobili & causas oranti Ius in quo versaretur ignorare; eâ veluti contumeliâ Seruius tractatus operam dedit Iuri ciuili. *l. 2 §. 43. ff. de orig. Iur.*

f Vid. inf. cap. 26.

t M. François de la Porte estoit grand pere du defunt Cardinal de Richelieu. Indice Alphabetique des Aduocats. *Il estoit donc pere de Dame Suzanne de la Porte, mariée à François du Plessis de Richelieu grand Preuost de l'Hostel, pere dudit Cardinal de Richelieu.*

Tibi-ne igitur vltrà quid debemus, ô Romani Hemicyclij claritas? Appende, si lubet, stateram, & vide an solium nostrum tuo collibratum minùs habens inueniatur. Id certè nequaquam metuimus, te licet appensore, authore, Iudice; æquis dummodò seu potius & tuis & nostris adhibitis ponderibus. At si stat æqua lans, quod maximum totus orbis facere videretur, nostræ tua cedat iam nec esse est, non idoneo penes te lacomate reperto; Da enim quem ter Senatus alterutri è Consultoribus trutinatâ addixerit Sententiâ. Hic tamen apud nos est, Odoardus *u* scilicet ille, quem doctrinâ conspicuum, pietate eximium, ter vtræque litigantium illustrium postulauerunt turmæ, tanto cæteroquin ardore & studio, vt ter Curiam congregari necesse fuerit, quibusnam cederet prouido dirempturam Iudicio. Nil addimus, nil adjicimus; splendidius hoc factum est quàm vt nostro illustrandum sit calamo; satisque est quòd suo tandem pondere & lancem deprimat, & nostri gloriam solij supra cuiusuis alterius fastigium nedum euehat, sed & stabiliat.

u In Parlamento initiâte anno 1388. per Arrestum fuit dictum quod Magister Odoardus Aduocatus Regius esset cū executoribus Cardinalis Laudunen. Prioris S. Martini & de eodem consilio in quantum executio dicti Cardinalis duraret, licèt antequàm executores dicti Cardalis locuti fuissent dicto Odoardo super hoc, Prior nouus retinuisset eum de consilio suoi

tanquam Prior. Ratio decidendi fuit quia hæreditas iacens repræsentat defunctum,& attento quòd de consilio dicti Cardinalis semper fuerat dictus Magister Odoardus, erat quasi continuatio cum eius executoribus. Et idem dictum fuit quid fieret de executoribus Episcopi Nouiomen. de cuius consilio fuerat dictus Magister Odoardus retentus videlicèt quod esset cum executoribus Episcopi defuncti, de cuius viui consilio fuerat. Secùs tamen esset respectu aliorum, de quorum consilio ante erat dictus Magister Odoardus ad nouum Priorem,& nouum Episcopum; & idem in hæredibus defuncti retinentis dictum Odoardum, quia esset cum illis, de quorum erat priùs consilio; quia esset noua retentio per hæredes vel nouos Episcopos, non continuatio vt in casu præcedenti. Ita dictum fuit in Parlamento initiante 1390. videlicet quòd licèt fuisset Magister Odoardus de consilio patris Comitis Bononien. & post eius mortem fuisset retentus de consilio Domini Petri de Craon; quòd esset cum Domino dicto Petro, non cum Comite Bononien. qui post mortem patris sui eum retinuerat, sed post retentionem dicti Domini Petri, nisi in causis cœptis tempore patris Comitis, nec est idem de hæredibus & executoribus. *Ioan. Gall. q. 160.*

CAPVT XX.

Solis tandem Emeritis Aduocatis Ius consulendi fuisse vindicatum.

LOngum esset, sicut de Romanis iam diximus, cæteros hemicyclij nostri Nestoras sigillatim attingere; scriptis alij; alij sermonibus; alij factis etiam priscos deuicêre Sapientes, Vrsinius *a* præsertim necnon Talæus *b*, quorum præfracta constantia Stoïcã superauit fortitudinem, dum probatã suã in Principem fide, bonis & fortunis ab irata plebe spoliati sunt, nullatenus tamen remisso vel animo vel eloquio. Expergiscere igitur, quisquis es, post nos forensis palæstræ Heroas digno prosecuturus calamo; Accingere ad opus Laërtiano & diffusius & augustius; nulla non tibi sublimis aderit materia, nulla non virtus & Heroïcã splendidior, & Philosophicã clarior. Nos interim quos suscepti pensi festinare cogit grauitas, vltimam vltimi sæculi attingemus disciplinam, quæ solis voluit cedere *c* Causidicis hemicyclij dignitatem.

a Encore ne put-il eschapper (des Vrsins) *qu'il ne fut mis prisonnier au Chastelet par l'ordonnance des Mutins qui commandoient à Paris l'an 1413. à faute de payer la somme de deux mil escus à laquelle ils le cotiserẽt, dõt il fallut payer vne partie contant, & leur donner asseurance du demeurant, & si tous ses meubles furent pillez lors qu'il s'enfuit de Paris, lesquels montoient bien à seize mil escus, & outre il auoit esté desappointé de la Presidence de Languedoc & de l'Estat de Chancelier de Monseigneur le Dauphin pour l'auoir trop bien serui, ayant refusé de sceller des dons excessifs qu'il faisoit; mais il porta ces pertes & infortunes de si grand courage qu'il montra auoir lors, qu'il trouua en vn instant quatre ou cinq cent cheuaux dans Paris pour empescher que le Duc de Bourgogne n'emmenast le Roy auec luy; & lors encore il fit porter parole au mesme Duc qu'on le trouueroit à la Barriere de la Porte Bordelle, qui est celle qu'on appelle à present de S. Marcel, pour auoir raison de celuy qui auoit mis le feu en sa belle & plaisante maison de Ruel, qui montre qu'il estoit homme, non seulement de parole & de conseil, mais aussi de main, de hardiesse, d'effect & d'execution quand il en estoit besoin.* Dialog. des Aduocats, Confer. 1. sur la fin.

b M. Omer Talon. *Il fut homme plein de cœur & de generosité, affectionné au seruice du Roy, dans lequel s'estant engagé pendant les cinq années des troubles, il fut mis prisonnier à la Bastille, & luy cousta tout son bien pour payer sa rançon, &c. Il a vescu iusques à l'aage de 60. ans occupé dans le Palais, & intelligent en sa vacation; aymé de ses Confreres, &c. L'on a veu & voit-on encore à present sa posterité dans les Charges; son fils aisné M. M. Iacques Talon ayant esté douze ans Aduocat General au Parlement, & mort Conseiller d'Estat ordinaire. Et son second fils M. M. Omer Talon exerçant encore à present la mesme Charge d'Aduocat General, lequel apres 20. ans de seruice y a fait receuoir depuis peu en suruiuance pour luy succeder M. M. Denys Talon son fils.* Liste des Aduocats de l'année 1599.

c Poyetius ille anno 1531. Regius Aduocatus factus frequentiam lucrosam Consultationum

continuauit, & reliqui deinde sic fecerunt; Quin etiam idem factitabant quidam Libellorum supplicum in aula Magistri, donec anno 1546. abstinere iussi sunt. *Molin. ad 160. qu. Ioan. Gall.*

Quis, quæso, Genius ille fuit? & an propitius nobis, an infensus dum lato etiam Curiæ Decreto, amandauit á cœtu Prudentium Regios in Senatu Patronos, supplicumque Magistros Libellorum? Et audire mihi videor iratum nobis aliquem venenato euomentem pectore, rectè omninò sibi tunc relictam fuisse sapientiam illam ciuilem, & à congressu secretam illustrium in viliorem recidisse sortem, cùm Potestates, cùm Dignitates non eo quo anteà, sed altero prorsus ritu deferri inciperent, vt edocta illa se in posterum ab honoribus abactam & imperiis, non ampliùs in suo sinu gestaturam nosset, quos in posterum proferre non valeret. Verùm, dic, quæso, adlatrator, quisquis es, an illa sapientia, dehonorata fuerit, an abiecta? Si abiecta, quo pacto illustres accesserunt ad eam, seruatâ suæ amplitudinis & claritate & Majestate? Quòd si honorata; iam ergo non vilior extitit dum sibi soli relicta est; nec ab illis fuit spoliata à quibus non fuerat ditata. Nonne igitur melius esset ore ingenuo, nec non pectore contestari, cælum ex tunc peculiari prorsus studio Causidicinæ fuisse propitium, dum è sua primæua claritate Imperiorum labente disciplina, forensem nostram operam nedum in ortu suo seruauit ingenuam *d*; sed & in senio, sed & in extremo? Quid enim, illud statuere, fuit aliud quàm dicere; SAPIENTIA NON REDIMITVR; PRVDENTIA NON DISTRAHITVR; LABORE SOLO, VIRTVTE SOLA, ET COMPARATVR ET CONSERVATVR; QVI MVNERA, QVI IMPERIA QVO IAM DEFERVNTVR MODO ADEPTI FVERINT, SVA SORTE CONTENTI VIVANT; SED HAVD ÆQVVM EST ILLOS ADTRECTARE DISCIPLINAM A QVA NVLLVS NISI CAVTVM, NISI PRVDENS, NISI IVSTVM, NISI SAPIENS VELLET CONSILIVM ASSVMERE. PRÆSTATVR HOC A PERITO NON EMITVR; SAPIENTIA QVIPPE NON NVMMARIA EST IN ORTV SVO, SED VSVS *e*, SED MEMORIÆ FILIA COMPROBATVR.

d V. lib. 2. cap. 8.

Attamen sepositâ immodestiore loquelâ, nos qui potestates venerari nouimus & Principes, vnico nostrorum Regum genio tantùm illud acceptum referre beneficium nec renuimus vnquam, nec cessabimus; Illis enim, vt iam suprà retulimus, gratia hæc debenda est, qui ne *f* Adriano inferiores viderentur, laboriosæ fori militiæ assignauerunt otium, non ignauum, sed honestum; vtque non vilior in vacatione muneris quàm in professione comperiretur occupatio, nil in vtraque nisi liberale, nisi honestum, nisi ingenuum voluerunt deprehendi; præstabitur igitur non petetur sapientiæ illius professio; Magistratus verò ab illa semoti sunt, VT NATOS SE NOSCANT AD FERENDA NON RESPONSA, SED IVDICIA.

e Sapientia dicitur ab Afronio filia vsus & memoriæ. *Aul. Gell. lib. 13. cap. 8.*

f V. lib. 2. cap. 8. fine.

Et hæc quidem quantum ad nos dixisse sufficeret, at si prisca Romana spectamus sæcula; non satis est, cùm nostra illis tempora in hoc etiam præcipuo exæquata se demonstrent. Laudandum *g* sanè est, ô Crasse! ætatis illius quam suspicabas studium, Patronis & Consultis promiscuâ cedens operâ, præclaroque sublimans exer-

g V. sup. cap. 10. litt. e. cap. 11. litt. e Dein prosequitur Cras-

citio; & solium eloquentiâ, & forum Iuris peritiâ; Quid tamen illa ætas tulit eximium quod nostra tandem non ferat? An quia Patroni nostri stant in suggestu solium spernunt? An quia sedent in hemicyclio standi necessitatem contemnunt? Quin-imò, præclara visuntur ferè in singulis, inuerso feliciter ordine & iuuenum consilia, & senum opera, stupente sæculo viuidos in senecta perstare eloquentiæ neruos, maturos in iuuenta nitere sapientiæ titulos; decidit tamen, ô Crasse! flos ille ciuitatis tuæ nec ad tua vsque peruenit tempora nisi flaccidus & marcidus; at noster vegetior, qui benigniori afflatus sidere aduertatur in dies virescere, nec arescere. Cæterùm & hoc consulendi præcipuum Aduocationi nostræ debebatur; Si enim Consulti castrorum Præfectos *b* referunt, quibus meliori titulo debebatur hæc Præfectura quàm Aduocatis, qui labores in foro exhibent militares?

sus *d. lib. 3. de Orato. num. 21.* Nunc contra plerique ad honores adipiscendos & adRemp. gerendam nudi veniunt, atque inermes, nullâ cognitione rerum, nullâ scientiâ ornati. Sin aliquis excellet, vnus è multis, effert se; si vnum aliquid affert vt bellicam virtutem & vsum aliquem militarem, quia sanè nunc quidem obsoleuerunt, aut Iuris scientiam, ne eius quidem vniuersi, nam Pontificium quod est coniunctum, nemo discit. Aut eloquentiam, quam in clamore & in verborum cursu positam putant; omnium verò bonarum artium, denique virtutum ipsarum societatem cognationemque non norunt.

b Vigilas tu de nocte vt tuis Consultoribus respondeas, ille vt eo quò intendit, maturè cum exercitu perueniat. Te Gallorum, illum Buccinarum cantus exsuscitat; Tu actionem instituis, ille aciem instruit; tu caues ne tui Consultores, ille ne vrbes aut castra capiantur; ille tenet & scit vt hostium copiæ, tu vt aquæ pluuiæ arceantur; ille exercitatus est in propagandis finibus, tu in regendis. *Cicero pro Murana.*

CAPVT XXI.

Vnde petenda sit nostrorum Consultorum institutio?

LÆtare post hæc, Aduocatio, nec iam te laborum tædeat vel pigeat; florescis etiam dum desudas, & ex iis quos profers floribus, fructus tandem erumpunt, sed honoris *a* & honestatis. Digna te sors post tot sæcula, tibi in nostro obuenit Foro, ea nimirum splendescere virtute in senecta, quâ fulgescis in adimplendo laborantium Patronatu; tibi quippe dicenti & agenti, Iuris peritia ingenuo prorsus ministerio famulatur; Et nunc, ancillula illa liberalis, fœcundis adeò tibi prodest luminibus, vt te penitùs vetulam parere adhuc faciat in splendoribus prudentiæ, tertiumque veluti filiorum ordinem in domo tua ponat & instituat. Tyrones igitur, Causidici, Prudentes, omnes extant filij tui, qui quidem ceu arbusculi *b* oliuarum in penetralibus basilicæ, in circuitu exhedræ, frondescunt, florent, fructificant; tanto cæteroquin apparatu, tanto ornatu, tanto instructu; vt haud immeritò dici queat Sapientia *c*, hanc sibi domum ædificasse.

a Flores mei, fructus honoris & honestatis. *Ecclesiasti. 20. vers. 23.*

b Filij tui sicut nouellæ oliuarũ in circuitu mẽsæ tuæ. *Psal. 127. vers. 3.*

c Sapientia ædificauit sibi domum. *Prouerb. 9. vers. 1.*

Et sanè; numquid in Tyronum, numquid in dicentium institutione apparuit, quantâ virtute, quantâ prudentiâ, quantâ sapientiâ vsi fuerint Majores in præstruendis definiendisque singulorum exercitiis? At remissior-ne Prudentium, Respondentium,

Sapientium denique ordinata est ab illis disciplina? Quid? Sapientia in aliis prouida in se-ipsa imprudens extitisset, plenaque extrinsecus intelligenti spiritu, intrinsecus vacua & inanis esset comperta? Haud quidem illud credere est de Sapientia ciuili, quæ non fuco, non præstigio, non specie dumtaxat & imagine laruata est; sed infucata, vera & solida prædicata semper fuit & comprobata.

Nostri igitur hæc pars etiam pensi est, Prudentium recensere instituta, exercitia, officia, ne quid de Aduocato nobis excidat aut pereat, Aduocationi siquidem cedit ipsa etiam Respondentium corona, parsque fori nostri extat & celebrior & illustrior. Verùm, iam ab initio vos alloquor, conspicua sapientiæ lumina, & præ veneratione ferè tremulus, quonam ex fonte vestri studij petam institutionem humiliter expostulo; de Tyrone enim mihi quomodocumque licuit, è Maiorum eruta penetralibus explicare documenta, & qualicumque ad hoc seu authoritate vti, seu libertate. Causidicum etiam, si qualitercumque perstrinxerim, potuisse mihi visus sum, cui aliquamdiu supremi fori patuere atria & è suggestu datum est vel semel loqui. At pridem à Senatus cancellis ablegatus, nec sat temporis inibi consummato, vt ad vestri hemicyclij honores peruenirem, nonne temeritatis arguar, si vestra ausus fuerim attrectare & instituta & munia? Iterùm quâ mente, quo animo id opus aggressurus sum? An Nouatoris? an Correptoris? an Monitoris? Si Nouatoris; pestis sum, nec priuata tantùm, sed etiam publica, vt qui Maiores autumem nostros, secùs omninò quàm par fuisset tantam ordinasse disciplinam. Si Correptoris; insanio, vt qui doctrinæ meæ errare patres, vesano prorsus reputem animo; Denique si Monitoris; superbio, vt qui ausim iis suggerere, quorum vita, meæ propriæ regula est & norma. Quo fine igitur hic libellus à me susceptus est; & si dari potest vllus qui probari queat, quo ex fonte repetetur tanti Collegii sana institutio?

Verùm, æquior, ni mea me fallit, habebitur de me opinio, si quæcumque hactenus exarata sunt, æquâ librentur sententiâ. Nouatoris enim animum à me abfuisse sat patebit, cuicumque mea vacabit sensa digerere, non aliundè quàm à primæuis disciplinæ nostræ petita fundatoribus; Hanc autem si mihi-met ipsi imposui legem cùm de Tyrone, cùm de Causidico; quantò magis nunc cùm de Consulto agendum est? Nequaquam igitur, ô viri sapientissimi, Nouatoris, Correptoris, Monitoris mentem habeo; Consultum quidem delibo, quia imperatum id poscit opus; at vestram sapientiam neque suggillo, neque lacesso, quodque adhuc magis est; Consultum ipsum nequidem instituo. Et sanè; an quicquam innouandum est, vbi cuncta ritè instituta sunt? an improbandum, vbi prudenter perfecta? an suggerendum, vbi diligenter acta? an instituendum, vbi sapienter ordinata? Non, sanè, non studeo Consultum nostrum instituere, sed ipsius referre officia, nec adhuc aliunde quàm è vestris exornata moribus, in queis sagacissima Maiorum prouidentia, traduce animo, instituto, studio, ad nos vsque peruenit; & à nobis ni degeneribus, ad posteros transmittetur.

Hic meus animus est, hæc mens, hoc intentum, hoc consilium, vt remotis à Senatorio solio Consultis innotescat, quanta sit in vobis instituti obseruatio, quantaque ipsis incumbat vestræ prudentiæ imitatio.

CAPVT XXII.

Hodiernam Consultorum professionem veram adhuc esse ciuilem Sapientiam.

QVemadmodum igitur Senatorios obseruauimus tùm Tyrones, tùm Causidicos, sic nunc Consultos intuebimur, suis nihilominus animaduersuri locis, si quid aliud in cæteris denotandum occurrat. Et quidem à claritate professionis incipimus, quæ etiamnum hodie IVSTAM SIBI VINDICAT CIVILIS SAPIENTIÆ DIGNITATEM. Magnum sanè extat *a* semperque fuit SAPIENTIS elogium, adeo vt per multa etiam sæcula nemini Romæ fuerit inditum etsi non ignotum, quasi ciuitas illa, honorum sicut & laborum æqua dispensatrix, arduum putasset aut hominem tanto dignum titulo inuenire, aut artem cui deberetur indicare. Retulerunt tandem palmam qui Iuri dispensando incumberent *b*, ipsiusque Romæ iudicio, Iuris scientia, insigne ciuilis Sapientiæ præconium & meruit & tenuit. At illam, duplex veluti studium inuoluere quis dubitet? Alterum quidem, sublimis illius scientiæ quæ per altissima rerum principia earum assequitur notitiam; Alterum verò, quo ipsamet illa scientia ad consulendum periclitantibus inclinatur, adeò vt ista sapientia *c*, non in mera dumtaxat quiescat notione, sed ad directionem vsque & ordinetur & perueniat. Iam autem, quænam alia est nostrorum in Senatu consulentium professio? Thesauri sunt scientiæ, non in meris constitutæ verborum apicibus, syllabarum-ue tendiculis, sed circa bonum & æquum, Iura & leges, fas & licitum per prima & altissima occupatæ principia; nec in illa austerius segnius-ue degentes otium, sed conquisitis vtentes notionibus ad directionem vacillantium; correptionem errantium, reductionem deuiantium. Quis igitur audebit Sapientum illis vel disputare titulos, vel honores denegare? Audi quisquis es Doctorem Angelicum *d* hoc sublimantem nomine quotquot directè res ordinant, & benè gubernant. Audi & Lactantium *e* Sapientem appellare, cuius ea doctrina sit quomodo viuere oporteat; cumque nostros Nestoras inspexeris, vitam instituere

a Ante ætatem Lælij & Scipionis nulli apud Romanos nominantur Sapientes. *Genebrar. lib. 2. Chronograph.* Sæpè diximus Sapientiæ studium vetus id quidem in nostris; sed tamen ante Lælij ætatē & Scipionis non inuenio quos appellare possim nominatim, &c. *Cicero 4. Tusculan. sub princip.*

b *Vid. sup. cap. 9. litt. c d.*

c Sapientia secundùm nos nō solùm consideratur vt est cognoscitiua Dei sicut apud Philosophos; sed etiam, vt est directiua humanæ vitæ, quæ non solùm dirigitur secundùm rationes humanas, sed etiam secundùm rationes diuinas. *D. Thom. 2. 2. qu. 19. art. 7. in conclusio.*

d Sapientes dicuntur, qui res directè ordinant & benè gubernant. *D. Tho. lib. 1. contra Gent. cap. 1. in princip.*

e Cuius (Sapientis) doctrina est quomodo viuere opor-

instituere Ciuium, *f* non secundùm humanas quaslibet rationes, sed secundùm legales, iustas, æquas; fatere eos & sapientiam profiteri, & philosophiæ speculatiuæ doctoribus debere anteponi.

teat. *Lactant. lib. 5. cap. 18.*
f Sapientia autem nisi in aliquo actu fuerit, quo vim suam exerceat, inanis & falsa est, rectéque Tullius ciuiles viros qui Rempublicam gubernent, qui vrbes aut nouas constituant, aut constitutas æquitate tueantur; qui salutem libertatemque ciuium vel bonis legibus, vel salubribus consiliis, vel iudiciis grauibus conseruent Philosophiæ doctoribus præfert. *Lactant. lib. 3. cap. 16. sub init.*

CAPVT XXIII.

*Quanta in * Consulto doctrina requiratur?*

* Quis enim ei se cõmitat quẽ non putet plus sapere quàm ipse sapiat, qui quærit consiliũ? *Ambros. 2. Off. cap. 2.*

QVid autem ad nos tanta videtur succlamare claritas, nos, inquam, in Prouinciis, in Præturis, in villulis & vrbiculis occupatos, Consultorumque designatos titulo? Sapientium enim ambimus nomen, dum consulimus, euacuamus autem, si non implemus. At, nostrum ne pectus iis instructum est doctrinæ luminibus quæ Sapientem efformant non quiescentem, sed dirigentem? Si suspicimus Senatorium hemicyclium, nulla non exeunt à sedentibus profundissimæ eruditionis non tam responsa quàm fulgura, exteras etiam gentes ad tantæ sapientiæ fontes attrahentia. Nonne enim à Germanis *a* Consultus Molinæus perhibetur? Leschasserius *b*, à Venetis? Canaïus, Pithœus, Montholonius *c*, Choppinus, & alij quos responsa produnt subscriptos, ab Allobrogibus & Florentinis? Ipsa denique Parisiensis Aduocatio, à *d* Mechliniensi foro & solio? Nec satis est adhuc illis sua peritia; licèt enim per longissima ætatis spatia, tum in audiendo, tum in legendo, tum in dicendo & scribendo quantamcumque penetrauerint rerum, legum, iurium disciplinam, desudare adhuc eos domi obseruabimus, ne quid memoriæ suæ vel depereat vel decrescat. Quantus *e* Choartij (vt vel vnum adducam,) fuit hac in re spiritus & animus, qui tricennio in Causidicina absoluto, aliud in consulendo tricennium perpetuâ codicum euolutione signauit, vnicâ singulis noctibus non tam datâ quieti horâ quàm relictâ? Nobis ergo quid ad hæc dicere est, qui pauculis, (& verum sit adhuc,) qui pauculis, inquam, in audiendo, legendo-ue insumptis non tam horis quàm momentis, paucioribusque salutatis vel è dorso codicibus, tantam nihilominus habemus nostri fiduciam, vt publicos agamus Responsores, arrepto etiam Prudentium titulo. Non erremus, quæso, nec nos ipsi-met volentes seducamus, quotiescumque enim quid remissius præmonstrato nobis exemplo

a Vid. plurima consilia Molin.
b Extat hæc cõsultatio inter opera Leschasserii.
c Extat hæc cõsultatio inter opera Pithœi.
d Ita respondit Aduocatio Parisiensis Mechliniensibus, cùm ad eam quæstionem inter cæteras venissent Lutetiam, anno 1616. mẽse Augusto. *Mornac. ad l. 26. ff. de pignerat. actio.*
e M. Iacques Choart a vescu dans le Barreau 60. ans, estant decedé en l'année 1614. aagé de 84. ans, apres auoir exercé sa fonction auec grande dignité & grande moderation d'esprit, &c. Il a employé les trente dernieres années de sa vie dans la consultation, dans laquelle il estoit recherché des plus grands du Royaume, s'estant retiré de bonne heure non seulement de la plaidoirie, mais mesme de toute autre fonction, excepté de la Consultation, dans laquelle il conserua tousiours la memoire entiere de tous les beaux textes de Droit; il estoit

Chef du Conseil souuerain de Dombes &c. Les trente dernies années de sa vie, il ne dormoit qu'vne heure la nuict, employant le reste du temps à lire ou se faire lire quelque bon liure, ce sont les particularitez que i'ay apprises de M. Talon Aduocat General son petit fils, &c. Liste des Aduocats de 1599. Iacobus Choartius Aduocationis Parisiensis Princeps, quo differente nemo non concepisset animo rem diuinam totius inter nostros superioris sæculi imaginem. *Mornac. ad l. 4. ff. de interrogatio.*

admittimus, vox ex sublimi illo solio ad nostras aures dirigitur succlamans & intonans, SAPIENTIS NON EST. Nec quicquam nostræ fauet inscitiæ desumpta, sed malè assumpta Iuris regula; FRAVDEM ABESSE *f* A CONSILIIS, NILQVE PRÆTER FIDEM *g* PRÆSTANDVM ESSE; Quomodo enim fraus abierit à consulendo, si sedulitas defuerit in addiscendo?

f Consilij non fraudulenti nulla est obligatio. *l. Consilij. ff. de Reg. Iur.*

g Qui consilium dat, præstare nihil debet præter fidem. *Cicero lib. 16. Epist. ad Atticum 8.*

CAPVT XXIV.

Quo-vsque excurrat sui fiducia?

PErpetuo igitur, firmissimoque veluti vinculo inuicem alligari necesse est consiliorum præstationem, literarum exercitationem; adeò vt indefessâ inseruiant operâ, doctrina quidem consilio præstando; præstandum verò consilium studio perennando. At iam ad alterum perducimur Sapientis exercitium, sui nempè fiduciam, quæ haud dubiè ex illa totis à priscis Sapientibus cõmendata scientia, celebrataque sententia *a* nasci videtur. Verùm; quænam illa esse potest in sapiente viro sui fiducia, cùm quantò quis sapientior effectus est, tantò plus se obnoxium errori sciat, vixque gradiri posse, & non labi? nonne vel consultissimus sano debet contestari iudicio?

a Nosce teipsum.

Errare possum, nil mihi plus quàm alteri
Natura fauit; error est hominis comes.

Quo pacto igitur Sapientis esse affirmabimus, sui habere fiduciam, perque tot incertos casus, euentus, exitus, peritiæ suæ facere periculum?

Audi tamen quisquis hæc obiicis; Sapientia nostra non de quolibet scibili, nec de quacumque re, sed de Iure dumtaxat agit, cuius altissima callet & tenet principia. Si autem negaueris quicquam certi, quicquam tuti nostris in legibus, moribus, Iuribus, aut esse aut stare, Academicum te dogma infecit tibique superiùs *b* plus satis responsum est; si verò certi quid dari & esse concesseris, iam de illo scientia dabitur, ipsiusque per prima principia cognitio; sapientia nominabitur. At si datur, si tenetur, si possidetur, temerè-ne quis agere dicendus est, & non potiùs sapienter, qui illâ ipsâ imbutus scientiâ sui & fiduciam habeat & periculum faciat? Esto; de his quæ rarò & infrequenter obueniunt non certa qui-

b Vid. lib. 3. cap. 11.

dem, ſed tantùm probabilis emitti poſſit ſententia, at ideò-ne exploratæ compertæque veritatis excidet authoritas? Quin-imò, caſus illi inſoliti difficultatem adſtruentes, illuſtrem ſapientiæ ſobolem excitant, quæ cùm è claris principiis, quid de obſcuro ſtatui debeat validis præſtruit rationibus, ſcientia nominatur; eâque duce Reſponſores noſtri cautè adeò ſapienterque vti ſolent, vt modeſtiori adhibitâ loquelâ SIBI ITA VIDERI, conteſtentur, aut etiam clauſulam adiiciant, SALVO SANIORE CONSILIO.

Da autem quod ſapientius vel ipſi-met Sapientes priſci conſummare potuiſſent? Attamen, ſit illa ſcientia tantiſper à noſtræ ſapientiæ ſecreta congreſſibus, donec ſuſceptam abſoluerimus materiam; Dabitur igitur in noſtris Conſultoribus ſui fiducia ſaluâ ſapientiâ; & quoties, quæſo, in Senatorij hemicyclij Neſtoribus eminuit, ipſo ſtupente probanteque tandem, nedum foro, ſed & Senatu, ſed & Principe? Quot vel authore Molinæo conuulſi ſunt plebeij errores, iudiciorum ritus, ſtatutorum articuli, ipſo vnico pugile Prouinciarum etiam impetus contundente? Quis illi animus, quæ vires, qui ſpiritus, aut vt ad rem propiùs accedamus, quæ ſui fiducia, vt tantum pondus nedum ſibi attraheret, ſed & exantlaret?

Nil tamen, vt opinor, illuſtrius ſui fiduciæ monumentum extruxit, quam aduerſus Leſchaſſerium lata cenſura. Scripſerat *c* vir conſultiſſimus de priſca Sacerdotum à Clero ſimul & Epiſcopo ordinatione, Preſbyterij voculam è ſana Patrum ſententia interpretatus. Ob id ſuggillatus eſt ab eo contra quem ſcripſerat Antiſtite, famoſoque impetitus libello, proprij etiam ſcripti tanquam falſi, erronei, hæretici damnationem accepit à congregatis ſacrorum ordinum Lutetiæ delegatis. Mira tunc viri eximij fiducia affulſit & conſtantia, vt in Iuris ſacri ſcientia, ſe doctiorem, & aduerſante Epiſcopo, & adunatis ſententiæ ſuæ Cenſoribus demonſtraret; ab ea ſiquidem cenſura tanquam ex abuſu prouocatione factâ, longoque & laborioſo iudicij ardui ſuſcepto nec non in remiſſis animis exantlato diſcrimine, temerè tandem & abuſiuè iudicatum; ſanâ fide, ſanâ doctrinâ à ſeipſo ſcriptum, libellum denique quo fuerat laceſſitus è primæuo eradendum codice penituſque ſupprimendum à ſupremis obtinuit Iudicibus; cúmque Principem ſollicitare affectaſſet Epiſcopus vt in ſanctiori Conſilio ſupremum illud decretum irritaretur; nil aliud impetrauit quàm notiorem vnicuique, ipſique etiam Principi efficere Leſchaſſerij ſapientiam. O! virum hemicyclio Senatorio dignum, cunctiſque Conſulentibus eximio demonſtrantem facinore quo-vſque & quatenus vel in ſapiente & prudente fiducia ſui excurrere debeat.

c *Toute cette matiere eſt amplement diſcutée & inſerée parmy les œuures de M. Iacques Leſchaſſier.*

CAPVT XXV.

Integritas & grauitas Consulto necessariæ.

ET è doctrina quidem, fiducia sui enascitur; at parum est sui habere fiduciam, ni nobis aliena fides concilietur, in alterius enim subsidium, iuuamen opem nostra ordinatur sapientia, quæ ideò ciuilis nuncupata est; At quomodo aliis proderimus, si eos à nobis abegerimus? Hinc *a* vitę integritas, grauitasque morum doctrinæ adiunguntur, ne quid improbum ac nebulosum deprehendatur in Responsore quod Consultores auertat. *b* Quale autẽ è Senatorio solio, & suis & futuris sæculis protensum est semper vtriusque virtutis illius & exemplum & hortamentum? Plures, si velimus, ante nostros oculos sistentur ex illo viri & innocentia conspicui & grauitate eximij, quorum & vita & actio, nostrum culpet tum viuendi morem tum agendi. Quadrigarius *c* certè, nedum peritiâ fulsit; sed, si Mornacio credimus, sanctitate etiam haud vulgari eminuit; Montolonius *d* verò, sanctissimus quoque appellatus est, ne qua in re nostro hemicyclio priscum anteponeretur Romanorum solium, iactanterque nobis Scipio optimus à Senatu iudicatus obiiceretur. Magna inde ad nos qui in Prouinciis degimus & vox dirigitur & forma datur; si enim, vt in confesso est, Consulentium professio ciuilis *e* sapientia est, hæcque aut vt placet Lactantio *f*, scientia est non mera, sed cum virtute coniuncta; aut vt sentit Ambrosius *g* prudentiæ & iustitiæ præstructrices operas desiderat; quorsum ij feruntur, qui Sciolos dumtaxat reputari ambiunt, nequaquam vlterius de vitæ iustitia, de morum innocentia vel solliciti vel cauti? Non Clericalem, non Monachalem, non Eremiticam postulamus ab vllo vitam; Quadrigarij affulgeat probitas, & quiescemus; Montholonij sanctitas, & lætabimur; Senatoriorũ grauitas prudentium & exultabimus. *h* Absint è Responsoribus sordidi mores illi, auari, leues, lasciui, effrænes, impudici demùm & Cauponarij, quos totæ nonnunquam Prouinciæ subnotant & culpant; vt Sapientes nedum nomine, sed & moribus comprobati, non aliis dumtaxat, sed sibi potissimùm consulere prædicentur.

a In omnibus te-ipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate. *Ad Titum 2. vers. 7.*
b Talis itaque debet esse qui consilium alteri dat, vt se-ipsum formam aliis præbeat ad exẽplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate; vt sit eius sermo salubris, atque irreprehensibilis, consilium vtile, vita honesta, sententia decora; *& paulò post.* Talis igitur debet esse Consiliarius qui nihil nebulosum habeat, nihil fallax, nihil simulatum, quod vitam eius ac mores refellat, nihil improbum ac maleuolum quod auertat Consulentes. *Ambros. 2. Officio. 17.*

c *Vid. sup. cap. 19. litt. e.*

d Franciscus Montolonius qui posteà infulatus Pręses, tandemque custos annuli Gallici & quem Tiraquellus vocat sanctissimum. *Mornac. ad l. 2. §. Caius Scipio ff. de orig. Iuris.*

e *Vid. sup. cap. 22.*

f Virtus cum sapientia coniuncta est sapientia. *Lactant. lib. 3. cap. 8.*

g Quia consiliorum vsus maximè conciliant homines; ideò prudentia & iustitia in vnoquoque desiderantur. *Ambros. 2. de off. 8. in princip.*

h Aduertimus igitur quod in acquirendis consiliis plurimùm adiungat vitæ probitas, virtutum prærogatiua, beneuolentiæ vsus, frugalitatis gratia; Quis enim in cœno fontem requi-

rat? quis è turbida aqua potum petat? Itaque vbi luxuria est, vbi intemperantia, vbi vitiorum confusio, quis inde sibi aliquid hauriendum existimet? quis non despiciat morum colluuionem? quis vtilem causæ alienæ iudicet quem videt inutilem suæ? &c. Pulchrè autem & de illo conuenit qui habens prudentiam commaculat eam vitiorum sordibus, eò quòd aquæ exitum contaminet. Degeneres animos vita arguit; quomodo enim eum potest iudicare consilio superiorem, quem videas inferiorem moribus? supra me debet esse cui me committere paro. An verò idoneum eum putabo qui mihi det consilium quod non dat sibi, & mihi eum vacare credam qui sibi non vacat? Cuius animum voluptates occupent, libido deuinciat, auaritia subiuget, cupiditas perturbet, quatiat metus? *Ambros. 2. de offic. cap.* ***.

CAPVT XXIX.

Quo-vsque excurrat fides quæ à Consulto deposcitur?

DE comitate quid dicerem post adductum suprà Portæum, ni fortè adderem ex *a* Ambrosio, austeros illos seu potius morosos negare consilium dum videntur ipsius facere copiam; facessat illa difficilis accessus asperitas, quâ tamen quidam adeò præstare compertus est, vt pugno etiam impacto, rusticum paucula iterantem colliserit. Digna sanè insipiente potius quàm sapiente correptio, inscioque penitus se ad artem vocatum, quæ debet accedentium, perferre, sustinere, deuorare molestias. Quid insuper de continentia scriberem? Laudatum *b* scimus à castimonia Causidicum, à continentia *c* Consultum non inferiori Præcone quàm Consule, quàm Principe; nec quemquam fugit quantoperè Consulenti necessaria sit illa virtus, cùm frequentissimè negotia occurrant in queis & explicandis & resoluendis non tam consilij exedra quam pestilentiæ cathedra institueretur, ni gratia intus manens exteriores illecebras propriis viribus depelleret. His igitur, & si quæ sunt aliæ, semotis virtutibus, vt quæ plus satis sub integritate, sub iustitia, sub probitate & innocentia comprehendantur, ad eam accedimus fidem quæ sacro quadamtenus titulo à Consulentibus exigitur.

Huius, multiplex est munus, multiplex officium; & primum quidem vt sincero pectore, mente candidâ, animo ingenuo nec fallaci Consultoribus respondeant, ita vt, quod suæ scientiæ conscientiæque sit, aperto promant eloquio, quæquidem virtus veluti peculiaris & innata Senatorio Parisiensi hemicyclio à Mornacio celebratur; & sanè, leuiùs est errare quàm fallere; Cúmque *e* mendacium vbique fugiendum sit, singularis tamen religio, in

a Quis verò, quamuis instructum ad consilij opem, difficilem tamen accessu ambiat; in quo sit illud tanquã si quis aquæ fõtem præcludat? Quid enim prodest habere sapientiam, si cõsilium neges, si consulendi intercludas copiã, clausisti fontem vt nec aliis influat, nec tibi prosit. *Ambros. 2. officio. cap. 12.*

b Accessit enim venustas oris & castitas animi. *Cassiodo. 8. variar. cap. 18.*

c *Vid. sup. cap. 19. litt. h.*

d Boni & æqui notitiam profiteri mos est Iurisconsultis, nec affectare, simulatam Philosophiam, quod dixit ipse-met noster Vlpianus, author huius responsi, *Tit. de Iust. & de Iure.* Sanctiusque nihil Patronis quotiescumque rogantur ad lites vel motas vel mouendas arcanam sententiam, quam vt ex facto ac specie proposita respondeant, quod scientiæ conscientiæque eorum est. Suffunderentur rubore perpetuo apud Collegas quisquis vnquam per dolum eiusmodi quidpiam egisse comperiretur. Tanta est Aduocationis maximéque Parisiensis innocentia, tantaque dixerim quasi sanctitas. Si quid in contrarium ex euentu iudiciorum fortè accidat, discimus ex Plin. *lib. 1. Epist. 20.* Tribuendum hoc esse Iudicibus, aleæque iudiciorum, vt loqui mos est. *Mornac. ad l. 11. §. nihil interest. ff. de interrogat. in iure.*

e Mendacium vbique fugiendum in sacris Consultationibus religio vetat admittere. *Philo Iud.*

lib. de Ioseph.

nostris Consultationibus vetat illud admitti.

Alterum est, ne vno audito Consultore, alteri versuto respondeatur animo; quid enim hoc aliud quàm in duas *f* claudicare partes; in corde *g* & corde labiis loqui fallacibus, dolosâ denique *h* staterâ pondereque duplici & iniquo appendere? Absit vt cuiusvis solium tetro hoc telonei vitio maculetur, vltimum tandem fidem vltimam arcani, secreti, depositi complectitur; ita vt nil prorsus quod subticendum à Consultoribus prudentes acceperint, quoque euulgato, deterior illorum conditio posset fieri, cuiquam denudetur aut reueletur; consilium enim, vt aiunt veteres, non à consulendo sed à consilendo *i* fuit deductum. Quàm sanctè autem custoditur hoc à Senatoriis Consulentibus secreti depositum! Accedat aliquis, extraneus etiam, alienigena, peregrinus, quodque nec vxori debet credere, vel vltimo ex illis tuto penitus committat animo; Cellæ ipsæ *l* nedum Secretaria sunt, sed si tantam religionem fidei attendas, sunt & Sanctuaria.

Verùm, quid si Consultus aliquis vocetur in Ius, vt testimonium ferat in eum cuius arcana nouit negotia; id ita postulante litigatorum altero? Priscis sanè Curiæ *m* iudiciis à ferendo testimonio excusabatur, id ita ratis Maioribus, quod secus faciendo, arcani suscepti fides, fœdissimè proscinderetur & carperetur; quapropter ex illorum sententia monitionibus quæ in templis fulminabatur perpetuò inserebatur hæc clausula; DEMPTA PARTE IPSIVSQVE CONSILIO. Vltimis tamen temporibus variauit Iurisprudentia, tantoque pondere præualuit apud nos veritatis amor, vt illius detegendæ gratiâ consulentes coacti fuerint ad ferendum in eo qui supra casu testimonium; frustrà reclamantibus & ipsis, & Consultoribus; vnde antiquatâ priscâ clausulâ, alia hæc NEMINE DEMPTO, suffecta est, quâ perpetuò nunc vtimur. *n*

f Vsquequò claudicatis in duas partes? *3. Regum 18. vers. 21.*

g Labia dolosa in corde & corde loquuta sunt. *Psal. 11. vers. 3.*

h Pondus & pondus, mensura & mensura vtrumque abominabile est apud Deũ. *Prouerb. 20. vers. 10.* Abominatio est apud Dominũ pondus & pondus, statera dolosa non est bona. *ibid. 23.*

i Consilium vel à consulendo dicitur, vel quòd in vnam sententiam plurium mentes consiliant & conueniant, sed à silentio credibilius dictum putatur, quo maximè inuenitur. *Festus in verbo Consilium.*

l In cellis respondentium aut potiùs sacrariis. *Mornac.*

m Ioan. Gall. quæst. 98.

n Diu quæsitum est an Patroni causarum cogi possint respondere ex mero officio Iudicum ad certa quædam & arcana litis quam instruxerunt capita; anterioribus enim sęculis aliud seruabatur, quoniam rebus sacris annumeratur depositum. Patroni autem quorum fidei & prudentiæ commissa sunt causarum intima verè depositariorum loco habentur apud clientes quos susceperint; vicit tamen ea tandem ratio apud Senatum, vt cùm veritatem magistram esse oporteat, ait Ambros. *in Hexam. lib. 6.* conquiescere omnia debeant quæ lumini eius offectura sint. Antiquato igitur Archaismi illius tectorio, iussi sunt fori Parisiensis Proceres ab anno circiter quinquagesimo aperire pectus & proferre in apertum, si quid in lite de qua inquirebatur, vel arcano consilio didicissent, vnde iuuarentur Iudices ad ferendum in re valdè obscura iudicium. Amolitus est apprimè & tenaci proposito insuetum illud Franciscus de Rochefort ante annos plus minus 50. vt accepi ab antiquioribus. Posteà Ludo. Buissonius, Petrus du Lac, Annæus Robertus, & alij plures causantes inueteratum morem Curiæ, quo semper Patronis indultum fuerat, ne occulta clientum suorum seu bona seu mala proderent, sed quidquid obniti potuerint, decreuit ordo ampliss. vt responderent de eo cuius esset quisque sibi conscius; quod præstiterunt tandem, reiectaque est hodie vetus ista monitionum Ecclesiasticarum clausula *dempta parte & consilio.* Illustrauit Annæus Robertus *lib. 2. cap. 19. rer. iudi.* nouissimum hunc iudicandi morem variis grauissimisque literatæ vetustatis testimoniis ad Senatusconsultum quod in hoc ipsum aduersus Patronos latum est an. 1579. die 5. Decemb. ita vt mirati sunt summoperè nec immeritò Consultissimi ac cæteri totius nostri ordinis solertiores, cur in causa redhibitionis gentilitiæ more ciuili, & in qua quid fraude actum esset quærebatur; Censuit nihilominus Senatus duos qui ad

litem eam acciti fuerant, Patronos cogi non posse vt testimonium dicerent; Perorabant Tillerius & Heraldus anno 1619. die 11. Decemb. Litigatorum nomina, potuit & Breton in Auditorio edictali. *Mornac. ad l. 14. ff. de iureiurando.*

At dubium inde potest oriri de nostra fide; Si enim cogimur aduersus Consultores testes existere; an illi in infidum pernitiosumque pectus suas in posterum iactabunt curas, inque sinu Sapientis, fallacem animam experientur? Nequaquam, sanè; secretorum quippe fides, nedum naturalis *o* & humani, sed diuini etiam Iuris est, quod quidem Ius euacuare nullatenus possunt supremæ etiam Curiæ iudicia. Quoties igitur Consulti vocantur in testimonium; de his solis debent eloqui quæ extra consilij officium, ceu quiuis alter, addiscere potuerunt; at quæcumque ex officio dumtaxat consilij perceperunt, alto sacroque debent comprimere silentio; sicque stant ante Iudices, deposito quolibet metu, vel perjuri animi vel perfidi.

o Quandoque verò sunt talia quæ quis prodere non tenetur vnde potest obligari ex hoc, quod sibi sub secreto committuntur, & tunc nullo modo tenetur ea prodere etiam ex præcepto superioris; quia seruare fidem est de Iure naturali; nihil autem prodest præcipi homini contra id quod est de Iure naturali. *D. Thom. 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2.* Ergo fides secretorum Iuris est naturalis, diuini & humani. *Cornel. à Lap. in Ecclesiasti. cap. 27. vers. 18. 19.*

CAPVT XXVII.

Corona Prudentium.

PRosequimur consilij præstandi modos; nonnunquam enim separatim à quolibet, nonnunquam etiam à pluribus congregatis & postulatur & datur; de primo autem nil habemus adiicere, de altero verò seu corona Prudentium paucula hic enarrari locus deposcit.

Grauitas singulorum; mutuus vniuersorum adinuicem seruatus honor; *a* cunctorum insuper in dicendo solertia, in audiendo patientia, in repugnando modestia, in consentiendo prudentia, in concludendo denique sapientia, priuatum veluti Senatum constituunt, apparatu quidem humili, sed sensu sublimi; adeò vt ipsemet Cuiacius cùm huiusmodi consessui interfuisset, non tentaturus quidem quorum famâ allectus fuerat, sed eorum morem obseruaturus & prudentiam, alto singula meditatus animo, spiritum vltrà non habuerit, potueritque de supremo illo Parisiensi hemicyclio dicere, verus *b* est sermo quem audiui in schola mea super

a Dictauit olim Cuiacius *ad L. 11. Cod. de ædif.* priuatis, vt ferũt eius Posthuma, quod Magistro & perpenso stylo non scripsisset ipse in eruditum, ac Romani Gallicique Iuris scientia nobile Parisiensis Aduocationis Collegium; miratus enim est & suspexit, accitus aliquando, (Lutetiæ cùm esset) ad deliberationes forenses anno 1584. quâ peritiâ, memoriâ, sequacique intelligentiâ vt sic loquar cum Augustin. libro de quantitate animæ, quâ denique eruditione defæcatoque iudicio quæstiones Iuris difficillimas, de quibus & indiculum pridie Consultationis acceperant Seniores hinc illinc rogati Patroni soluerent, veræ ibi Iurisconsultorum sententiæ, ac sine fucis aperiuntur Consultoribus, vt semper vidi ac didici; eaque ipsa tanti collegij superat in hunc diem apud omnes non celebritas modo sed authoritas. *Mornac. ad l. 2. §. Caius Scipio.*

b Non habebat vltra spiritum, dixitque ad Regem, verus est sermo quem audiui in terra mea

saper sermonibus tuis, & super sapientia tua, & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni & vidi oculis meis, & probaui quod media pars mihi nuntiata non fuerat. Maior est sapientia & opera tua quam rumor quem audiui; Beati viri tui & beati serui tui qui stant coram te semper & audiunt sapientiam tuam; sit Dominus tuus benedictus cui complacuisti & posuit te super thronum Israël, eò quòd dilexerit Dominus Israël in sempiternum, constituit te Regem vt faceres iudicium & iustitiam. *3. Regum* 10. *vers.* 5. 6. *& seq.*

sermonibus tuis & super sapientia tua; non credebam equidem narrantibus mihi; sed tandem ipse veni & vidi oculis meis, & probaui quòd media pars mihi non nuntiata fuerat, maior est enim sapientia tua quàm rumor quem audiui. O! quàm beati viri illi tui, Prudentes tui, Sapientes tui, qui te suo cœtu conflant & implent, suamque postulantibus sincero prorsus animo fundunt sapientiam. Sit illorum in posteris perennata virtus, vt te primum in Galliis celebrent populi solium, in quo & iustitia doceatur & iudicium præstruatur.

Cæterùm si adamussim quis nosse velit quemadmodum cœtus ille instauretur, & se habeat; omnibus, qui suo debetur gradui, locum adeptis, vnus explicat de quo agatur negotium, vicesque gerens Relatoris, discussis quæ faciant hinc & inde rationibus, quid tandem censeat ipse, profert. Iuniores, posthac, alij post alios deliberant, quod quidem sapientissimè institutum est, tum vt loquuturi ante Seniores nil quod amandandum arbitrentur, in medium adducant, tum vt suo marte, suâ industriâ cudant, poliant, perficiant proprium quacumque de re agatur iudicium; Secus enim omninò eueniret, si Seniorum mente priori explicatâ, via fieret iunioribus in eorum ire sententiam, non tam rationibus quàm pedibus. Tum seniores suam quoque proferunt sententiam; & si inueniantur qui ab aliis opinione discrepent, auditis eorum rationibus placidè satisfit à contrariæ sententiæ assertoribus; tandemque ea præualet opinio, quæ à maiori probatur parte.

* Ego quidem cum eis antecessoribus Patronisque meis simul in consilium vocatus, & pro veteri, tuncque solemni more tanquam minimus & iunior opinari incipiens sentiebam pro impetrante, &c. *Molin. ad Reg. Cancell. de publi. resign. num. 62. fine.*

CAPVT XXVIII.

De Responso in scriptis.

Siue autem plurium siue vnius dumtaxat quæsitum fuerit consilium, scriptis vt plurimum deliberatio consignatur, quo nedum litigatori, sed & Iudici, si ad Tribunal res deducitur, tum ius assertum, tum rationes vnde petitum sit, tum nomen & authoritas Consulentium innotescant; Solent autem, dum in corona deliberatum est, solent, inquam, qui relatorum partes egerunt, quodcumque cœtui placuit seu visum est, quasque ob causas eruditè conscribere, quo absoluto, vniuersi propriâ manu deliberationis schedam muniunt.

Quàm augustum autem nostroque prorsus dignum est hemicy-

clio

clio monimentum, plenum illud eruditione & doctrinâ consiliorum Molinæi volumen! Quantus sapor in discussis illic adamussim facientibus in vtramque partem argumentis, perque altissima Iuris certissimi principia; decisis tandem Iuris ambigui & perplexi quæstionibus! O sapientia! iam non latens sed patens, calamoque facta manifestior quàm verbo & eloquio; cur non á pectore eructata es apertas æquè, & sanâ fide ac de Iure proferente sententias?

Maximè autem notandum est quantâ sedulitate quantoque conscientiæ testimonio, consilia illius nec-non qui vixerunt sub idem tempus Prudentium elaborata sint; in fronte siquidem singulorum ferè appositum legimus, aut, *Christi nomine inuocato*; aut, *in nomine Domini nostri Jesu Christi*, simile-ue quid aliud, scribentium mentes sinceras, deuotos animos, pios denique spiritus denotans

CAPVT XXIX.

Cuiusnam sint apud nos authoritatis Responsa Prudentium.

SEd iam in scopulos impingimus; tristique naufragio claritas illa Prudentium submergitur, dum quantulæ authoritatis sint apud nos eorum & consilia & responsa attenditur. Vnde, quæso, cecidisti, celsitudo prisca Sapientium, vnde & quomodo prolapsa es, quam-ue in barathri corruisti altitudinem vt amplius Ius non facias, sed probabile, nec Magistratus alliges, sed dumtaxat moueas & inclines? Fateor sanè; non ea est apud nos, quæ apud Romanos fuit Respondentium authoritas, Ius suggerunt, non faciunt; æquum probant non fundant; rationem denique adstruunt, legem non constituunt, nec tamen adhuc satis intelligo, quid ob eam rem illorum decrescat sapientiæ; imò verò, clarior quomodocumque videtur eorum euadere professio, deposito siquidem fastuoso illo Iuris ferendi titulo, non iam per mendicatam à Cæsare potestatem, pro nutu, pro libito, pro arbitrio demùm & consilio fas quod volunt, cudunt; sed in vna dumtaxat ratione & æquitate Ius esse statuendum edocti, in vnicam adstruendi consilij sui viam, summam volo rationem inquirendam incumbunt & feruntur. Apage imperiosior à Cæsare concessa Iuris condendi potestas; videntes *a* fascinare satagis, tibique cæcâ mente ab ipsis etiam Magistratibus credi & obsequi duro deposcis imperio. Non licet tibi dicere, cur ita facis? Arcana sunt sensa tua; quot habes verba, tot mysteria, cruciasque dum iudicas. Tibi sit ergo in sæculo Cæsarum & pars & fides, & vis & authoritas; nil non licuit sub illis Principibus; at vix vltra progressa es, iamque anteà in contrariis Prudentium sententiis, quid æquius esset Iudices inquirebant, vt micantem in alterutra maiorem æquitatem sequerentur.

a Sic olim vocati Sapientes & Prophetæ.

Quid tibi etiam nunc, & nobis esse potest? non cæcâ mouemur mente; veritas apud nos præualet; ratio dominatur; iustitia superat & imperat. Exultent igitur nostri Prudentes & lætentur, quorum ea solùm apud nos est authoritas, si suprema in illorum responsis ratio vigeat & æquitas.

CAPVT XXX.

Scribere.

ABsolutâ de præstandis consiliis materiâ, in quibus primum &, vt ita dicam, primarium elucet nostrorum Prudentium munus, ad alterum nobis progredi necesse est, quod SCRIBERE trito iam vocabulo appellatur. Multum autem differt illud nostrum scribere ab eo quod Romanis Iurisconsultis peculiare fuit; scribere etenim illis vel teste Cuiacio, quod & iam *a* suprà delibauimus, nil aliud erat quàm è Iure componere formulas seu actionum seu iudiciorum. At nos longè aliter verbum illud vsurpamus; dicuntur enim Aduocati scribere cum litibus præ nimia difficultate, longioris scrutinij altiorisque moras deposcentibus examinis, ideóque litigantibus rationes suas de scripto iussis proferre; Aduocatorum opera imploratur & adhibetur, qui quas norunt Iuris propugnandi & adstruendi causas, scriptis enarrant & explicant. Hoc munus à *b* Budæo *Scriptiones facere, scriptitare, scripto exequi, scriptione prosequi, proferre Commentarios,* & demùm *scribere* passim vocatur, nosque sub ea complectimur dictione quodcumque exaratur ab Aduocatis, seu *c* negotij explicandi causâ, edocendique Iudicis, seu impugnandæ aduersæ partis authoritatum prolationis, seu tandem propriæ defensandæ.

a *V. sup. cap. 8.*

b Budæus passim in forensibus

c *Advertissemẽs, contredits, saluations.*

Pudor autem, & quidem summus cuiuslibet est Aduocati, si perfunctoriè dumtaxat scripsisse deprehendatur; aut si mendis erratis-ue scaturiant, quæ propriâ manu testatus fuerit, vt assolet, se in mundum ab Amanuensi redacta perlegisse; quapropter nobis Pithœus *d* in accuratè scribentis exemplum adducitur; notat enim de eo Loysellius, nunquam scriptum vllum, qualecumque esset, propriâ obfirmasse syngraphâ, ni priùs à se accuratissimè relectum, & si opus fuisset, emendatum; tanta illiusce viri de proprio nomine cura vigebat & sollicitudo.

d *Ce qu'il escriuoit & consultoit estoit tousiours fort elabouré, & ne signoit iamais riẽ qui ne fust exactement reueu & corrigé, tant il auoit son honneur en recommandation.* Vie de Pithou és opuscules de Loysel.

At malum irrepsit, quod quidem semper in foro Senatorio & culpabitur & tolerabitur, ni prouidentior aliquando de succidendo illo radicitùs adhibeatur cura & solertia. Audent enim quàm plurimi, nedum scioli sed vix Pragmatici Commentarios conscribere, & quales quales scriptionum suffarcire paginas, non tam rationibus petitis è Iure, quàm ineptiis & nonnunquam conuitiis, id ita sordidis aliquot machinantibus Cognitoribus, vt tenuissimâ & sæpè nullâ scriptitanti vel semiformulario nebuloni, vel Amanuensi proprio erogatâ pecuniâ, ipsi-met deglutiant ingentem illam

quam à clientibus emungunt. O! quid illi; quid Scriptitores agerent, si nonnunquam aduocarentur à Curia suarum rationem scriptionum reddituri, in queis sæpissimè nil minùs exaratum est, quàm quod ad controuersum ius faciat? Faxit autem Deus, vt aliquando tandem pestis illa lethifera nedum amandetur è fori Senatorij liminibus; sed & à quocumque Tribunali depellatur.

CAPVT XXXI.

An Respondentium & Scribentium opera seruilibus annumeretur?

NEcessaria penitus subsequitur quæstio, cuius decisio non solùm in Consultorum responsis & scriptionibus, sed in aliis etiam de quibus mox eorum ministeriis obtinere debet, nimirum, An feriatis diebus, Dominicis putà & profestis, licitè, nec violatâ dierum sanctitate respondere possint, scribere, conuenire, iudicare ex arbitrij formula, honorariaque ob istiusmodi operas accipere? Memorantur apud nos viri, quos difficultatem hanc miro penitus facto decidisse putare possis; Mauguinius *a* enim feriatis diebus quodcumque vrgeret negotium, absoluebat seu in consulendo illud versaretur, seu in scribendo; at piâ prorsus liberalitate effundebat in pauperes, quantacumque ex illa opera sibi pecunia obuenisset, ita vt dum negotiis vacaret, inseruiret charitati. Aliâ methodo Quadrigarius vtebatur, aliâque Conchylius; cùm ille *b* singulis mensibus centum monetæ nostræ libras in egenorum mitteret subsidium; iste *c* decimam sui quæstus portionem accuratâ penitus sollicitudine pauperibus impertiret; quasi diceres vtrumque illum insignem probitate virum feriatis diebus impensos labores, hâc piâ opum dispersione aut compensasse aut redemisse.

a *Ainsi M Mauguin aussi Aduocat en la Cour, decedé depuis nostre Autheur, dónoit aux paures tout ce qu'il gagnoit aux Festes & Dimanches.* Dialog. des Aduocats, Confer. 3. *in margine.* pag. 506. de l'edition de 1656.

b *On disoit de luy* (M. Matthieu Chartier) *qu'il donnoit tous les mois cent francs à la boiste des paures du gain qu'il faisoit en sa vacation*; Dialog. de Aduocats, Confer. 3.

c *M. Guy Coquille Sieur de Romenay Aduocat en Parlement, & Procureur Fiscal de Niuernois, decimoit son gain mis en bource pour les paures honteux dont il s'enquestoit bien soigneusement, ne manquant point de leur payer cette disme ainsi qu'vne chose deuë par semaine ou par mois.* ibi. in marg. pag. 505. & 506.

Attamen nil prorsus ex illorum elici potest charitate, quod seu festis seu Dominicis diebus impensas in consulendo scribendo-ue horas violatæ sanctitatis arguat; quin potius ad ista charitatis opera videre est illos se applicuisse, ne quantacumque eximia posset virtus suspici quâ conspicuos non tulisset viros aut forum aut solium. Laudatâ igitur illorum pietate, nil quicquam ex ea quasi necessarió obseruanda, inferendum est; saluâque omninò quæstione, ad Theologos recurrimus, è quorum iudicio, mente, sen-

tentiâ resciendum est quid sit tenendum. Illi autem aperto semper statuerunt animo, ingenuas prorsus, non seruiles, esse Consulentium operas; ita vt feriatis diebus liceat illis pro re nata & occurrente, vrgente, vel non, respondere, scribere, conuenire, iudicare, honorariaque pro impensis operis accipere.

CAPVT XXXII.

De centesimo sexagesimo primo Blesensis Edicti Articulo.

AT siquidem de honorariis Consulentium & Scribentium mentio incidit, videndum est quâ illa in Senatu ratione statuantur; vulgatum est enim vbique adagium, ADVOCATO NEQVAQVAM CERTVM, SED PRO FACVNDIA DVMTAXAT DOCTRINA ET INDVSTRIA HONORARIVM EXSOLVI. Nec ab eo alienum est praeclarum Curiæ de Marescalli *a* scriptionibus iudicium ob quas licèt perbreues, quia tamen eruditissimas sexaginta libræ Parisienses, vt loquimur, illi à Senatu adiudicatæ sunt. Verùm successu temporis creditum est indefinitam illam operæ ingenuæ æstimationem fœdis concussionibus viam fecisse, dum quilibet propriæ suæ industriæ factus arbiter, non tam laboris operisue moueri elegantiâ, quàm spurcæ auaritiæ sordibus posset impelli nonnullique etiam ita agere subnotarentur; cui malo vt conuenientius adhiberetur remedium, æquum visum est regni Ordinibus Blesiæ congregatis Aduocatos adstringere propriâ ad scriptionum calcem apponere manu, quid quantumque pro illis à clientibus accepissent, quique secus agerent, pœna concussionis afficere; & in principale *b* quidem Edictum transiit ista hæc Ordinum rogatio; sed licèt in Senatu Constitutio Blesensis fuisset promulgata, hic tamen paragraphus nequidem attentus est, vel si attentus, haud vlli executioni demandatus; & forsan non defuissent qui inexecutionem hanc, temporum potius iniuriis quàm ordinis constantiæ tribuissent, ni duodeuicesimo abinde anno, pacatis iam rebus, forique & Senatus restitutâ penitus disciplinâ, contrarium innotuisset, tantâ cæteroquin animi demonstratâ magnitudine, vt nil clarius anteacta sæcula dederint; nilque illustrius futura potuerint exoptare tempora.

a Vt obiter velut ab inferis & memoriam & honorem veri authoris gloriæ Pragmaticæ Sanctionis vindicē, non fuit vt vulgò putant, Cosmas Guymier; sed prestantior alius cognomine *Marechal*, doctissimus & experiētissimus antiquus Aduocatus in hoc Senatu, tempore Caroli VII. Ludouici XI. & Caroli VIII. qui ob breues quasdam sed eruditas rationes Iuris quas saluationes vocant, cùm imperitus clientulus impar salarium offerret; honestè renuit, dicens se tantum id accepturum quod ob id in casum victoriæ taxaretur. Cùm autem clientulus victoriam obtinuisset, & in taxandis expensis litis de hoc articulo ad Senatum referretur, taxatæ sunt ei sexaginta libræ Parisienses, habitâ ratione non ad breuem, sed ad doctam & resolutoriam scripturam, modumque litis & eminentem scientiam Aduocati; & fuit splendidum & pro consuetudine illius temporis, vt amplissimum ita rarissimum honorarium. *Molin. ad Reg. Can. de verif. notit. num. 53.*

b Ordon. de Blois, art. 161. *Les Aduocats & Procureurs seront tenus signer les deliberations, inuentaires & autres escritures qu'ils feront pour les parties, & au dessous de leur sein, escrire & parapher de leur main ce qu'ils auront receu pour leur salaire, & ce sur peine de concussion.*

Bono quippè totius ordinis euenit vt in Mercuriali consessu de moderandis Togatorum honorariis mentione factâ, protinus ea res nonnullis visa fuerit, non tam ordinanda quàm executioni demandanda, vtpote facto de ea iudicio in Blesensi Sanctione. Euocati sunt tamen Trium-viri iussique ex tempore, licèt deliberandi moras peterent, quid de ea rogandum censerent exponere. At illi, fante Seruino, moras postulasse dicti sunt, eò quòd maioris quàm putaretur, rem momenti præuiderent, Curiamque precati, nil nisi se auditis statuere, quod ad publicam spectaret disciplinam. Extemplo itum est in consilium, inclinatâque iam die, in proximum deliberatio protelata est; quâ factâ, statutum est ab vniuersis Classibus *c* seruandam Blesensis *d* Edicti dispositionem, decretumque Curiæ in aperto proximo consessu publicandum. Id & factum est; nec nisi cum summa æquitate sancitum à Curia plurimi arbitrabantur; non enim limitabantur Consultorum honoraria, sed illi solummodò iubebantur rescribere quantam eo titulo recepissent pecuniam, vt inde Iudicibus innotesceret quinam vltra modum, quinam intra versarentur; inque expensis quas victi debent resarcire victoribus æstimandis, iustè persolutæ pecuniæ ratio haberetur.

c Les Extraicts des Registres de la Cour qui seront rapportez és marges de ce Chapitre ont esté curieusement recherchez par M. Claude Iolly, & inserez parmy les Opuscules de Loysel pour seruir de Preface ou d'argument au Dialogue des Aduocats.

Conseil secret du Vendredy x. May 1602.

Les Chambres estant assemblées entrerent les Gens du Roy, ausquelles ayant demandé delay, fut enioint de dire presentement ce que bon leur sembleroit sur les Articles concernans les Aduocats & Procureurs pour estre sur iceux deliberé. M. Louys Seruin dit alors que ce qu'ils auoient demandé delay estoit pour la consequence, &c. Toutesfois puis que la Cour les auoit mandez pour en parler presentement, ils la supplioient leur faire cette honneur, puis qu'ils estoient Gens du Roy, de ne deliberer ny resoudre aucune chose pour le public sans leur en communiquer, &c. La matiere mise en deliberation l'heure a sonné & la deliberation a esté continuée à demain.

Conseil secret du Samedy xi. May. *Ce iour toutes les Chambres assemblées continuant la deliberation commencée le iour d'hier sur les Articles proposez en la Mercuriale concernant le salaire des Aduocats & Procureurs, a esté arresté que lesdits articles seront gardez & obseruez & l'Arrest leu & publié à l'Audience. Signé* M. Fleury.

d Decretum III. Id. Maïas vt iuxta CLXI. caput Blesensis Edicti ante XXIII. annos in Senatu publicati & hactenus minimè executioni demandati, Aduocati quid pro honorario accepissent, scripto profiterentur, vt in impensis victori resarciendis iuxta illam professionem ratio à delegatis Iudicibus iniretur: ni facerent, concussionis pœnâ tenerentur. *Thuan. lib. 128. historiar. sub princip.*

At longè aliter *e* præclara Seniorum è Togatis pectora rem euoluebant; positâ enim sibi ante oculos Maiorum prouidentiâ, quæ ab ingenuo suo Collegio quidquid tantillum seruile redoleret ministerium, ablegarat. Se ab honesta opera ad mercenariam veluti stipem cogitabant adductos, secus nempe iussos facere, quàm quod hactenus & patres & ipsimet peregissent; succisa sit ad potestates via; nulla deinceps aut purpura Togatos expectet aut infula; haud parum forsan Toga obtinuit, dum sibi ipsi relicta est, At quid illam nunc à se ipsa diuellere, aliamque veluti sufficere deformatam scilicet, mercenariam, seruilem, conductitiam? Si profitemur quod nobis offeretur à clientibus, iustum-ne fuerit nec-ne alieno statuendum erit arbitrio, tendiculaque infamiæ ipsa-met nostra

e N'est-ce pas vne honte qu'il faille que nous soyons cõtraints de faire comme les Sergens qui sont tenus de mettre au bas de leurs Exploicts ce qu'ils reçoiuent des parties pour le salaire qui leur est taxé par les Ordonnances? Car en

manus euadet, quoties iniurius nobis erit vel Censor vel Arbiter. At si soluere nequeant clientes, nostram-ne in eos charitatem illorum-ne vnà egestatem, vel vano vel nociuo exarabimus calamo? Dein si præsens aliquibus non erit pecunia, propriâ-ne contestabimur syngraphâ terminum soluendi datum? O! immutatio Togæ si ferenda, saltem non à nobis, liberalem edoctis à natalibus honestare, non deturpare. Valete ergo, studiorum subsidia & laborum, quæ modica licèt & leuia, liberali tamen hactenus fuistis honorariorum sublimata titulo, deinceps verò, estis fœdo ac vili salariorum nomine deprimenda. Valete fides *f*, pudor, consciaque virtus, præcipua semper disciplinæ nostræ moderamina comprobata. Vale tandem ipsa-met Toga, non amplius ingenuorum, sed seruilium operum addictio potiùs quàm professio.

...core que le nostre ne soit point borné, ains remis à nostre discretion, si est-il honteux non seulement de l'escrire, mais mesme de le dire, & quand nostre taxe viendroit de la pure liberalité de la partie, si serions-nous toûjours subiects à la censure ou maluueillãce d'vn Rapporteur, qui ayant fait mander l'vn de nous en sa Chambre pour rendre vn escu ou deux qu'on luy aura donné de plus qu'il n'estimera nostre labeur, sera bien aise de nous faire condamner à les rendre, & par là nous faire receuoir v... si grande honte, que i'aymerois mieux n'estre iamais venu au Palais que cela me fut aduenu. Dialog. des Aduocat, Confer. 1. vers le commencement.

f Verendum ne dum partium commodo in speciem studetur, parum decori præcipui in Iure dicendo ordinis, qui amplissimi ordinis partem non minimam facit, consulatur, & paucorum culpa in vniuersorum dedecus redundet; nimirum seueritate legis bonorum verecundiam non mediocriter lædi, sublato autem pudore; quo præcipuo Aduocatorum ordo continetur, vnà & fidem & consciam virtutem tolli, & honorarium illud in turpissimam mercedem degenerare. *Thuan. lib. 138.*

Talia suberant sensa conspicuis illis & probitate & honore Senibus; Ne tamen quid agerent quod minorem in Senatum obseruantiam argueret, adiere Trium-viros vt eorum ministerio Senatus intelligeret se nonnihil habere totius nomine ordinis rogandum, supplicandum, deprecandum. Et hæc quidem delata *g* est ad Curiam postulatio; at cùm nonnihil de Togæ deponendæ proposito se obseruasse Seruinus retulisset, arcano decretum est consilio nullatenus audiendam de abiicienda Toga testationem; sed si quã dumtaxat aliam Togati deprecationem facerent; modò ea, quæ Senatui debetur, veneratione seruatâ; iussique sunt Trium-uiri renuntiare Aduocatis Curiæ Sententiam, de illis in sua dumtaxat deprecatione audiendis.

g Conseil secret du Mardy xiv. May.

Ce iour les Gens du Roy estans venus à la Cour, M. Louys Seruin dit que grãd nombre des plus anciens Aduocats estoient venus au Parquet leur faire entendre qu'ils auoient vne tres-humble supplication & deprecation à faire à la Cour, les priant demander audience pour eux. Ce fait, fut deliberé que les Grand'Chambre, Tournelle & de l'Edict seroient assemblées. Ce fait & à l'instant fut arresté d'oüir la Remonstrance, supplication & deprecation desdits Aduocats, presens les Gens du Roy qui dirent qu'ils auoient recognu que laditte Remonstrance des Aduocats sur le Reglement qui fut hier publié, estoit pour estre conseruez en l'exercice de leurs charges sous le seruice qu'ils y auoient fait, aymans mieux s'en desister que de porter vne nouuelle Charge, vouloient supplier la Cour de trouuer bon de luy en demander permission; & lesdits Gens du Roy retirez, fut arresté, que lesdits Aduocats ne seroient point ouys à faire declaration de se desister de leurs Charges; mais leur seroit fait entendre par lesdits Gens du Roy que la Cour leur feroit cette grace de les oüir en leur tres-humble supplication & deprecation seulement auec l'honneur & le respect qu'ils doiuent. Lesdits Gens du Roy mandez & l'Ordonnance de la Cour à eux fait entendre, & l'heure sonnée, l'execution a esté remise au lendemain.

Nec mora *h*; viginti quatuor Seniores ex ordine delegati secre-

h Conseil secret du Mercredy

tarium postridie ingrediuntur; adstantibusque Trium-uiris, fante Hamelio, digna suo cœtu, digna & Senatu humiliter deprecantur; gratiæ loco & quidem summæ deposcentes, foro potiùs cedere, quam fœdiorem anteactâ inire agendi rationem. Interfatur ad hæc Protopræses, & tamen quasi alto quod sibi inflictum dolebant vulneri compateretur, quam de adstantiũ probitate Curia opinionem haberet explicare non renuit. De cætero, hortatur eos Senatusconsulto parere; cæteris exemplum dare; fædos hâc-ce viâ á suo ablegare Collegio, eóque demum progreditur, vt asserat Curiam auditâ supplicatione pronuntiaturam. Verùm cùm nil moeorum uerentur; egressis è Prætorio, Trium-uirisque nonnihil de malis quæ secutura prouidebant loquutis, alto iam incipiente iustitio, censitum est vniuersæ Curiæ congregandas Classes, cùm de Senatusconsulto deliberaretur.

xv. May.

Ce iour la Cour les Grand'Châbre, Tournelle & de l'Edit assemblees pour sur la deliberation du iour d'hier oüir les Aduocats en leur supplication, presens les Gens du Roy, &c. Les Gens du Roy mandez, fut fait entrer les Aduocats iusques au nombre de 24. des plus Anciens, lesquels parlant M. Nicolas du Hamel l'vn d'eux, apres auoir fait entendre leurs raisons sommairement contenuës aux Registres de la Cour, ont conclu & dit, qu'auec toutes les soumissions d'honneur, de reuerence, & d'obeissance qu'il leur estoit possible rendre a la Cour, ils la supplioient que l'honneur qu'ils auoient leur demeurast entier; que sous l'authorité du Roy & de la Cour ils peussent continuer leurs Charges auec l'honneste liberté auec laquelle leurs predecesseurs auoient vescu, & ne fussent à auoir regle que celle qu'ils auoient gardée, sous laquelle ils auoient presté & reïteré toutes les fois le serment; supplians la Cour trouuer bon, si elle ne les conseruoit en leur honneur pour exercer leurs Charges, ainsi que leurs Predecesseurs, qu'ils luy declarassent n'y pouuoir plus viure; & sur ce interrompus par M. le premier President, disant que la Cour leur ayant fait cet honneur de les oüir, ils se deuoient disposer d'obeïr à l'Arrest d'icelle; par lequel son intention n'auoit pas esté de blasmer ny regler tout l'ordre, ny toucher particulierement à l'honneur de ceux qui estoient presens, Mais retrancher le mal où il se trouueroit, duquel la plainte estoit trop grande pour ne point rechercher de remede à le faire cesser; à quoy les Anciens estoient tenus contribuer & y exciter les autres, estant recognu qu'en leur assemblée il y en auoit tel qui faisoit deshonneur & preiudice à toute leur Compagnie; que la Cour donneroit son Arrest sur leur Remonstrance. Les Gens du Roy oüis sur l'incommodité publique procedant de la cessation de la Iustice, & lesdits Aduocats retirez; les Gens du Roy parlans par ledit Seruin Aduocat dudit Seigneur, ont dit que quand il plairoit à la Cour de deliberer sur ce qu'elle auoit ouy, ils luy representeroient ce qu'ils deuoient sur les inconueniens qu'ils auoient preueus, & qui leur auoient donné suiet de demander delay, & sur la plainte qu'ils auoient eu & auoient encore, ayant veu la resolution desdits Aduocats, qui nonobstant quelques Remonstrances que les Gens du Roy leur eussent faites, leur auoient fait apprehender plus qu'ils ne pouuoient dire s'il en falloit venir à l'extremité, ainsi qu'ils feroient entendre à la Cour. La Cour a ordonné lors qu'elle voudroit deliberer à l'Arrest, assembler toutes les Chambres au premier iour, pour lesdits Gens du Roy oüis, en deliberer.

Biduum igitur effluit, publico sensim augescente incommodo, nullo quippe è Togatis vel dicente vel scribente; quapropter congregantur Curiæ classes, & quasi spes aliqua affulgeret totum diuellendi *i* ordinem, si quibus liberet, deponendæ Togæ facultas concederetur; in eam itum est ab amplissimo ordine sententiam, vt iuberentur Aduocati Senatusconsulto parere, in forum ascendere, Togæ munia implere, qui verò renuerent, suam apud acta publica profiterentur voluntatem, & ab inde, omni Aduocationis munere sub falsi pœna interdicerentur.

i Cùm libello intercederent & scripto publicato quare caput illud Blesensis Edicti minimè executioni demandatum esset multis verbis exponerent, seque potius munere publico cedere, quàm seruili ministerio amplius defungi paratos ostenderint. xv. kalend. Iun. iterum decretum, vt Aduocati qui munere deinceps defungi nollent, apud acta publica id profiterentur; quo facto omni Aduocationis

munere sub falsi pœna interdicebantur. Post vnam & alteram a veneranda canitie, & præcipua probitatis opinione Aduocatis N. Hamelio, Iacobo Choartio, Antonio Oiselio, in Senatu factam deprecationem, cum factione contraria, & iuuenum qui numero vincebant, contra Seniores calore præualente nihil obtinerent, &c. *Thuan. lib. 128. historiar.*

Quid *l* tum venerandâ insignes canitie, quid præcipuâ probitatis opinione conspicui ausi sunt? Diceres eos post arduam & difficilem status ingenui controuersiam, depulso tandem & ablegato seruitutis quod imminebat iugo liberales declaratos; gratias agunt apud se Senatui quod probare queant, cuius sint seminis, cuius originis, cui⁹ ministerij, cuius officij, quodq; magis eos delectat, vidēt, cælo sic agēte, sibi viā cedere honestatis saluâ in Curiā obseruantiâ, integro in Senatum obsequio. *m* Euocantur à Cognitore Regio nonnulli è primoribus, amanterque compelluntur Senatusconsulto parere; at vnanimi respondent voto, Regi se fidos extare, Curiæ deuotos; dudum scire iussa Senatus venerari, colere, exequi, & nunc velle ipsius placito obtemperare, obsequi, parere.

Nec minor in factis quàm in dictis, fides affulsit, Maiorque haud biè expectatione virtus paruit, supremo obfirmata animo cum excitata placito; quàm primùm enim datum *n* est, conuenere in Ba-

l Du Samedy XVIII. May. *Ce iour la Cour, toutes les Chābres assemblées, continuant la deliberation sur la Remonstrance des Aduocats & conclusions du Procureur General du Roy, a arresté & ordonné que l'Arrest du 13. de ce mois sera gardé & obserué; & a enioint ausdits Aduocats d'y obeir & de venir au Palais faire leurs Charges, desquelles si aucuns se veulent desister, seront tenus le declarer & signer au Greffe, & en ce cas les a priuez d'icelles, ordonne qu'ils seront rayez de la matricule & à eux fait defenses de consulter, escrire ny plaider cy apres, à peine de faux.* M. IABIN.

m Conseil secret du Mardy XXI. May. *Ce iour les Grand'Chambre, Tournelle & de l'Edict assemblées, les Gens du Roy mandez enquerir s'il y a des Aduocats, pour plaider à l'Audience, ont dit qu'ils ont pris garde en la Salle du Palais & n'ont veu aucuns Aduocats & peu de Procureurs; & encore depuis ce matin que le Procureur General a esté mandé, M. Louys Seruin & luy ont enuoyé des Huissiers s'enquerir s'il y auoit des Aduocats, ont rapporté ne s'en trouuer aucuns: au surplus ledit Procureur General representa à la Cour, que Dimanche matin l'Arrest donnée les Chambres assemblées le iour precedent luy ayant esté apporté, il auoit mandé le Bastonnier des Aduocats & fait aduertir du Hamel ancien Aduocat, de venir vers luy auec cinq ou six autres Aduocats; ce qu'ils firent, lesquels il aduertit en presence de quelque nombre d'Huissiers d'obeir à l'Arrest, les admonestant de ne craindre ny faire doute aucun de la benignité de la Cour, & que plus ils apporteroient de difficulté, plus il y auroit d'aigreur, auec vne comparaison de la Biche, laquelle frappée d'vn dard s'enferre dauantage plus elle se remuë. Leur response fut qu'ils estoient tres-humbles & tres affectionnez au seruice du Roy & de la Cour, & qu'ils se conformeroient à son intention; & hier s'estant les Aduocats assemblez és Chambres des Consultations, le Bastonnier les vint trouuer sur les neuf heures, & leur dit qu'ils auoient resolu d'obeir à l'Arrest, & leur ayant dit cela en particulier au Cabinet, ils leur firent repeter en public; Mais la Cour a pu entendre la resolution qu'ils ont prise de se desister de leurs Charges; sur quoy n'ayant encore conferé au Parquet, le feroient presentement & representeroient à la Cour ce qu'ils pensent estre du deuoir de leurs Charges; & s'estans lesdits Aduocat & Procureur General du Roy retirez & que incontinent apres retournez, ont dit à la Cour par M. Louys Seruin auoir esté aduertis que M. Simon Marion l'vn des Aduocats du Roy estoit indispose & ne pouuoit venir pour ce iour; & dautant qu'ils estiment cette affaire de grande consequence & fort difficile, eussent bien desiré y auiser tous ensemble. C'est pourquoy si la Cour trouue bon de leur donner delay iusqu'au lendemain; ils prendront leurs conclusions d'vn commun consentement: sinon & afin que la Cour n'estime pas qu'ils y apportent quelque longueur, sans attendre leur Collegue, ils prendront conclusions en son absence, cependant la Cour pour estre occupée aux Edits presentez, mesme à celuy des duels: la matiere mise en deliberation, ladite cour a arresté de vacquer aux affaires du Roy & surseoir la plaidoirie pour ce iour.* M. DE FLEVRY.

n Ce fut le Lundy 20. de May, ne l'ayant pas pû plustost, car l'Arrest auoit esté rendu le Samedy 18.

silicam

silicam QVOTQVOT STVDIO COLLIGATI HONESTATIS, Togam deponere statuerant, septemque supra *o* ter centum impleto numero, votis omnes concordibus inuenti & facti, bini bini ad archiua progressi Curiæ, inibi se abdicare munere professi sunt.

o In Consultationum quam vocant Camera CCCVII. congregati concordibus votis stare sibi dixerunt, munere se publicè abdicare, & subsignatâ deliberatione, è vestigio bini ordine apud Curiæ Archiua eâ mente perrexerunt, quâ re quasi iustitium indictum, & magna perturbatio in ordine iudiciario secuta; ita vt vrbis facies parum à seditione abesset. *Thuan. lib. 128. historiarum.*

O digna foro Senatorio Capita! ô plena studio honestatis pectora! ô vera Maiorum soboles Sapientiumque prosapia! Obstupesce Romana Antiquitas, nec non Attica, & si quæ alia gestis viros tulisse sapientes simul & fortes; numera, si potes, quotquot tua dederunt & tempora & sæcula, & vide an conuocati, an congregati, an adunati vel dimidium eorum impleant numerum, quos nostra ætas suo sub initio & vidit & dedit? Quis in illis virtute inferior alteri comprobatur? an vllus vacillat? an hæret vel minimus? an de vltimo primus sollicitus est, metuitque ne fraudetur vel in vno? Par inest omnibus & fides & honestas, forumque in quo degebant iam agnoscis extitisse, Heroum palæstram, Sapientum scholam. Nec vos etiam, ô Iudices amplissimi, ista-hæc, vt opinor, offendit constantia; quin potius vestræ gloriæ ea cedit, quantos enim vestra purpura gerat animos iam demonstratur, dum vniuerso Galliarum innotescit Imperio, quantos ipsius & gremium fuderit, & cura aluerit, & vmbra fouerit. Obsequuntur cæteroquin, sed placidâ mente, sed seposito murmure, sed quali demùm vestros decet alumnos, modestiâ, prudentiâ, constantiâ. Quantus non inde vel vobis decor? Disciplinam ordinatis & consummatæ probantur obedientiæ, vos æquitatis, illos honestatis amor exagitat. Denique DIGNI VEL CVM OFFICIO CEDVNT, VESTRO FORO COMPROBANTVR EXTITISSE.

Recenseant si volent Historici ciuitatis luctum & ferè tumultum, cùm tunc fuissent Respondentium clausa adita, muta oracula, ipsiusque insuper Curiæ compressa labia, PRÆSTRVCTORE *p* IVDICIORVM IPSIVS SERMONE SVFFOCATO. Regia pulsata est à clamore populorum benignitas, & in principali solio cognitum est QVANTVM TOGA POLLERET OFFICIO, QVÆ TANTVM POSSET SILENTIO. Digna sanè vel Henrico Magno sollicitudo tunc enata est, sagacique tandem *q* prouidentiâ suus Curiæ, suus & Togæ *r* serua-

p *V. sup. lib.* 3.

q Du Lundy III. Iuin. *Ce iour la Cour, toutes les Chambres assemblées, apres auoir deliberé sur les Lettres patentes du xxv. May dernier pour faire exercer aux Aduocats leurs Charges suiuant icelles Conclusions du Procureur general du Roy, a arresté que lesdittes Lettres seront registrées, & suiuant icelles les Aduocats exerceront leurs Charges, & obeiront à l'Arrest du xiv. May.*

r *De sorte qu'il fallut que le Roy y interposa son Authorité, enuoyant de Poictiers, où il estoit alors, vne Declaration tres prudente & iudicieuse du 25. May 1602. & qui fut verifiée le 3. Iuin ensuiuant, par laquelle pour mettre d'vn costé à couuert l'honneur de ses Officiers souuerains, il confirma l'Arrest qui auoit esté rendu par la Cour, enioignant aux Aduocats d'y obeïr; & d'vn autre il restablit en mesme temps les Aduocats qui auoient esté interdits de leurs Charges, leur donnant pouuoir de les exercer comme ils faisoient auparauant; & ainsi peu à peu chacun retour-*

na au Palais, sans qu'il fut plus parlé de Reglement, ny de cét article de l'Ordonnance de Blois. Preface du Dialog. des Aduocats.

tus est honor; Togæ, inquam, cuius haud dubiè obscurior extitisset gloria; si leuiora f ipsi fuissent constantiæ pericula.

f Vile denique putauit semper Aduocatio Parisiensis subnotare in calce scriptionum forensium, quid earum nomine à clientibus datum fuerit, maximéque id visum est anno 1602 20. Maij, tanta nunquam Patronorum vel propositis ex Senatusconsulto in eos lato terroribus; imperanti enim subscriptiones illas Curiæ nec paruerunt, cùm sordidum illud, atque ab honorarij nomine, quod Aduocationis pretium Iurisconsulti nuncupant, prorsus alienum dicerent; dignum historia putauit Mathæus Lugdun. Histor. Regius. *Mornac. ad l. 38. ff. Locati.*

CAPVT XXXIII.

Cauere.

AD nos autem futuræque ætatis Consultos quid hoc egregium sapientiæ simul & constantiæ monimentum succlamare videtur, ni ne degeneri vnquam animo quicquam admittamus, quod Maiorum institutis, quod Patrum exemplis detrahat aut repugnet. Nullus, quæso, sibi ipsi illudat & imponat; haud tanta fulsisset in illis animi magnitudo, si remissior extitisset de seruandâ honestate sollicitudo; quapropter vbi quis ad sordes deflexerit, & à constantia quoque excisurum se reputet. At ne longiùs prouehar, Libelli me admonet tenuitas, & ad cætera Consultorum munia citato gressu compellit pergere; festino igitur, & cùm iam bina explicata sint RESPONDERE nimirum, & SCRIBERE; ad tertium accedo quod CAVERE est.

Illud de priscis Iurisconsultis frequenter occurrit dictum, nedum in iure sed etiam apud Authores; scribere autem ad formulas actionum, cauere verò ad stipulationes solemniaque actuum adimplenda porrigebatur. Vnde & ad conficienda testamenta, & ad concipiendas difficiliores pactiones, seu nuptiarum, seu venditionis, seu cuiuſ-uis alterius instrumenti frequentissimè implorabatur Iurisprudentium opera.

Verùm, nil quantum ad hoc priscis debemus Consultis; quotidie siquidem, ad transactionum, venditionum, permutationum, pactorum dotalium, aliosque huiusmodi informandos actus adhibemur, nec non ad elaboranda secundùm imperatas à Statutis solemnitates testamenta. Tritum est hoc, adeóque frequens & vsitatum, vt longiori sermone non egeat.

CAPVT XXXIV.

Libelli supplices aduersus Curiæ placita.

AD aliud igitur transuolamus Consultorum munus, quod quidem è Senatus prouidentia maximam sumpsit authoritatem; notum est enim, tritas ob rationes supplicari posse aduersus ipsamet Curiæ iudicia. Verùm cùm effrænis litigatorum procacia ad protelandas perennandasque iudiciorum ærumnas, nil non attentet & audeat; inueniebantur qui contra fas omne lites iam diremptas retractari postularent, impetratis ad hunc finem Regiis diplomatibus, quorum scriptura, cera, membrana, cuiuis numeranti pecuniam semper cedunt. Accedebat aliud incommodum; nullus enim ferè inueniebatur Causidicus qui pro impetrante dicere vellet; & siue ignari Consulti fuissent ab actoribus, siue potius proterui litigantes confictâ schedâ qualiscumque consilij Literas ipsi-met impetrassent, cesserat tandem in prouerbium de his-ce Literis supplicibus; *Plures esse qui consulerent, rariores qui dicerent.* Tot igitur incommodis non aliud prouidentia Curiæ adhibuit remedium quam ipsam-met Prudentium operam; rogante *a* enim Cognitore Regio vetiti sunt diplomatum dispensatores supplices vllos conficere libellos aduersus placita Curiæ, ni formulæ exarandorum ipsi-met vidissent alligatam deliberationem duorum Consultorum syngraphâ communitam, qui quidem Consulti causæ posteà perorandæ interessent.

a Sur la Remonstrance de Monsieur le Procureur General du nombre effrené des Requestes ciuiles obtenuës sans suiet & Consultation qui faisoit esprouuer aux pauures parties vn second & malheureux naufrage, ne se trouuant apres aucun Aduocat qui les voulust soustenir ny plaider; la Cour ordonna que doresnauant nulles Requestes ciuiles seroient receuës au sceau, sans au prealable estre consultées par deux anciens Aduocats & la Consultation attachée aux Lettres, & veüe par le Secretaire; lesquels anciens seroient tenus conseillans les Requestes Ciuiles, signer leur Consultation, & l'ayant signée, assister à la plaideirie, & en cas de maladie, seroient excusez rapportant leur Consultation signée. Ce Reglement est extrememẽt vtile pour les parties, car sous ombre que cette voye est permise, quand il y a dol, surprise ou precipitation, les humeurs opiniastres ne se voulant iamais rendre, essayent tout, dressent eux mesmes les Requestes Ciuiles ou les Consultans, & est aisé de surprendre vn Aduocat auquel on cache ce que l'on veut; les Anciens se laissant aller d'autant plus aisement, que par leur premier Aduis ils ne s'obligeroient point à soustenir; & comme on disoit en commun prouerbe, en matiere de Requeste Ciuile prou d'Aduocats pour consulter, point pour soustenir. *Aujourd'huy que les anciens Aduocats sont rendus guarends de leur Consultation, & que la Cour les oblige de soustenir leur aduis, ils se rendent plus religieux à descouurir la validité des Arrests, & se trouuent moins de Requestes Ciuiles, estant vn bien aux parties de ne point souffrir vn second mal.* Corbin Arrest 123.

O præclarum, vt mihi videtur, Curiæ de Consultorum prudentiâ iudicium! Videte quotquot estis in solio consessuri Senatus benignitatem; sua ipsa-met patitur, audit, sustinet impugnari retractarique Decreta, sed præuium requirit solertiæ vestræ officium. Vos igitur constituit quadamtenus suorum Censores placitorum, nec vos à se-ipsâ postmodum censendos, duriùs vnquam

excipit; imò impugnantes dum sustinet, non aliter habet quàm de integra quæstione loquentes; Stantes enim, non incuruo supplices poplite, suggestum impletis, capiteque tecto, vt Togæ ministerium vbicumque ingenuum comprobetur. Denique ab ipsius limine exulat seuera illa populorum disciplina, qui nil contra leges & si plerumque iniquas volebant dici, ni collo proponentium funibus inuoluto. Tantus enim in illa viget amor veritatis & æquitatis, vt libertatem vtriusuis detegendæ, ne minimo quidem velit grauamine deturbari. O suprema, sed supremo digna Senatu indulgentia! O dignum itidem Consultorum solertiâ munus & officium! quod quidem suscipere eximia fiducia est, implere verò consummata sapientia.

Cæterùm, laudabilis admodum effulsit Togatorum suggestio, dum in priuato quodam suo consessu, de præcidendis frequentioribus illis libellis supplicibus facilem excogitauere viam; vt scilicet saluâ secreti religione, liceret reorum Aduocatis, actorum adstante Causidico, ipsosmet adire Seniores, de quorum consilio diploma fuisset impetratum, & si quid penes se extaret, quod Seniores in deliberanda latuisset, explicare. Nonnihil etiam in eo conuentu de istiusmodi libellorum forma adductum est in medium, quod quidem in dies magis ac magis demonstrat, quanta in Togatorum ordine, non decipularum adinuentio, sed boni & honesti disciplina vigeat & professio.

b Conference du Mardy 27. Decembre 1661. *La Compagnie a arresté qu'il seroit loisible au defendeur en Requeste Ciuile de communiquer de la cause aux deux Anciens qui l'auroient consultée, en presence de l'Aduocat du demandeur, sans que les deux Anciens en pussent estre retenus par la religion du secret & de l'aduis qu'ils auroient donné: estant vn moyen fort propre à terminer beaucoup de Requestes Ciuiles, ausquelles Messieurs les Anciens ne donnent quelques fois leurs suffrages, que pour n'auoir pas connoissance des pieces ou des defences des parties aduerses, ce qui pourra se terminer ou esclaircir par vne communication extraordinaire. A esté trouué à propos qu'il ne s'obtint plus de Requeste Ciuile que la Consultation ne fut sous le Contre-sel.*

Quant à la forme; qu'il suffiroit qu'il y eut coppie en forme de proiet de Requeste Ciuile au pied duquel seroit l'aduis de deux Anciens, ce qui seroit attaché sous le Contre-sel des Lettres, & que sans qu'il fut besoin de le faire signifier, suffiroit que le defendeur le trouuast dans le sac lors de la communication, & eut par ce moyen connoissance des deux Anciens; lequel aduis a preualu.

CAPVT XXXV.

Ius interpretari.

NEmo hactenus aduertere non potuit nos de eâ dumtaxat Iurisprudentiâ agere Gallicâ, quæ in foro viget & nitet, cuiusque professio Aduocationi coniuncta est; nil enim de Professoribus attigimus qui in scholis non Ius Gallicum, sed Romanum edocent & elucubrant; & sanè non deerit sua laus Academiis, quotiescumque Balduinum, Cuiacium, & quotquot alij floruerunt Antecessores, eruditus aliquis calamus voluerit celebrare; quapropter, secretis, sicut hucvsque Consultorum exercitiis à studiis Professorum, Ius interpretari non hìc accipimus pro eo quo funguntur scholæ Authores munere & labore; sed pro eo laudabili studio, cui semper in foro viri plurimi incubuerunt, collatâ omni suâ

operâ in colligendis, explicandis, enucleandis, Iuris nostri Gallici principiis & regulis. Hos igitur solos dumtaxat intuemur morum nostrorum Interpretes, necnon ciuilis cum Iure nostro Collatores, quales in solio Parisiensi floruerunt Brolius, Gallus, Marescallus, Tiraquellus, Molinæus, Lucius, Choppinus, Bacquetius, Robertus, Mornacius, Brodæus, innumerique alij, quorum nomina multò fælicius sublimabunt à se-ipsis edita volumina, quam nostra hæc tenuis pagina; nec immeritò quidem de Molinæo ac Choppino illud idem dici posset, quod de Mucio, Bruto & Manilio non refugit scribere Pomponius. QVI *a* NOSTRVM FVNDAVERVNT IVS CIVILE. Sed & Choppino *b* Regia Maiestas Ius nobilitatis contulit visis quos scripserat de Domanio Codicibus; quasi nostra fori Iurisprudentia hoc insigne ambiisset, ne quâ in re vel à Germana vel ab Itala vinceretur. Quòd si quæratur quanti apud nos sint momenti tot Authorum scripta & sententiæ? Respondendum est, non maioris quàm ab ipsa-met æquitate & iustitia petiti; non enim apud nos in verba vllius magistri iurari solet; quapropter summa Codicum ipsorum, (sicut iam de Consultorum diximus responsis,) est authoritas, si summa in eorum sententiis ratio inueniatur & æquitas.

a l. 2. §.

b Ab Henrico III. Rege nostro ius nobilitatis adeptus est quod ei scripsisset libros de Domanio. *Papyr. Masson. in vita Choppini.*

CAPVT XXXVI.

Rescribere.

HVc-vsque nostrum paruit hemicyclium non aliâ firmatum auctoritate, quàm quæ Sapientiæ accedere solet è suâ-met naturâ. At deinceps illud ipsum nobis obseruandum est iudiciariâ quadamtenus potestate sublimatum, nec responsa solummodò præstans aut consilia, sed adstruens etiam decreta & placita.

Primum igitur potestatis illius seu insigne seu præcipuum, RESCRIBERE potest vocari; non tamen eo sensu quo apud Romanos vsurpatum fuit; neque enim vllum parte postulante & deferente mittitur à nostris Consultis ad Magistratus rescriptum quo eorum Sententiæ captiuentur; at ipsi-met Iudices, sæpissimè Consultos seu verbo seu scripto conueniunt, ab eorum eruditione accepturi qualiter & quomodo lites in suis motas Tribunalibus definiant & dirimant. Quàm autem præclarum sit illud hemicyclij præcipuum quis potest nescire? Priuati siquidem in eo tot inueniuntur Prætores & quidem perpetui, quot Prudentes, nullisque mancipati Tribunalibus, cunctis tamen cùm res occurrit suâ præsunt sapientiâ, intersunt iustitiâ, adsunt prouidentiâ. Adsidere, fateor, nonnihil magnum est, multúmque defertur Aduocato dum paris ac Iudicis constituitur imperij; At maiorem non parem adipiscitur potestatem quisquis ab ipso rogatur Iudice, ferre sententiam, non quæ librari debeat, sed suscipi, sed dici, sed scribi, sed impleri.

CAPVT XXXVII.

Decreta Extra-iudicialia. a

a Arrests par expedient ou d'appoincté.

NOn tamen omnimodæ potestatis est illa Consultorum sententia, vt quæ ab ipsius dumtaxat Magistratus imperio vim habeat; vlteriùs igitur progredimur, & in hemicyclio supremam intuemur communicatam à Curia Prudentibus placiti authoritatem; cùm enim illa maioribus intenta negotiis, leuiuscula grauaretur dirimere, Consultos suffecit, quorum ex arbitrio, auditis tamen partium Aduocatis definirentur. Hæc iudicandi ratio, quia faciliori & vt ferè dicimus expeditiori viâ iniri solet & absolui, CONVENTA, TRANSACTA, CONFLATA, passim appellatur à *b* Budæo; sed cùm tota perficiatur extra Tribunal, non immeritò EXTRA-IVDICIALIS dici posse mihi visa est; iam igitur ferè à sæculo Curia sanciuit, *c* Eremodicia ab appellantibus commissa; Prouocationes vel ab incompetenti factas Iudice, vel temerè & improbè emissas, aliaque id genus iurgia, non amplius ad suum deferri explicari-ue Tribunal, sed Consultorum dirimi iudicio, quodque ab ijs æquum, iustumque dictum fuisset, apud acta delatum Curiæ, Decreti * omnimodam obtinere potestatem. Vbi igitur occurrunt causæ, quæ priuati quadamtenus illius fori sunt, potest vtriusue partis Cognitor, aduersæ Cognitorem compellere ad hanc iudicij

b Budæus passim in forens.

c La Cour ayant deliberé sur la Requeste à elle presentée par le Procureur General du Roy, &c. a ordonné que doresnauant toutes instances d'Adiournemẽs en desertion, folles intimations, & appellations d'appoinctemens de fins de non proceder &c. seront vuidées par aduis des Aduocats & Procureurs &c. fait en Parlement le 23. May 1576. & publié en iugement le 28. May 1576. La Cour sur la Remonstrance &c. a enioint & enioint aux Aduocats & Procureurs, &c. garder les Ordonnances & Arrests pour le regard des desertions, appellations d'incompetence, defaux & contumaces, &c. folles intimations & autres semblables, de les vuider par expedient, &c. Publié à la Barre de ladite Cour le 7. iour de Septembre 1595. Chenu. des Offices, volu. 1. tit. 27. Chap. 141.

* De quantacumque summa agatur. *Mornac. ad l. 14. Cod. de Aduo. diuersor. iudicior.*

subeundam aleam, quæ quidem ita perficitur, vt Cognitores & Aduocati partium, vnà cum aliquo è Consultis à se delecto deliberationum cellas ingressi, negotium explicent; tum Consultus quid censeat profert; exaratur postmodum iudicij formula, dein ab vniuersis suscripta ad Cognitorem defertur Regium, qui & illam suâ mûnit syngraphâ, mulctamque, si quæ debeatur à temeratore propriâ apponit manu. Tandem apud acta publica deponitur, & omnimodam iudicati à Senatu vim obtinet.

Quanta autem Consultorum ea sit dignitas & authoritas, quis iam non videt? Supremæ quippe facti sunt participes potestatis, & in subsidium circa altiora occupati Senatus Ius dicunt & faciunt. Ipsius igitur, si non purpuram, saltem spiritum induunt, spiritum inquam, illum consilij & sapientiæ, intellectus & scientiæ, qui suprema dirigit oracula; vnde non immeritò Thuanus *d* ait, *Togatorum Ordinem, qui in Iure dicundo præcipuus est, amplissimi Ordinis partem facere non minimam.*

d V. sup. cap. 32. litt. f

Multoties *e* autem iudicatum est nequaquam in hac-ce transacta cadere iudicia motas ab inferioribus potestatibus difficultates, circa illud quod vnicuique competit imperium; etsi non ipsi Magistratus, sed partes dumtaxat, vt fit nonnunquam, definiri postulent imperia; eæ quippe iurgiorum controuersiæ, apud Triumviros explicari solent & dirimi.

e Les causes de Reglemens de Iuges ne se vuident point par expedient, mais au Parquet par l'aduis de Messieurs les Gens du Roy.

CAPVT XXXVIII.

Arbitria.

VLtimum quod referam Consulti ministerium *a* è boni viri præstruitur insignibus, cuius est, vel teste Horatio iura & leges, non solùm nosse, sed & seruare, adeò vt nedum peritiâ polleat, sed æquâ præsertim viuendi fulgeat ratione, doctrinâque non vtatur ad fouendas dissensiones, sed potius ad dirimenda colluctantium iurgia, tantâ cæteroquin opinione sanctitatis vt vel ipso responsore & teste, lites teneantur, causæ secentur. Et fateor quidem non è solo dumtaxat hemicyclio deligi arbitros; verùm cùm frequentissimè id fiat, mouemur dicere; præcipuas quæ in bono viro fulgescunt dotes, in nostris agnosci Prudentibus; iisque conspicuos illustribus etiam viris admisceri. O quàm præclarum est Consultos purpuras inter & infulas sedendi ius habere, nec inferiorem ferendæ sententiæ potestatem! cùm par omnium sit opinionum pondus, librenturque non à dignitate sedentis, sed ab æquitate dicentis, imò veriùs ab eâ solâ quâ præpollent ratione. Iustitia autem vnica Arbitrorum animos & mentes regi debere plus satis vulgatum est; si tamen dictum vel vnius in forensi solio conspicui non redundat, celebrabo Hugonium, quocum Burdigalæ vltimo mense Iulio de inclytissimæ Eguillonij Ducissæ disserebam negotiis; ille enim superuenienti amico osculum quidem dedit; at litem extemplo cui dirimendæ Arbiter datus fuerat commendanti, infucata respondit anima. FIAT IVSTITIA, ET PEREAT MVNDVS. O dignum Arbitri cuiusuis animo & sensum & responsum! Altè sanè adeò mihi adhæsit ingenua hæc contestatio; vt ab illâ reuoluendâ per plurimos dies meus non quieuerit animus.

a Vir bonus est quis?
Qui consulta Patrum, qui leges, iuraque seruat,
Quo multæ magnæque secantur iudice lites.
Quo Responsore & quo causæ teste tenentur. *Horat. 1. Epist.*

De modo considendi, rogandæ nec non dicendæ sententiæ, superfluum esset dicere. Admodum tamen laudanda est consessus priuati illius prouidentia, in quo Togati selecti è columnis vnà cum Antesignano proposuerant, relatores ex Arbitrorum numero constitui, vt breuiùs tutiusque explicato negotio, status causæ citò dignosceretur; horarumque in euoluendis authoritatibus impendi solitarum vitato damno, Ius diceretur partibus & citius & æquius.

Extrait de la 6. Conference du Mardy 27. Decemb. 1661.
Es arbitrages, il y aura des Rapporteurs. Si tous les Arbitres sont nommez indistinctement, n'y aura qu'vn Rapporteur, sçauoir le plus ieune ou celuy que tous nommeront; si les deux parties ont nommé chacun vn Aduocat, & que tous les autres soient nommez en commun; en cas que l'affaire

soit legere, il n'y aura ou que le plus ieune ou celuy qui sera nommé; si elle est importante ou difcile, les deux tenans seront Conrapporteurs & communiqueront preatablement ensemble pour arrester vn Extraict exact & fidel.

CAPVT XXXIX.

Quibus honoribus gaudeant Consulti.

Explicatis Consultorum in supremo hemicyclio muneribus, è re iam videtur nonnihil dicere de eo quo gaudent apud nos venerationis præcipuo & honoris. Et purpuram *a* quidem profestis diebus gestaſſe constat, nec paulò ampliùs à sæculo sensim illam reliquisse, non alio quàm spontaneæ desuetudinis imperio; Spifamio *b* constanter vltimas illius-ce insignis induto tesseras; nonnunquam itidem in intricatioribus *c* negotiis prægustabantur eorum à Curia sententiæ; nec multùm pridem Dalonius, qui apud Burdigalam istius-ce sæculi lucerna Iuris habitus est, discussâ arduæ difficultatis quæstione intra Secretarium à Protopræside fertur accitus, amanterque coram plurimis Senatoribus compulsus edicere, in eandem-ne iuisset Sententiam? Cuius quidem rei mihi author est ipsius-met Dalonij filius, qui ceu Bricquetius alter, relictâ Senatoriâ exhedrâ Regijque in illo Senatu Patroni suscepto munere, nil suo honori detractum putat, à selecta standi necessitate.

Verùm, & purpurâ, & dignatione illâ Senatus, & euectione ad potestates prætermissis; ad ea quæ nunc vigent transeamus honorum insignia; quorum primum ex ipso peculiari Prudentibus occurrit titulo. Cedit enim *d* illis solis gloriosa Consultorum generalium, seu vt ipsæmet ordinationes habent Consiliariorum in Senatu appellatio.

a Iadis nous auions la prerogatiue de porter aux bons iours la robbe d'escarlatte, violette ou rouge, selon qu'il se voit encore aux anciennes representations qui sont aux Eglises. Dialog. des Aduocats, Confer. 1. au commencemẽt.

b M. Raoul Spifame. *Il declina tant sur la fin de ses iours, qu'il n'estoit remarquable que d'vne chose; c'est que voulant reprendre ou tenir l'ancienne marque d'honneur des Aduocats & Conseillers Generaux du Parlement il se presentoit à prester le serment aux ouuertures qui s'en faisoient à la S. Martin auec vne robbe d'escarlatte, ce que ie n'ay veu faire qu'à luy, encore que, comme ie vous ay dit cy-deuant, aux anciennes representations qui se voyent aux Eglises, les Aduocats se trouuent en pareils & semblables habits que les Conseillers.* Dialog. des Aduocats, Confer. 3.

c *Et encores; qu'il ne se iugeoit gueres de causes de consequence où la Cour se trouuast empeschée, qu'elle n'en prist l'aduis de nos Anciens, lesquels aussi estoient par elle nommez au Roy pour estre pourueus des Estats d'Aduocats & de Procureurs Generaux & de Conseillers lors qu'ils venoient à vacquer; qui sont toutes remarques d'honneur qui se voyent par les Registres de la Cour.* ibid. Confer. 1.

d *Vous auez pû souuent entendre d'eux, que par les Ordonnances qui se lisent ordinairement, nous sommes appellez Conseillers & Aduocats Generaux, qu'en cette qualité nous auons seance sur les fleurs de Lys, au moins les Anciens, & portons les mesmes robbes & chapperons que Messieurs, voire auons cet aduantage sur les Conseillers des Enquestes de porter des chapperons fourrez comme Messieurs de la grand Chambre, ce qu'ils n'ont pas, & non seulement ceux qui sieent sur les fleurs de Lys, mais aussi les Aduocats plaidans.* Dialog. des Aduocats, Confer. 1. au commencement.

Alterum, ex humerali desumitur, pelliceum enim gestant quod solis primi in Senatu Auditorij concessum est; cæterarum.

rum Classium Magistratibus, simplici dumtaxat assignato.

Tertium sedile est liliatum interius quod ipsis cedit, vt audiendis intersint causis honore conspicui & senectutis & virtutis. O quàm præclarum illud á nostris Maioribus excogitatum est fori supremi ornamentum! Diceres Athletas illos prisci temporis Heroum præclarè gestis insignitos, titulis & palmis, celebritatem adhuc ludorum suâ augere præsentiâ animosque dare certantibus, præmonstrato illis suæ fortitudinis iam illustri & otio & solio. Illos insuper sic spectantes assuescunt iuniores agnoscere, obseruare, reuereri; denique mentem Curiæ, si qui alij è lato secernunt iudicio, sua postmodum iuxta illam formaturi consilia; Nec sanè infrequenter olim Protopræsides post diremptam à Senatu quæstionem monebant illos de Iuris regula quam Curia statuisset, quæ quidem Ordinis amplissimi benignitas, cur iam rarior nobis affulgeat, dolere non possum, sicut & de desueta in purpurato consessu iudiciorum norma. O nostra ætas in quibus-uis insignibus nulli non superior, quo fato his-ce in ritibus inferior comprobaris! Sed si tandem iaces pristini splendoris illius recipiendi penitus exspes; forum saltem tuum serua Seniorum & sedilibus illustratum & præsentiâ. Fertur sanè Protopræses Bellieuræus amanter illos ad insidendum frequentius liliis inuitasse; vnde non immeritò nostri selecti è columnis Antesignanum vt idem præstaret rogauerunt.

e Extraict de la Conference du Mardy 17. Decemb. 1661.

M. le Bastonnier a esté prié d'inuiter Messieurs les Anciens de venir souuent prendre au Barreau les places qu'ils y ont sur les fleurs de Lys. M. de Gomont a certifié qu'ils y auoient esté inuitez par Monsieur le premier President de Bellieure; leur presence fait partie de la celebrité des Audiences; & peut produire beaucoup d'vtilité, les Ieunes apprennent à les connoistre & à les respecter; ils seruent aussi de conseil à ceux qui plaident, & d'Interpretes pour les Arrests qu'ils entendent prononcer.

Vltimum denique præcipuum est Tyrones in forum deducere, Togæque aggregandos ostendere & assignare. Plura autem de isto superiùs iam fati sumus. Quapropter id vnum forsan hîc addendum est, Tyrones scilicet, si non è costis, saltem veluti è latere Prudentium enasci & exsurgere. Gaudete igitur, Ordinis nostri Patres & Coriphæi ijs insignibus & præcipuis quæ vobis Maiorum prouidentia voluit cedere; venerandâque non tam senectâ conspicui quàm virtute, vos ipsos nobis & eruditæ Patres doctrinæ, & ingenuæ Authores vitæ indefesso probate officio.

CAPVT XL.

Consultos lædi à Magistratibus indecorum.

ET sanè, si nostræ mentis oculos constanter in eos conieceri- mus, non solùm quas recensui numerabimus virtutes, sed singularem insuper Magistratuum obseruantiam, ad quos quantò plus dignitate accedunt, tantò plus veneratione deferunt. Æquum est igitur, ô Iudices, vt eos saltem habeatis vt Consulentes qui vos

habent vt Senatores. Absit tamen vt de Curia vel verbulum emittam quod ipsius in nos lædat benignitatem; & ab ea quod tenemus accepimus; & ei quod non amisimus, debemus, se quippe & in Causidicis violari nouit & in Consultis; suique quadamtenus portionem non dedignatur in vtrisque agnoscere; At totius libenter dicam bonâ veniâ amplissimi Ordinis, nonnulli inuenti sunt, qui priuatim quid nobis debeat, non deferri quidem, sed seruari, vix agnoscerent, quasi testarentur, se nonnisi à congregato cœtu, quid illud esset, posse edoceri. Quò quæso ferebatur ille quondam qui delatas audiens ad Senatum Togati ordinis ab Antesignano querelas, quodnam animal esset BASTONNERIVS ironicè postulauit? at illi Collega Senior, SICCINE, ait, TE PARENS EDOCVIT FARI? Scitè omninò & argutè, cùm nunquam ille Senatores inter consedisset, ni Pater ipsius inter Consultos eminuisset. Alterum supremi cuiusdam Tribunalis Iudicem audiebam ego Tyrunculus, Chappellerium primi nominis Consultum durioribus verbis perstrinxisse, & ab eo tandem seueriori sed veraci dicto repulsum; cùm enim ille iratus Chappellerio dixisset, *Nostin' qui tu sis? nostin' qui sim ego?* Exasperatus vir ille, miti licet vt omnes nouerant animo. *Qui sim ego*, ait, *nec tu quantumcumque studueris euades vnquam; qui verò tu sis, quotiescumque libuerit ego fiam.* Sustinete nos, quæso, ô Iudices, si sapientiæ riuulus in nobis fluit, è vestro exoritur gremio in quo ciuilis sapientiæ plenitudo, totusque fons inuenitur. Cœtum, vt dixi, dignis semper celebrabimus præconiis; Ad singulos verò, si licet nobis, Apostolicâ vtemur deprecatione, summissisque effabimur animis, O PATRES, NON VNIVS DVMTAXAT FAMILIÆ, SED CVIVSVIS INSVPER ORDINIS PVBLICI, NOLITE AD IRACVNDIAM PROVOCARE FILIOS VESTROS. Non præfata adduximus læsuri quemquam, nec quod calore iracundiæ excidit volumus celebrare; sed dum à vobis vt Consulti habebimur, discamus & vos tanquam Magistratus & habere & colere.

CAPVT XLI.

Ad Prouinciales Consultos.

AT tempus est, ni fallor, vos etiam alloqui, mei Sodales, qui longiùs à Senatu dissiti, sapientiæ luminibus tenues & deuios confortatis & reducitis. Quis tamen ad vos sermo meus erit, ni qui & ad me dirigitur, consummatæ scilicet instituta sapientiæ è Senatoriis petere Prudentibus, & ab eorum tum vita, tum doctrina informari? Opus sanè vestrum perquam laudabile est, vitæque ciuili continendæ prorsus necessarium; at Sapientes intelligite vos nominari, nilque vnquam quod tantum dedeceat titulum admittite; vorandæ sunt, fateor, molestiæ Rusticorum, insudandum est in perdiscendis negotiis quæ ignari, rudes, inscij nequeunt explicare,

tenuis pro tanto labore pensatur merces & quandoque nulla, denique nil occurrit, nisi quod sapientiam per ipsam patientiam probare potest; at iterum vos non indignos tanto ministerio demonstrate. Cæterùm non adeò obscura est Prouincialium vel vita vel doctrina, vt in ipsius Curiæ ædibus non celebretur & floreat. Quid non de Conchylio, quid non de Canutio, quid non de Paponio, Imberto, Guenosio, cæterisque innumeris forum vel Senatorium proclamat? Quasi diceres, Sapientes ipsos, inque gremio enutritos ciuilis sapientiæ lucernas tamen suas ad Prouincialium lumina nonnunquam accendere, aut saltem effari ad eos quos recensui viros *Date nobis de oleo vestro*; Intereà boni publici summa ratio vos ita adunat, vt nequaquam timeatur oleum deficere, vobisque & illis non sufficere; bono igitur state animo, & cùm vestra sedes obscurior vobis videbitur, pensate, quia illuminaturi estis, non Proceres, non Magnates, sed Rusticos qui in tenebris iacent ignorantiæ; & in vmbra sedent imperitiæ.

CAPVT XLII.

Ad eos qui Proceribus sunt à Consilijs.

SEd siue in Prouinciis, siue in Senatu Sapiētiæ ciuili detis operā, liceat mihi, quotquot à Proceribus seligimini paucula vobis extra forum suggerere Rationabile igitur sit vestrum ministerium. Magnum est sanè professionis nostræ ornamentū quod & Proceres & Magnates eâ se indigere agnoscant, multaque vobis accedit gloria, quod vestrâ probitate & doctrinâ, vestro consilio & officio, parta iam à multis sæculis Hemicyclio dignitas, in nostris adhuc oculis perseueret; sed quæso attendite, non tam vobis quàm innumeris aliis tanti ministerij commodum destinari. Viduæ clamant, pupilli vociferantur, creditores omnis generis suspirant; alij denique actorum sustinent partes, alij reorum, in hoc, vt putant, omnes miseri quod potentes experiantur sibi obluctantes. Facite autem quod summa à vobis sapientia expostulat, facite iterum, quantum in vobis est, vt nemini noceat clientum vestrorum potentatus. Magna laus, fateor, ab illustribus illis esse consiliis, at maior haud dubiè ita agere, ita consulere, vt Magnates ipsi quò potentiores agnoscuntur, eò iustiores euadant. In nullo cuiquam adulamini, veritas semper in ore vestro sit & æquitas; Aulicos forsan adderet turpia adulationis exercere flagitia; vos autem prorsus dedecet vel minima aut veritatis aut æquitatis dissimulatio; acciti siquidem estis tanquam sapientes quod verum, quod iustum, quod æquum est, ingenuo patefacturi animo.

Sed quid ad eos seu Potentes, seu Dominos, quibus Ius gladij competit, vestra suggeret Prudentia? In hoc sanè vos fortes volo, generosos exopto; virulentum enim serpsit in omnes ferè Dynasti-

cas malum, & tamen vix vllus est qui attendat illud & corde recogitet. Quot sunt Domini, quot sunt Potentes, quot sunt Proceres & Magnates qui maximum illud gladij ius habent in suarum Dynastiarum incolas? Et tamen quot ex illis aut ministros habent qui Ius dicant, aut si habent, tales certè qui Ius sciant? Audite Proceres, audite Magnates, nullos excipio seu sacrâ, seu ciuili aut purpurâ aut infulâ, aut dignitate aut potentiâ eminentes. Censum exigitis, & si fortè egenus aliquis vnde soluat non habeat, citò illi imperatur, AVT CEDE AVT SOLVE. At vicissim Ius debetis, & si forsan nullum præficitis qui illud dicat, numquid vel primo è vobis eadem potest authoritate suggeri; AVT CEDE, AVT SOLVE? Quid dicendum ad hæc vobis est, non mihi, non coram me, sed ei & coram eo cui subiacetis Deo? Non timido, igitur, estote Consulti animo; magna res hîc agitur; satagite, curate, facite, vt Magnates illi & quod debent, sciant, & quod sciuerint exsoluant.

Verùm multò perniciosior erumpit pestis & grassatur è ministrorum præpositione, qui Ius haud sciunt; vel si norunt non faciunt. Videre est, (quod nobis in vrbiculis degentibus multò plus quàm cuique innotescit,) videre est, inquam, imperij insignia, Iusque demùm ipsum gladij quod in Dynastiis præcipuum est, his tradi, his committi, quibus nil minus notum est quàm Ius & æquum, aut si notum, nil minus gratum. Quorsum, ó Magnates, ô Proceres, ô Domini, ô Toparchæ & Dynastæ, quorsum, inquam, peruersè adeò agitis, vt nec imberbem capram, si vobis est, nec bouem macilentum, nec ouem denique putridam vlli, ni soluendo sit, confidatis? Ius verò summum gladij insciis, ineruditis & improbis committatis? Rapaces diceretis aquilas ranis non regendis, sed diripiendis datas, adeò in rusticos & tenues pupillos & viduas desæuiunt, & creditis hæc omnia nil prorsus ad vos? Audite iterum, inopes illi & simplices, quibus nec nummus adest nec animus, vt superiorum Potestatum aduersùs vos implorent limina, potentiùs agunt silendo, quàm dicendo. Cæterùm quodcumque Ministri vestri audent & perpetrant, adeò vestrum est, vt vos, non illi, prouocandi sitis ad humana tribunalia; quantò magis tandem & ad ipsa cælestia? Vos igitur cùm illi iudicant, iudicatis, cùm diripiunt, diripitis; cùm concutiunt concutitis, vos, inquam, quos in sæculo sublimat, diuenditâ sæpiùs sic agendi licentiâ; & non audistis vos futuros iudicium non hominum, sed Dei? Agite ergo; ô præclara hemicyclij lumina, & tenebras tam opacas fulgore vestro dissipate; Audiant illi qui vos consulunt, nullum esse imperium qui grauiori non subsit imperio, & qualemcumque Dominum, potentiori Domino subiacere. Fiant vobis & suggestoribus & authoribus tabulæ, è quibus Ministri illi quid sibi sit agendum, quid accipiendum, quid obseruandum addiscant; reformentur illi in melius, non tam iudicij quàm iniquitatis Throni, foroque tandem totus Galliarũ orbis suum debeat à tanto grauamine subleuamen.

> Vos quibus Rector maris atque terræ
> Ius dedit magnum necis atque vitæ,
> Ponite inflatos, tumidosque vultus.
> Quidquid à vobis minor extimescit,
> Maior hoc vobis Dominus minatur.
> Omne sub Regno grauiore Regnum est.
> *Seneca in Thyeste actu 3. Chor.*

Nec vllus nobis obiiciat in plerisque Regiis Sedibus res haud meliùs se habere; Rex enim qui sibi sint à Consilijs habet; Quid er-

go hac in re sit suggerendum & agendum, illi viderint; nostros verò Consultos alloquimur, qui cùm Magnatum non Regis negotia dirigant, quid Magnatibus patefacere debeant, & nosse eos æquum est & perficere.

CAPVT XLIII.


Quantæ virtutis Consultus esse debeat?

SEd tandem finis faciendi tempus instat, nec forsan hic libellus meliori claudendus est epilogo, quàm si adunatis animi viribus vnoque velut obtutu intueamur, quidquid hactenus sparsim & per partes sublime & celsum in hemicyclio suspeximus. Quid autem, quæso, illud est, nisi virtutum quarumlibet cæmentata adunatio, quibus ceu firmis columinibus sapientiæ ciuilis celsitudo præstruitur? Nullus, quæso, nobis insultet: non enim aliud in Consulto nunc patet quàm quod in Tyrone iam patuit & in Causidico; scilicet non idealem in foro, non impossibilem in solio, deposci virtutis normam, sed facilem, sed domesticam, sed ciuilem. An impossibilis fuit Quadrigarij probitas, Montholonij sanctitas, Portæi comitas, Tiraquelli scientia, Molinæi sapientia, Choppini eruditio, Leschasserij fiducia, Pithœi diligentia, Conchilij charitas, Mornacij fluiditas, veritatis amor in Mauguinio, fidei studium in Loysellio, denique in toto Ordine & honestas, & constantia, & grauitas? Quid ergo ad hæc, adlatrator quisquis occurrat aut defector? An enim non poterimus idem quod & illi, tantum quantum illi? Præclara fuêre sanè Maiorum de hemicyclio instituta, at nil sublime expostularunt, quod non impleuerint Patrum exempla. Si ergo & institutis eruditi & exemplis excitati segnes torpescimus, numquid degeneres comprobamur?

At nil, vt puto, mirum est, si tanta à Consultis petatur virtus. Obseruent, quæso, quorum vices in terris agant, & cùm plerumque iidem & patrocinia obeant & consilia suggerant, quosnam verius se referre agnoscent quàm ministratorios in cælis spiritus qui & periclitantibus salubria suggerunt consilia, & eorum apud Deum implent patrocinia? Quotquot ergo sumus Consultorum nomine insigniti, munere sublimati, SIC AGAMVS NOSTRVM NEGOTIVM, VT ANGELORVM ET MINISTERIA ABSOLVAMVS IN TERRIS, ET LOCA DEMVM REPLEAMVS IN CÆLIS.

E Tuguriolo nostro Monsmirellensi 23. *Ianuarij* 1665.

NIL NISI AMORE.



HVSSON
DE
ADVOCA